

Gvilhelmus Henselius Lichensis.
d. d. 17. emptus. i. fl. xiii ~~aeo.~~

~~Sum Philippi Cyriaci Nicolai~~
~~emptus~~ ... s.
Anno ~~1647~~, 15 Junii.

10.3...

Library of the Theological Seminary,
PRINCETON, N. J.

Purchased by the
Mrs. Robert Lenox Kennedy Church History Fund.

Division SCD
Section 1074
Number

ACTIONES

ET

Monimenta Martyrum,

EORVM

QVI A' WICLEFFO ET HVSSO *ad noſtram hanc ætatem in Germania, Gallia, Britannia, Flandria, Italia, & ipſa demùm Hiſpania, veritatem Euangelicam ſanguine ſuo conſtanter obſignauerunt.*

Jean Crespin

[redacted]



GENEVÆ,

JOANNES CRISPINUS.

M. D. LX.

[redacted]

FRANCISCI BERALDI
Carmen.

EN quibus illecebris liber hic blanditur ementi:
En quales titulos pagina prima gerit.
Exilium, tormenta, cruces & verbera, flammas,
Præciſas linguas, ſulphura, vincla, famem.
Quæque tyrannorum rabies immanis & exlex
Infanda in ſolos cogitat vſque pios.
Qualia ſi videat ſtygijs reuocatus ab vmbris,
Ingemat, & pallens horreat ipſe Nero.
Détque manus victas: & ſe contenderit iſtis
Cedere, qui reliquos vicerit, Antiochus.
Tali ſi fronte liber, quemnam ſpecioſus ineſcet,
Indice vel ſolo qui nocuiſſe poteſt?
Ergo ſtultitiæ damnabitur, hunc tibi, Lector,
Qui magnis librum ſumptibus exhibuit?
Imò ſatis prudens per ſe prouidit, vt ambo,
Et pius atque pijs hoſtis, habere velint.
Hoc pius in ſpeculo, paria ad certamina quando,
Si quando, veniet, quos imitetur habet.
Vnde petenda ſiet, longis conſtantia vinclis,
Blanditias ſpernens Iudicis atque minas:
Vnde etiam medijs mens imperterrita flammis,
Implorânſque Deum libera lingua ſuum.
Denique tela, quibus mundus ſuperatur, & Orci
Triſte triumphati corruit imperium:
Præſertim memori Chriſtum quum mente reuoluet
Iſta tuliſſe Ducem ſigna ſequenda ſuis.
Impius hic contrà, ſæui monumenta furoris
Spectabit lætus non moritura ſui.
Quippe patris Stygij veſtigia nota prementem,
Seſe æquaſſe decus, vel ſuperaſſe ſciet.
Ergo pium vt celebrem crudelia funera reddunt,
Sic illi feritas nomina clara dabit.

Pio & verè Chriſtiano
LECTORI
IOANNES CRISPINVS GRATIAM & pacem à Deo Patre per IESVM CHRISTVM.

ETSI prioribus illis Martyrum editis à me voluminibus, Chriſtiane Lector, ſatisfeciſſe videri poteramus deſiderio & labori noſtro; quoniam quæ in eo genere ſuſcipienda tum eſſent, ea nos omnia ſyncerè iudicio noſtro, alieno feliciter executi, Reipublicæ Chriſtianæ plurimum ad gratiam & gratulationem attuliſſemus: tamen quum ante nos nemo noſtrorum hominum operi tam raro & inuſitato non modò manum admolitus eſſet, verùm de re generibus adeò varia, partibus infinita cogitare ne veniſſet ei quidem in mentem; cætera fere nos omnia, quæ multa magnáque videbantur, ſepoſuimus libenter, dum hoc etiam erga te poſtremo munere perfungimur. Excitabat nos veritas ac varietas, multitudóque in omni genere exemplorum eorum hominum, qui ſuperiorum illorum quos attigimus, vel æquarent in re gerenda virtutem atque conſtantiam; vel ſortem & conditionem ſplendore domeſtico ſuo, & omnium ingenuarum artium cognitione ſuperarent (cuius generis ad nos ex vtraque Germania & Gallia nonnulli, è Britannia & Hiſpania plerique peruenerunt) imprimis autem vaſtorum

Prima editio hiſtoriæ Martyrũ

Martyrum ſeges & occaſio, rediuiua quotidie magis.

& impotentium hodie quorundam hominum perfidioſa cum immanitate coniuncta peruerſitas & inſania; quos partim ipſos nihilò meliores effectos horum editione monimentorum, partim inuſitata rabie crudeliter ad ſanctiſſimis quibúſque viris, planéque θεοδιδάκτοις *periculum inferendum quotidie progredi videamus. Nam quid de Cardinale iſto Lotharingo dicemus, ô Lector, qui inueterato quodam, & in omnes bonos ac pios concepto crudeliter odio, Senatoris innocentiſſimi, integerrimi, ſanctiſſimi, Annæ Burgi vitam & animam quatuor ipſos menſes nefariè perſequutus, iniquiſſimo iudicio martyrem circunuentum ipſe damnarit; damnatum non ſolùm extinxerit incendio, ſed planè etiam mortuum in inuidiæ flammam apud Optimates ac populum ſeditioſis concionibus adducere tentarit? Sed non faciam vt dum veteratorem illum Galeritam exequor, deſiderium interim ampliſſimi fortiſſimiq́ Senatoris tibi commoueam: quinimò quicquid attigi, eo maximè conſilio feci, vt ijs quas initiò poſui, cauſis intelligeres, me quidem & voluminum illorum reliquias voluiſſe perſequi libenter; & iiſdem characteribus eorum omnium qui impoſterum illuſtri quopiam teſtimonio fidei ſuæ Chriſti veritatem obſignaturi prodibunt, memoriam vſurpaturum eſſe diligenter. Quorum hominum ad interitum voluntarium pro D. N. Ieſu Chriſti Euangelio quotidie proficiſcentium ſi qua omnino vſquam memoria cuſtodita deſcriptáue aut elogia, aut apophthegmata, aut huius denique generis documenta veſtigiáque*

giáque rerum præclariſſimè ab iiſdem geſtarum exiſtere tibi conſtabit, Lector, hæc tu, qua es in omnes beneuolentia, qua in populum reuera Chriſtianum pietate, conquiſita diligenter, exſcriptáque fideliter, huc ad nos (quod quidem Eccleſiæ commodo fieri putes) officiosè benignéque perferenda velim cures. Quod ipſum vt maiore etiam à te ſtudio petam, cum alia multa ſanè faciunt; tum amor ille perpetuus atque ſingularis, quo Eccleſiam ſuam complexus Chriſtus, talibus illam atque tot exemplis illuſtriorem in dies ſingulos efficere contendit, vt haud ſciam an huic operi rediuiuo quotidie magis atque magis, tam longè latéque diffuſo, quiſquam omnino idoneam aſſiduitatis ac diligentiæ magnitudinem afferre poſſit. Quo de genere toto, ſimul etiam de maximis clariſſimíſque Dei opt. max. erga Ciuitatem, ex qua tot Pugiles ſummo Reipub. Chriſtianæ ſplendore prodierunt, beneficiis, poteram quidem effundi latius; id niſi Joannes Tagautius, vir ille ſanè literis perpolitus, rerumq; varietate atque vſu ipſo iam perdoctus, ſed (quod quidē eſt hodie caput) & moribus optimus, & religione Chriſtianus, cumulatiſſimè præſtitiſſet. Scripſit enim Protrepticon carmē ad S.P.Q. Geneuenſ. quo carmine ſitum oppidi præterea deſcribit, vt intelligere æqui & iniqui poſſint minimè vulgarem eſſe prærogatiuam, quam voluntatis ſuæ Deus Geneuæ dederit; ſiue vitæ huius humanæ curſum, ſiue futuræ illius quietem & diuturnitatem libeat æſtimare. Adiunxit item & Votiuum in

gratiam & vſum Electorum omnium, qui tum exauthorati Euangelicam veritatem ſuo ſanguine glorioſiſsimè conſignauerunt; tum merentes adhuc imperatore Chriſto, pari (ſi res tulerit) conſtantia in puluerem & aciem prodituri ſunt. quod ipſum & ad breuitatem mihi eſt aptius, & ad reliqua quædam quæ ſuo loco & tempore tibi ſumus exhibituri, prouidentius. Vale Chriſtiane Lector; & dum reliquorum ſeriem expectas, his ad gloriam tu Domini, & ſalutem tuam frui perge. Geneuæ, V. Calend. Mart. M. D. LX.

PROTREPTICON

PROTREPTICON AD HIEROPOLIN.

SANCTE *audi: ſancto facilis precor annue voto*
Magne opifex, cuius non enarrabile nomen,
Et cælum, ac miſeri confuſa potentia regni
Lucifugûm, & mundi bruta hæc elemēta tremiſcunt:
Quem Natura tremit venerans, vltróque fatetur
Te Regem Authorémque ſuum, qui numine comples
Omnia; Regem, vno quo iudice ſtántque cadúntque
Res hominum, morbo iaceant, ſeu luce fruantur;
Seu bellum pacémue feras, & gaudia vitæ.
Tu verò Alme, ſacri arcano qui luminis imbre
Cuncta foues, ſeruas & alis, ſolidáque ſerenas
Lætitia, & caſtus renouas mortalia corda,
Illuceſce meæ totúſque illabere menti
Irradians, & luce tuâ ſua nubila differ.
Hauriat ex te illos precor, ô precor hauriat ignes,
Viuificos ignes tenebroſa: agè diſcute noctem,
Et præluce intus, ne pes me lubricus imas
Auferat in tenebras, & deſolata nocentum
Antra, bonúſque tuo æternùm me lumine deduc.
Alme faue, & ſanctis præſens allabere cœptis:
Munere Sancte tuo, mihi caſta Poetica mentem
Excitet immerſam tenebris, dubiúmque mone me
Quid ſequar: & quæcunque mihi ſe tramite cæco
Oſtendet via difficilis, me numine firma
Præſenti, dum Sancte nouos tibi molior orſus,
Dum iuuat Aonio Latias de vertice Muſas
Sacra per, & ſacros longè deducere ſaltus.
Nam quid enim? ecce nouos in me ſacer impetus ignes
Præcipitat, ſpirántque nouum noua pectora numen.
En nuper fandi indocilis, iam pectore magnos
Concipio ſenſus: prior illa euanuit omnis
Impietas, & vita olim iuuenilibus annis

Degener, & Muſæ ſtudium pellacis inane.
Me caligo nocens, tenebríſque horrentibus vmbræ
Deſeruere, tui primos ad luminis ortus.
Terra vale, pennis liquidum ſuprà æthera longè
Auferor: en ventos pedibus & nubila calco.
Sat noctíque vmbrísque datum eſt, pudet iſſe tot annos
Cæcum per tenebras, lucémque hauſiſſe malignam
Pœnitet, heu! ægrámque animam dolor iſte perurit.
En igitur quà Relligio caput extulit vmbris,
Me iuuet antiqui Muſas ſuper ardua Iuræ
Siſtere: iámque nouum hîc Helicona, hîc quærere laurus
Hîc alias edico, alias templa horrida rupes:
Méque ſequi moneo dumos per & aſpera ſaxa:
Vos ô vos caſti Vates, ſanctíque Poetæ,
Quâ via ſecta recens, & quô vix vlla priorum
Me trepidum incertúmque viæ veſtigia ducant;
Hæc via nunc tentanda, mihi Vigor igneus ille
Quà ſe aperit, Vigor omnipotens, qui lumine caſto
Exhaurit mentes hominum, puráſque relinquit.
Quà mihi ſedat lux oculis clariſsima, cæli
Munere, me procul ô ſæuis Pater eripe terris
Quæ paſsim innocuo iuſtorum ſanguine inundant;
Et quæ te contra flammas & in arma feruntur.
Crudelis patriæ iam longa obliuia potem,
Nec mihi chara trahant aliò natalia mentem,
Dum ſacra mî plenis euoluere carmina fuſis
Eſt animus, medióque oculos iam tollere cælo.
Ac iam Pæonias paulum intermittere Muſas
Cura ſit, & docto ſcriptas in puluere formas,
Formáſque radióſque & pictum in pariete mundum.
Ergo pij Vates huc iam reuocantor, & eſto
Hac iter in cælum, pia quà modo ſemita feruet
Curſu alacri: hoc agite, hoc nobis via calle ſecanda:
Nam mihi mendaces quid nunc accedere lucos,

Quid

Quid iuga Parnaſſi, quid lauriferam Hippocrenen?
Nil canimus mortale, nihil mecum ipſe profanum
Mente agito; Me, me, cæleſti Spiritus aura
HIEROPOLIN ducat, tot tempeſtatibus actam,
Tot monſtris, tot turbinibus, rerúmque procellis,
Tótque inter gladios, toties extrema gementem,
Iámque ſolo velut exciſam, iam-iámque labantem,
Nî placeat Dextræ miſeram fulcire potenti.
Téque tuámque vrbem Latio, Chriſte optime, cornu
Iam canere incipio, & populos vulgare per omnes:
Atque adeò Lucem magni trans vltima clauſtra
Iam latè fuſam Oceani, gelidáque ſub Arcto.
Nam quicquid contra obſtiterit furioſa tyrannis
Pontificum Regúmque Sacerdotúmque Senatus:
Lucem illam, Noménque tuum, Rex maxime, gentes
In gelidis vſtíſque plagis, tibi ſede parata
Excipient (verum dederis modò cernere lumen)
Et fingi faciles æquis ſub legibus olim,
Barbariem, moréſque feros, victúmque nefandum
Mutabunt illi in melius, meliora ſequuti:
Exemplóque meo caſto tibi carmine laudes
Expedient, nati forſan melioribus annis.
Ergo agè quô pietas quô ducunt vota ſequamur.
Hîc vbi perpetuus cano ſe tollit in auras
Iura ſupercilio, & gelidum ſuper aera pulſat
Altis abietibus, cælóque minantibus ornis: Mons Iura.
Qua maturatæ breuiora crepuſcula noctis
Contrahit, & lucis fugientes occupat horas:
(Tam denſis altè piceis ſolémque diémque
Summouet, horrentíque Larix ſupereminet vmbra:)
Non procul Auſtrum inter ſpectans Solémque cadentem,
Ripa exeſa fremit, quam verberat Arua ſonoris Arua fluuius.
Præcipitatus aquis, & circùm multa coronat
Populus, & circùm Tamarix & Rhamnus obumbrant:

Quas inter feruet, ſecúmque laborat iniquo
Incluſus ſpatio, ac pontem indignatus, arenæ
Conuoluit moles & lubrica ſaxa fragoſus.
Ponte ſub hoc quantum bis térue ſuperuolet agri
Tortum haſtile manu: medio clariſsima campo
Vrbs quaquâ-verſum ſeſe venientibus offert
Primum humilis, formoſa tamen: mox creſcere viſa
Comminus; en facies iam ſe tota explicat vrbis.
Ceu roſa purpureis quam matutinus Eois
Sol afflat, paulatim obeliſco promit hianti
Mucronem exiguum, tenuis quem purpura pingit:
Mox verò ecce nouum calathi rutilantis honorem
Explicat, & medio roſa punica ridet in horto.
Talis ad Allobrogum ſedet vrbs confinia campi,
Quà Scythicum Boreas mare verrit acerbus & vrens, Lemanus lacus
Lemmano benè tuta lacu, quo pulchrior vllus
Vix fuerit, ſtratis & eat qui lenius vndis:
Purior Electro, vitreóque ſimillimus amni,
Nunc viridi lætus facie, nunc æquore glauco
Exultans, nunc cæruleus ſua littora lambit:
Sed furit interdum fluctúque ſonante tumeſcit,
Quum Deus aut Eurum aut humentes excitat Auſtros.
Quin & quum rapidis ſtrident Aquilonibus auræ,
Et denſa Omnipotens triſtes niue conſpuit agros,
Fluctibus iratis ſua littora pulſat & vrbem
Spumeus inſurgens. viridi ſuper æquore dicas
Velleribus niueis certatim atque ordine longo
Subſultare greges: tanto ferus impete canos
Vndarum voluit cumulos, longúmque fragoſis
Se ſulcis furiatus agit, tranſuerſà dehiſcens!
Sed tamen haud illo fuerit piſcoſior alter,
Non vel Benacus, non vel Lucrinus, & ille
Addua, quem celeri fugiens prætermeat vnda.
Siue lacum ſpectes ſeu pinguia culta, vel hortos,

Seu fontes lucóſue & prata ſonantia riuis:
Sunt hic quæ paſcunt oculos, animúmque quietum
Et mentes penitus cæleſti ex igne renatas:
Ac victum grauido læta vbere rura beatum
Sufficiunt. Tun' hîc poſcas armenta per alti
Paſcua Iuraî aut pingues in vallibus hædos,
Lanigeróſue greges, & amantes ſalſa capellas?
An potius teneros iam pingui abdomine lactes
Vberibus denſis mater quos bruta ſaginat
Fellantes? toruæ-ne bouis per gramina fœtus
Iam grandeis, queis nata nouam modò cornua Lunam
Nunc primùm, audaci referunt in fronte, proteruis?
Aut etiam pingues læta inter pabula fœtas,
Tenta ſaporato geſtantes vbera lacte,
Quo premitur pinguis vicinæ caſeus vrbi?
An memorem grauidas fruges, vinetáque plenis
Quæ paſsim fœcunda gemunt onerata racemis;
Aut altis referam coniunctas vitibus vlmos?
Aut etiam largo fœtu nemus omne graueſcens?
An Veris tot delicias fructúſque ſalubres?
Muneráque arboribus quæ ſeris diuite felix
Prouentu coquit Autumnus? fœtáſne Iuglandes?
Aruáne quæ grauibus gaudent inculta Volemis,
Hybernámque Pyrum & Mâlos ſua pomaferentes,
Seráque pétiolis breuibus pendentia poma?
(Vnde ſuum Gallis nomen traxiſſe feruntur)
In læuore aſpro maculoſæ corticis illa
Gratum parte rubent, hac fuluo picta metallo
Lutea non magno compreſſa volumine ſurgunt
Interpuncta croco, & lætum ſpirantia odorem.
Iuræ diuitias referam, & tot commoda vitæ
Quæ vel in incultis, vel rupibus in deſertis
Luxuriant: nempe hîc effundit ruſtica parcis
Copia ruricolis pleno ſua munera cornu.

Sed verò quia vita patrûm me ſimplice cultu
In primis capit, & dulci ſuccendit amore,
Hoc Voto pia Muſa bonos venerabere agreſtes,
Tantiſper dum longè alios tibi molior orſus.
En plectrum & citharam paulùm quoque ruſtica poſcunt
Ipſa ſibi & noſtri montes. Hîc ergo, priorum
Quem non parca olim contenta fidelibus aruis,
Nec patiens operum delectat vita per agros,
Haud ignara ſitim ſedare ſonante fluento,
Suetáque decuſsis ieiunia ſoluere cornis:
Non hîc lautitias vrbis Salmontica vina:
Sed nec multiplici menſas ſub lance gementes
Hic poſcat, nimiáque dapes roget arte paratas.
At tibi quem capiunt agrorum cultus & horti:
Quem montes quem rura iuuant, rurîſque ſuppellex
Lutea, delitias agri expectare ſalubres
Hîc liceat; veſcos fructus, olerúmque feraces
Areolas, centum excipiant quæ Pythagoreos.
Hîc pernas ſale duratas, ſapidoque rubentes
Fumo, quæ mediâ duris ſunt ſalgama Brumâ
Monticolis, hîc cocta cado tibi defruta aheno:
Cymbiáque hîc pingui ſpumantia flumine lactis,
Et viuos latices (ni te mage dura picatis
Horna cadis, neu te capiant hortenſia vina
Quæ tibi prouentu det fertilis vbere malus)
Atque ſuper viridi lachrymoſa coagula iunco,
Quum tellus ſitiens languentibus æſtuat herbis,
Expectare iuuet. Nos hîc agreſte paratu
(Sed quem munditie, ſed quem ſua gratia condit)
Frugales epulis menſas oneramus inemptis,
Quales campus alit. Quicunque huc ergo palato
Solicito accedes, noſtro expectabis in orbe
Non plura his. imò potius queis ruſtica patrum
Vita placet, vernis agri purîſque volentes

Delitijs

Delitijs, facie cœlíque lacúſque fruuntor,
Et Iuræ aſpectu, Rhodaníque liquentibus vndis.
Quid dicam vrticas labris vbi coxit ahenis
Ruſticus, & denſum expreſſit radicibus humorem
Inuergensque ſerò pingui, iam cogit, & infert
Lactea fiſcellis informans liba ſub vmbra?
Hinc tibi caſeoli, quorum ſapor omnibus vnus
Præſtiterit, nobíſque ſeri de nomine dicti.
Sed quid pingue illud veluti nubecula, mulctram
Quod ſuperintexit, lactíque ſupernatat vdo,
Et quod in anguſta crebris dum tunditur olla
Ictibus, in craſſum quanto mage vapulat, exit:
Ac tandem longo ſolidum fit verbere corpus?
Per medios æſtus, noſtris hæ ſcilicet illæ
Hîc montis ſunt deliciæ, queis Loton Vlyſſis,
Queis nec prætulerit Batauo *ſub iudice quiſquam*
Condita ſuberibus natiuis Attica *mella.*
Haud leuia hæc vrbis ſunt ornamenta beatæ
(Exteriora licet) largo Pater *optimus imbre*
Quæ fundit; rebúſque ſuos hîc ditat opimis.
Herbarum quoque terra ferax, ſuccíque potentis
Innumeras circùm doctis alit vſibus aptas,
Et quas vel medici non agnouére priores.
Aſſuetæ fluuio volucres ripíſque ſonoris,
Seu quæ rura colunt, vrbéſque aut aſpera montis,
Sedibus hîc errant varijs circúmque ſupráque.
Quæ verò hîc habitant, quas non docto ordine ſolers
Digeris & multo luſtras apprimà labore
Textor in antiquis conſummatiſſime chartis?
Quid cælum aeriæque plagæ, ventíque ſalubres?
Purior hîc cæli campos habet æthra patentes,
Proſpectúmque loci grato quoque terminat arcu
Iura, vbi nox fugiens ſéque & ſua ſydera condit.
Quà verò lux alma diem mortalibus affert,

Continuæ rupis viridis ſinus imminet vrbi,
(Rupis quam patrio dicunt ſermone Saleuam)
Nec procul inde licet ſurgentes vertice cano
Proſpicere, & medijs inſertas nubibus Alpes.
Parte alia Rhodanus qua iam defertur in Auſtrum Rhodanus
Egr ditúrque Lacu (tacitus námque influit amnis
Lemmanúmque ſecat) mediam præterfluit vrbem:
Sed vero in geminas medius quam ſeparat vrbes
Paruus adhuc, viridíque fluens pellucidus vnda.
Vrbs ea diues agri, diues fluuióque lacúque
Et populis, gaudens plebeio animoſa Senatu,
Leges æqua ſuas, libertatémque tuetur:
Vnáque tantùm alias inter caput exerit vrbes
Allobrogum, quàm nubiferis minor Alpibus eſſe Geneua
Iura poteſt. veteres appellauére GENEVAM.
Nomen adhuc ſeruat populis tot, & vndique circùm
Inuiſum, ac tantis odioſum regibus, olim
Quod tenebris immerſa, Dei modò munere magno
Aſpectet lucem, & pura modò luce fruatur. Poſt tenebras lux.
Ac veluti quum ſe diuerſis partibus agri
Effudére greges, & mâlis gramina tondent
Securi, huc illuc per paſcua læta vagantes:
Si fidus pecoris cuſtos acerrimus Vmber,
Non procul inſidias meditantes vidit ab alto
Aggere fortè lupos, inter dumeta latentes:
Haud mora, latratu rapido citat ecce magiſtrum,
Horrendúmque micans, & felle & dentibus ardet,
Ac circùm, pecus omne vagum curſu alite luſtrat
Increpitans: nunc has nunc illas ſtringit & vrget
Et morſu compellit agens, caudæque flagello
Cogit aberrantes vltro citróque capellas.
In denſum coiſſe gregem tum protinus omnes
Aſpicias, iunctáſque ſimul trepido agmine ferri
Ad ſocios, cauláſque metu trepidare ſilentes.

Haud

Haud aliter ſi quando pios (quum ſedibus errant,
Securi rerum, varijs) Deus hoſtibus vrget,
Hoſtibus infandis furias nil præter, & ignem
Qui ſpirent, Chriſti populum temerare cruentis
Auſi omnes diri manibus, quíque omnia turbent:
Huc videas plebem inualidam, pueróſque ſenéſque,
Tot cunas etiam infantum, matréſque viróſque
Confluere, & longè crudeles linquere terras.
Ecce pijs feruent profugis deſerta locorum,
Et nemora & montes prærupta & confraga rupium.
Heu adeò ingentem terris ex omnibus vndam
Huc gentis profugæ vomit infelix Europa!
En ſeſe huc trepidi per tot diſcrimina vitæ,
Mortali, vnanimes, haud ſub paſtore receptant:
Creſcit & his demùm præclara Geneua colonis,
Surgit vt exiguo de fonte ingentibus Iſter
Auctus aquis, aut fluminibus centum Albula diues.
Hæc quanquam munita armis, & ponte quaterno
Et muro duplici, foſſáque & turribus altis:
Hanc Cerui Pluteíque licet multo aggere vallent:
Se tamen vna Deo propugnatore tuetur
Contra tot gladios, hoſtéſque interrita perſtans.
Sic gracilis, geminũ ſed quẽ mare verberat, Iſthmos
Nunc ſalis Ionij furias eludit inanes,
Nunc rabiem ſuperi frangit maris; impete magno
Irrumpat licet, & magno ſe turbine voluat.
Quin, & vtrumq; ſimul quum perfurit, altáq; feruet
Tempeſtas vtriuſque maris, mugitáque planctu
Littora rauciſono quatit, horrendúmque ſonoris
Fluctibus: ille ſuo contrà ſe robore firmans
Immotus, mundi inſtar habet, pelagíque furorem
Deſpicit; & terram mordet ſecurus vtramque.
Ergo Deus nimium indigno Regúmq; Ducúmq;
Seruitio exemptam, diræque tyrannide noctis,

Non expectato ſeruauit numine, fractam
Tantis turbinibus rerum, tantíſque procellis,
Et bonus aſſeruit nutantem extrema Geneuam,
Inter mille neces inter diſcrimina mille.
Quò magis haud meritum agnoſcat magnúmque fauorem
Numinis & tanto æternas pro munere grates
Perſoluat rediuiua, memor gratiſſima tanti
Muneris, & puros ſeruet ſanctiſſima ritus.
Nec tantum ſat erat miſeram de faucibus hoſtis
Eripere, immeritóque iugo, & crudelibus armis,
Imperióq; Ducum, multos quos mœſta per annos
Pertulit, & duras domini gens libera leges:
Nî ſimul ad lucem Deus, & meliora vocaſſet
E` nocte & tenebris quibus antè ſepulta iacebat.
Sed mihi ne prima teſtes ab origine caſus
Sit memorare labor, hæc noſtrum ad tempora carmẽ
Chriſte voca, & trepidũ deduc per ſingula Vatem,
Si modò ſi liceat cauſas aperire latentes
Funeſtíque odij, & ſubitos de nocte tumultus
(Vnîus ſtudio excitos) quibus inclyta nuper
Arſit, quæ, ſine te, iam-iam inclinata ruebat
Vrbs tua, quam ſeruas inter tot bella metúſque.
Quò feror? & quò me ſanctæ rapit impetus iræ?
Hac ô Muſa tenus: tanto nam gurgite rerum
Ancipitem incertúmque viæ, prius ærea lingua
Et vox deficiant, quàm prima exordia libem.
Sunt longæ ambages, longa eſt iniuria, longi
Exorſus, quos ipſe olim ſi vita ſuperſit,
Aut alij forſan poſt me venientibus annis
Expedient, populíſque canent tot geſta futuris:
Interea me parua ſequi, me ſtringere littus
Nunc iuuet; hoc pelago fragilem committere lembũ
Nil opus eſt, tutus potius ferar amne ſecundo.
Mactè igitur, tu mactè igitur ſeruata Geneua:

Surrige

Surrige te, & puros ſerua puriſsima ritus.
Te Deus erexit populis inſigne theatrum,
In quo relligio, pietas, rectúmque fidéſque,
Et puri mores, amor & reuerentia caſti
Floreat inſtaurata: tuum quò nomen in oras
Extremas eat, & caſti te carmine Vates
Æterno celebrent. Ergo rediuiua Geneua
Illecebris ne dede animum, neu deſide luxu
Ocia corrumpant, famæ florentis & illum
Splendorem obſcurent, quo tu clariſsima fulges:
Nec vitijs lucem, tibi quam ſemel attulit vltrò
Indulgens Pater, heu, prudens ſcelerum obrue cœno.
Ah precor ah melior ſedeat ſententia menti
Vt ſolet, & nullis vnquam terrebere monſtris.
Nî facias ſperato Dei miſeranda furorem
Protinus, & cunctis ſubitos de partibus hoſtes,
Qui malè grati animi ferro te & vindice flamma
Arguerint coràm indociles, téque omnia cogent
Sæua pati, & diris ſeruitum Regibus ire.
Omnia ſperato contraria, ſi ſemel auſis
Excuſsiſſe Deum, & leges temerare ſacratas.
Quò maiore Deus te libertate beauit
Largus opum, queis te cumulatam ſeruat & auget,
Hoc mage funeſtam ſpera lachrymoſa ruinam,
Si ſemel à Chriſto defeceris: ecce Geneua
In præceps funeſta rues, miſeranda Geneua.
Si Deus haud Vrbíque ſuæ Templóque pepercit
Iratus; totiéſque ſui tam dira tulerunt
Supplicia, & meritas ſoluerunt ſanguine pœnas;
Græcia ſi & Nili populus, gentéſque profanæ:
Qua noſtrum precor ille manu criménque nefáſque
Arguerit vindex? quo te precor arguet ore?
Non ſua terribilis vindictæ fulmina durus
Præcipitat, pœnámque ſtatim de ſontibus Vltor

Sumit: quin potius certo Pater ordine ſontes
Caſtigat patiens, & vellit ſedulus aurem.
At deploratis prorſum iam rebus, & omni
Maturo ſcelerum Autumno, ferus omnia falce
Demetit irata, gentémque & nomina delet.
His agedùm monitis, maior prudentia ſurgat
Iam tibi, quinetiam vigilum tibi cura tuorum
Cautior accedat, ſtudiúmque fidéſque Senatûs.
Heu, ſpectas quæ regna modò & quas obruit vrbes
Impia nox, lucis faciem mentita beatæ,
Tot grauidas licet imperijs, bellóque potentes,
Florentes vrbes opibus? Circumſpice porrò
Quàm magnas ſterilis paßim occulit herba ruinas,
Et deſolatos ſterilis rubus occupat agros.
Aſpice tot claros populos, tot regna, tot vrbes
Argolicas, Rhodon, aut Delphos, ditémue Corinthum,
Aut Epheſum, & magnas olim, nunc rudera Athenas!
Quò vetus, heu, Babylon, Tyrus, & Nilotica Memphis?
At tu quam tanto Deus eſt dignatus honore,
Cui fauet, ac vultu placidus blanditur amico;
Viue diu, mea viue diu, multóſque per annos
Sis felix, oculíſque ferat te turba piorum,
Ceu Libani cedrum, aut palmam quæ flumina propter
Luxurians, ſocias felix ſupereminet omnes
Vertice frondoſo, cupidúmque ſuperba quotannis
Agricolam, fructu ditat fœcunda beato.
Viue diu, mea viue diu, longóſque per annos
Sis felix: Fueris patrio gratißima cælo,
Si ſemper vigil ac docilis mandata capeſſas
Illius æterni Vnigenæ, qui ſanguine ſacro
Nos bonus in cælum reuocans mala noſtra piauit,
Quíque omnes Erebi quas pertulit hoſtia, Diras
Eluctans, nobis & Mortem & Tartara vicit.
Macta ergo, tibi mille aſtant tibi mille miniſtri
Cælicolæ,

Cælicolæ, tibi mille acies per inane paratis
Curribus, igniuomis circunſtant curribus omnes
Ardenti in nymbo: romphæiſque micantibus ardent,
Te circum mille Aligeri ſuper ardua Iuræ:
Quales ille olim vidit ſtupefactus apertis
Proſpiciens oculis cani latera ardua montis
Cingere, & innumeros lucere ardentibus armis.
Hæc tibi Hieropolis vigilat cuſtodia pernox:
Haud tibi mortales hac in ſtatione locauit
Excubias Pater omnipotens. Mactè ergo Geneua,
Interea ſemper tu ſeruantiſſima iuſti,
Tu cæli monitus, tu Relligionis amorem
Obſerua, & cultus nunquam dediſce receptos:
Ac nunquam Deus hinc aberit, Deus optimus ille,
Qui nullo Patrum merito gentíſue, rebellem
Abrâmi populum, ſæuis tot cladibus olim
Ereptum, ferreóque iugo, triſtíque profanæ
Seruitio Ægypti, ſeruauit munere magno
Rebus in extremis. Ille eſt, idem ille Geneua
Qui te ſeruauit toties: totiéſque cadenti,
Quum nec libertas nec ſpes erat vlla ſalutis,
Adfuit, & dextrâ placuit fulcire potenti.
Iam mihi Fortunam celebrent mendacia Graiûm,
Fortunáſque Ioueſque, deûm tot nomina vana:
Fortunæ non illud opus; ſed ſancta poteſtas
Illius, ingenti qui tot vaſta æquora palma
Continet, & cælum digitis premit omne duobus,
Qui circunfuſo librauit in aere Terram,
Quíque ſuas intrà metas maria alta coercet
Arduus, & Verbo retinet ſolidata potenti,
Cælúmque, & gelidi mediam liquidi aeris oram,
Humida qui gelidæ Lunæ mouet incrementa,
Qui Solem regit, & terris immittit aduſtis
Opportunum imbrem, quum ſicco languida cælo

Terra hiat, ambuſtis, heu, quum ſitientia marcent
Prata comis, ægríſque macet ſeges arida culmis:
Nam Pater è cælo miſerans incommoda noſtra,
Protinus accerſit nubes, dextráque capaci
Exprimit & vitam reddit morientibus herbis.
Hic magnus naturæ Opifex, cui fulmina parent,
Ventíque & nymborum præcipites cataractæ:
Hinc euerſa metit tereti ſata grandine creber
Africus, hinc mæſtos fructus carbunculat ardens
Euronotus, miſeras vites hinc frigidus imber
Sole nouo nimius ſterili rubigine tentat.
Putribus hinc Zephyris vrenti cuſpide voluox
Pampineas frondes intorquet, & enecat vuas
Naſcentes vuas & adhuc in flore latentes.
Iam mihi nunc igitur madidos venerare Lyæos,
Panáque, Robigúmq; deum, Cererémque, Iouémque
Iunoníſque niues, & quicquid cæca vetuſtas
Mentita eſt: Procul hinc Vates procul ite profani:
Auditíſne Deum, ô miſeri, vocémque tonantis
Horrendam Vocem quæ vaſto in nubis inani
Mugitus ciet horrificos, clangítque tremendùm?
Hæc Vox quæ medijs olim metuenda tenebris
Increpitans, largo ſignauit fulgure Sinam.
Quæ piceáſque ornóſque & cani immania Iuræ
Fragmina præcipitat, longæuáque robora circùm
Deijciens, latéque caſas campóſque iacentes
Obruit, & ſubito fordas conquaſſat abortu!
Ferrea Vox hæc illa Dei, quæ ſicubi fractas
Hîc illic celeri percurrit lumine nubes,
Intortámque facem ſtridens agit ignea glauco
Sulphure & inſanum rapido vomit impete fulmen,
Quæ tibi mens Epicure? malus timor vnde repentè
Téque tuúmq; gregem, miſer, occupat, vrget & vrit
Intus agens, ſubigítque Deum, ſcelerate, fateri:

Et

Et nos iſta nihil tantâ formidine terrent?
Terrent iſta quidem; non vt trepidemus ad omnes
Ventorum Zephyros, & inania murmura ſyluæ:
Mente ſed intrepida niuoſo in nubis hiatu
Cernimus audimúſque Deum ſua fulmina dextrâ
Vibrantem indocili, quæ nos ſed & omnia noſtra
Arcanis regit imperiis, ille optimus Author,
Ille eſt, ille Opifer, rerum cauſa vna bonarum
Qui parma omnipotente, ſuos nunc protegit hoſtem
Contra, nunc inopem miſerans de puluere tollit,
Et nunc imbellem præſenti numine firmat,
Paſtorémque armat fundâ in crudele duellum
Impare congreſſu, diri contra ora gigantis.
Mille igitur quanuis peſtes noctiſque profundæ
Emiſſi fratres, furiarúmque agmina iam-iam
Irruerint, Iurámque ſua de ſede reuellant:
Aut etiam feruente Noto per nubila vectæ
Terribiles, diros, iubar exitiale, Cometas
Accendant, cæliue malus color aera mœſtum
Inficiat, quum Luna rubens læuo horrida vultu
It triſtis, Solémque ſuo lugubris opacat
Oppoſitu, vel & ipſa ſua ſub nocte laborat
Triſtius, illa quidem nobis aut bella famémue
Aut morbos minitans: etiam mille vndique mortes
Ingruerint, & nos his tempeſtatibus actos
Diluuio ſcelerum ingenti circunſonet Orcus
Conniuente Deo: quid formidamus inertes
Propterea, cæli immemores Dominíque potentis:
Quum nullus pereat noſtro de vertice crinis,
Labãtur nullæ quando ſine numine frondes!
Macti ergo virtute, animus & pectore forti
Speremus mente intrepidi, vel morte ſub ipſa.
Iámque vbi nulla ſalus ſuperat, via nulla nec vllus
Exitus, & vix vlla ſpei breuis vmbra fugacis,

Conſtantem inconcuſſa tamen fiducia mentem
Erigat, atque oculos cælo teneamus apertos,
Edocti nuſquam humanis confidere rebus.
Nos & noſtra videt Deus, æternúmque videbit:
Omnia conſtanti librata examine penſat
Prouidus, & rectè nil non agit optimus Author.
His Deus exercet nos artibus, hinc noua nobis
Pectora format agens, & caſibus vrit acerbis
Ne Fidei languens intus ſit inutilis ardor,
Neu maleſuada pios falſa ſub imagine recti
Sopiat in tenebris miſeræ fiducia pacis.
Sic his ſæpe ſuos percellit & implicat olim
Monſtris Omnipotens, & nos examine duro
Pertentans, aperit circum mille vndique mortes:
Quò ſibi nos reddat, quò nos ſuper ardua cæli
Inuitos trahat, atque ſui ſuccendat amore,
Edoctos nuſquam humanis confidere rebus;
Sed Patris arbitrium cupidos vocémque ſequentes.
Iſta pias adeò formant certamina mentes.
His Deus exercet nos artibus, hinc noua nobis
Pectora fingit agens: adeò nos degener intus
Mens facilè immemores cæli, immemoréſque bonorum
(Queis nos Omnipotens ad ſe trahit & vocat vltrò)
Reddiderit, miſeros ſimul ac liquidiſſima cæli
Tempeſtas, vultu ridens illuxit amico.
Sed varijs vbi turbinibus cælíque flagellis
Nos Pater explorans funeſta per omnia duxit,
Et dociles perferre videt nos aſpera quæuis:
Protinus exoluit facilis, lætóſque reponit
Securo tutóque loco, damnúmque rependit
Munificus Pater, & reficit nos vbere pleno.
Sed tamen interdum totis velut irruat ardens
Iræ fulminibus, ſimulans iam-iam obruit, & iam
Ferri præcipites ſub tartara cæca videmur.

At

At vero ſi nos meritò pede verſet, & acri
Conduplicans læua, crebris premit ictibus vrgens,
Et taciti patimur non duro à Patre moneri;
En medica miſerans dextra leuat impiger vltrò
Attonitos, medico ſiccans data vulnera ſucco.
Nouit enim quàm ſint mortali in corpore vires
Exiguæ, fragilíque bonus ſcit parcere cannæ:
Sed neque languentem lychni premit inuidus ignem
Abſumpto humore, & iam-iam moriente lucerna.

VOTVM
Deo optimo max. Seruatori conſecratum.

HIc eſt ille Deus, quem tu execranda tot annos
Perſequeris Babylon, inter mala gaudia menſæ
Crudelis, iuſtóque dapes, heu, ſanguine tinctas.
Sãcte quid expectas? non tu qui Legibus arctis
(Quas ſilice in gemina digito omnipotente notabas,
Quum te fulminibus crebris in monte tonantem
Cernuus audiret Vates, & Legifer idem
Iſacidum) prohibes tibi duci in marmore vultus,
Et cudi viſenda nouis ſimulacra figuris
Siue hominum, ſiue alituum, pecudúmue: nec vlla
Monſtra coli pateris nant æquore qualia in alto,
Totus & integros vni tibi poſcis honores?
Et tamen hæc tacitus ſpectas, ſecuráque culpæ
Pectora noſtra facis, tua tu dum fulmina differs.
Aſpicis vt Babylon pacem tot poſcat ab aris
Impia, & interea cæco ruat acta furore
In ſcelera, ínque nefas non enarrabile caſtis?
En ſecura tui vetitos tranſcribit honores
In laruas hominum & mortalia corpora vecors.
Aſpicis vt ſpoliet te Maieſtate verenda
Et titulis, dum neſcio quos ſibi cômit & ornat,
Mentitúrque deos, ſociúmque tibi agmina iungit,

Téque amens cruſti concludit in orbe neſandi
Quod rerum ignari, & miſerum quod vulgus adoret!
Aſpicis hæc, & ferre potes ſcelera iſta nefáſque?
Iræ tum patiens potes hæc tolerare tot annos?
Quin potius terras iterum Pater obrue terras
Diluuio, & penitus nunc rerum elementa laborent;
Corruat & fractus iam nunc compage ſoluta
Orbis, íamque nihil, nedum chaos omnia fiant:
Aut cadat horrendo mundi cinefacta fragore
Crudelis Babylon, terræ communis Erynnis
Contemptríxque tui, & tantorum cauſa malorum
Inuadens miſeras Veri ſub imagine gentes,
Parca boni, ſcelerum atque alienæ prodiga vitæ.
Iam Romam furor ille tuus, Romǽque tribunal
Sacrilegum, furor ille tuus nunc ſulphuris imbre
Corripiat, qualem mare prodigiale Sodomes
Infandæ ſpirat, diríque bituminis ater
Gurges, & atra palus flammis infamibus vndans.
Quo quondam fœcunda loco, diti vbere tellus
Prouentus dabat ingentes frugúmque meríque,
Nunc tantum infamis lacus, illuuiéque nefanda
Heu, ſquallens regio, & miſero terra horrida vultu.
Te dira, heu, Babylon nondum rapit ignea cæli
Tempeſtas, nec adhuc triſtes hauſére tenebræ
Et caligo nocens, terrǽque immanis hiatus?
Non Erebi fratres, nondum te tartara pœnis
Exercent ſcelerata, hominúmque Deíque flagellum?
Te ſuper Omnipotens ægrum nunquámne furore
Terribilis pluet incumbens, penitúſque recidet?
Sed quid ego? non ſic Deus omnia protinus igne
Corripit, aut ſontes lachrymoſo protinus orco
Plectit, ſed iuſtum expectat (ne accerſite) tempus,
Quô ſcelus in cumulum creſcat, molíſque nefandæ
Incrementum ingens, ac iam ſe ferre laboret:

Et iam nutanti ſub pondere ſponte fatiſcat,
Séque ſui tandem penitus, penitúſque ruina
Obruat, & ſceleris ſcelus hauriat alta vorago.
Vos igitur quos tanta tenet fiducia vitæ
Et ſcelerum, rebus nunc indulgete caducis,
Ite: ſed iſta olim conſtabunt gaudia magno.
Mox aderit tempus, quum iam quas mente ſecatis
Spes interdictas, & inania vota per auras
Diſcerpent venti, faſtúmque animóſque feroces
Molliet vna dies, tandémque dolere docebit.
Ergo age Roma tuos age; fac pia Roma Cynædos
Securos ſcelerum, ſatia te ſanguine iuſto
Dum licet, & nullum tibi fac iam crimen inauſum.
Exulta fidens quantumlibet, omnia tenta
Infamis Babylon: terræ commune lupanar
Roma (Lupæ nam cur author tuus vbera fruſtra
Suxiſſet?) meritam quæ te obuoluere tenebræ?
O ſi te quis iam manet exitus antè videres!
Nam tibi mox gemitum & lachrymas miſeróſque vlulatus,
Vltrices furias, & ineluctabile fatum
Attulerit iam ſumma dies, tibi ſera gementi.
Ride age terrarúmque nefas criménque Sodome
Impia: quòd ſi nunc cæli te languida claudo
Securam vindicta gradu ſequitúrue premítue
Ingenti, nec adhuc ferri trabe frangit auaros
Pontifices, miſerúmque iſtum infamémque Dialem
Quem nimium heu nimium funeſta Lutetia nouit,
Hoc mage terribilem ſpera ſcelerata ruinam.
Sera pedes lanæ inſtar habet vindicta, ſed acres
Ingeminans ictus, & ferrea brachia quaſſans
Per populos; pede proſubigit calcátque tiaras
Pontificum Regúmque, magiſtratuſque ſuperbos,
Aeratis quondam audaces qui frontibus audent
Inſultare Deo & lentum irridere furorem

Numinis, & cornu cælum pulſare feroci.
Sic vbi Vulturnus, furioſáque verbera Cori
Procumbunt pelago (quum matutinus Orion
Occidit) ecce ater rapido furit impete fluctus,
Et vanùm exultans præceps vehit agmen aquarum,
Arduus, & longo rupem ſe murmure contra
Impatiens agit; at medijs, eluſus, in vndis
Frangitur exanimis ſcopulóque refuſus in æquor,
Dilabens perit ille furor, ſaxóque latranti
Languidus immoritur, vanáque obmurmurat ira.
Ergo Deus populos metuendáque nomina Reges
Tum demùm edomitos, en tandem pulueris inſtar
Comminuit, ſpargítque manu, nec iam amplius vſquam
Apparent: veluti quum verrit Circius agros,
Pulueream in ventos cernis vaneſcere nubem.
Hîc tandem miſeros ridet ſecurus ab alto
Mortales Deus: hîc victis ex hoſtibus vltor
Dat ventis ſpolia, & currum comitantur ouantes
Victoris DOMINI, *circûm ventíque niuéſque*
Fulguráque & nymbi tempeſtatéſque ſonoræ.
Ipſe triumphatos ſpectans longo ordine Reges
In ventos abiiſſe: Viden' ait, impie tandem
Quid poſſit Deus? *hæc vobis ſunt præmia Reges*
Debita; ſic hominum vanis conatibus obſto,
Irridens: mihi non opus eſt maioribus armis.
Non ego qui ranis, paruíſque volantibus olim
Ægypti potui tot debellare tyrannos
Quos populi gentíſque meæ ludibria feci?
Ille ego qui ſubitò nuper conuiuia luctu
Turbaui & Regum ludens furioſa repreſſi
Conſilia? & decreta vnus Regum irrita feci.
Iſte vbi nunc, famâ totum qui compleat orbem
Terribilis, mediáque volet Cataphractus arena
Purpureis inuectus equis? agat ipſe triumphum.

Iam ſine

Iam ſine me; pacem is longos dum quærit in annos,
Ecce meo iuſſu, mediam ferit ardua frontem
Lancea, quæ medio ſtridens ſtetit acta cerebro.
Turbantur procerum cunei, turba inſcia muſſat:
Sed dum nullus adeſt, galeæ qui vincula ſoluat,
Semianimem qui tollat equo, qui vulnus oliuo
Abluat; exhibeo hæc populis ſpectacula Regum.
Ergo agite ô miſeri, & quiſquis mea iuſſa, meóſque
Spreuerit, ille meum ſic ſentiat ille furorem,
Et Ius Fáſque *meum pœnis, inuitus, honoret.*
Sic eat æternùm, & Legi *ſua pondera ſunto.*
Sic ait, & dictis dedit immutabile pondus
Omnipotens. I frende igitur ſcelerate, Deúmque
Crudelem miſer appella, duræque Tyrannum
Legis, & inſontes feralibus obrue buſtis
Tabeſcens crudeli odio, téque ipſe perure
Carnifici malus inuidia: votíque nefandi
Impatiens, animo tecum indignante labora
Impie: diſce tuas prudens cumulare ruinas;
Nil intentatum ſcelerique doliſque relinque.
Sed quod agis, votis intactum optaueris olim,
Et nolles voluiſſe, modò quæ lætus obibas.
Mira Dei *proh conſilia, incomprenſáque virtus!*
Hîc Maieſtatem DOMINI, *inſcrutabile numen*
Iam tacitus tandem & ſupplex Epicurus *adoret:*
Mirandum! ſua perſequitur Deus *hoſte miniſtro*
Conſilia, exequitúrque volens quæcunque volebat:
Sic tamen vt ſi quod vitium fuat, illud ab hoſte
Fluxerit, & generis læſa ſemel indole noſtri
Sponte ſua: nec enim vitij Deus *author in vllo eſt.*
Cætera ſemper agit, Deus *eſt qui cætera ſolus*
Molitur; nullus verò labor vrget agentem,
Tranquillus placida ſecum ſed mente quieſcit.
Et quanuis tot facta hominum tot denique motus,

Tot regat & ſtatuat rerum faciéſque vicéſque,
Conſilium ſemper tamen immutabile ſeruat:
Nam neque tum primùm mentem ſubit illa voluntas
Aeternā mentem, ſed rerum in origine prima,
Sic DOMINO *antè quidem fixum immotúmque ſedebat.*
O mira ô nulli ſatis enarrabilis vnquam
Proh Natura Dei, *modò ſi* Natura *vocanda eſt!*
Hîc maieſtatem DOMINI, *inſcrutabile numen*
Iam tacitus tandem & ſupplex Epicurus *adoret.*
Hîc ſtupeat Natura, *Deum mirata potētem,*
Immenſum, æternum, mentíſque indagine nulla
Deprenſum, hîc ſtupeat veterum ſapientia Graiûm,
Ac quicunque negant, ſecum ſemel omnia certò
Decreuiſſe Deum, *nec res curare caducas,*
Sint fragili cannæ ſimiles licet; Omnia curat
Prouida Mens: *Nam quid cæli pulcherrimus ordo,*
Quid cælum, quid Sol radijs vibrantibus ardens
Aureus, immenſus? quid pleno argentea Phœbe
Lumine? quid nitidus veſper? quid cætera mundi
Lumináque ſtelláque? quid & pulcherrima rerum
Si tecum mundi Artificem, *ſi luminis illum*
Immēſi Oceanum reputes, Mentémque *beatam*
Lucis inacceſſis habitat quæ ſedibus ingens;
Maxima, inexhauſta perfundens omnia luce,
Quam nullis hominum verbis effarier vnquam
Hîc poteris; captúmque adeò ſupereminet omnem?
Omnia fumus erunt, indignáque Principe *tanto*
Si vel ad exiguam diuini luminis vmbram
Protuleris, penitúsque illato lumine iam-iam
Tabeſcent liquefacta, niuis vel grandinis inſtar.
Ergo nec illa Deus *curauerit? Et tamen omnes*
Hîc DOMINO *imperium tribuunt, ſedémque tonanti.*
Ille ergo eſt qui cuncta mouens, & cuncta potenti
Mota ſupercilio amplectens, amplexa gubernat:

Omniáq;

Omniáque arcano præeuntibus ordine cauſis
(Quas poſuit, reuocátque volens iterúmq; reponit)
Antè-videns ſecum ſtatuit, moderatur & vrget.
Ter quater infelix iam nunc Epicure *quid hæres,*
Agnoſciſ-ne Deum *infelix,* Mentémque *potentem?*
Diſcite *degeneres animæ, diſce impia turba*
Iam tandem eſſe aliquid ſine origine, temporis exors,
Immenſum æternúmque à quo emerſere creata
Omnia: ſurrige te, & mentis procul excute noctem.
Diſcite *degeneres animæ, diſce impia turba*
Eſſe Deum, *arcano qui temperat omnia motu.*
Nam quæ obſtet vis vlla Deo, *quando omnia poſſit,*
Omniáque Omnipotens *quæ vult molimine nullo*
Perficiat; rerúmque adeò cauſa vna, Voluntas
Ipſius ſua ſit? Quanquam tamen ille ſecundas
Subſternit cauſas etiam, noxæque dolíque
Et ſceleris, quò iam culpa ſit liber ab omni.
Nam, proh ſacrilegæ mentes, Authórne *malorum*
Et ſcelerum hortatórque fuerit Deus? Optimus *ille*
Mundi opifex hominúmque ſator: licet omnia ſecum
Decernat fieríque velit, noctíſque miniſtri
Conſilia ipſius peragant nil tale volentes?
Denique quicquid agant, tacita Deus *omnia mente*
Præuidit prius, & ſecum longè antè futura
Conſtituit; prudénſque ſuo mox tempore promit
Singula. Nec *tamen eſt quòd, ter ſclerate* Lucreti
In culpam hinc traxiſſe Deum *poſſiſue putéſue.*
Sed totam ſubeunt vltrò, faciléſque ſequuntur
Corrupti mores hominum, ſcelerúmque tenaces
Sponte ſua, veteri quanquam hortatore Colubro.
Sic Lunæ *obiectu media quum luce repentè*
Sol latet, & cælum ſubitis contexitur vmbris:
Hæc regio nil noctis habet, tota illa tenebris
Obruitur, medióque die noua ſydera cæli.

Miratur, mundíque putat veniſſe ruinam,
Nec tamen interea quicquam de lumine Solis
Decedit, vultúmue nigra ferrugine tinxit.
Non aſtri hoc vitium, non aſtri hæc culpa, nec vlla
Luminis inuidia eſt; nam lumine ſemper eodem
Irradiat Solis rutilo globus igneus orbe.
Obſcœnæ ſi noctis aues ad lumina Solis
Caligant, nitidíue iubar genitabile Solis
Propterea incuſent, lucémque diémque peroſæ;
An hebetes oculos potius, vitiúmque videndi?
Iam nunc ergo queri quid poſsit & audeat vllus?
Nam (miſeri) exitium nobis accerſimus vltro
Degeneres, ſequimúrque nefas vltro omne volentes.
Quòd ſi aliquos Deus exitio & crudelibus vmbris
Deſtinat, antè quidem quàm Sol aut Terra fuiſſent:
Haud tamen in culpa eſt ſiquid malè geſſeris olim:
Nec Deus hunc finem ſpectat, ſed Nominis ergò
Ille ſui, vitæ quos vult educit in auras,
Qui iuſto tandem interitu meritáque ruina
Exortem illuſtrent Patris omnipotentis honorem.
Nam quî ex vllius damno mala gaudia captet
Rex Deus? atque ſuæ tantùm, non conſulat æquus
Gloriæ, & æternos quenquam det lætus in ignes?
En quô nunc igitur gens præcipitata ſub vmbras
Auſa olim immane nefas in ſedibus altis
Ore Deum incuſet? quid verò deinde querantur
Mortales miſeri, qui vita & crimine dudum
Sint meriti æternæ Chaos irremeabile noctis?
Hîc quid habes Babylon? quid habes impure Cynæde
Quod poſsis æquo Domini obieciſſe potentis
Iudicio? meritámne vides, his te, impia Roma,
Vt Deus obuoluat tenebris, quibus antè profanam
Obruit AEgyptum? meritò tibi maximus Vltor
Eripuit mentem, & prorſum ſine luce relictam

Inſcelera, ínque nefas & ineluctabile cœnum
Permiſit ruere, & cæco indulgere furori.
Væ tibi væ Babylon cælo & mortalibus ipſis
Inuiſa, heu, toties meritas quæ ſanguine pœnas
Peſte, fame, flamma, cæli terræque ruinis
Perſoluis recidiua, pij Vatúmque Patrúmque
Sanguinis, heu, nimium ſitiens ſcelerata, ſed vmbras
Legis, & infandos obſeruans ſedula ritus!
Impia proh Meretrix quæ mœchos ebria Reges
Sanguine ſpumanti patera temetóque furenti
Sollicitas, miſeróſque malo furiata veneno
Dementas populos, ſpectas hæc funera, ſpectas?
Tot triſtes tabulas, tot ſancta cadauera cernis,
Bellua, nec te animi tandem crux vlla perurit?
Tun' ſicco ſpectare potes tot funera vultu?
Ilicet hæc ſunt illa, hæc ſunt præclara Senatus
Purpurei ornaměta; hæc ſunt decora inclyta Romæ:
En illa hæc ſedis ſunt firmamenta nefandæ,
Hæc pietas, hæc relligio tot ficta per annos!
Aſpicis hos tumulos atque hæc monimenta piorum
Qui nitidi tormenta inter flammáſque relucent,
Aut quos mille dolis, vna nec morte necaſti?
Vltrices illi ad pœnas aliquando repoſcent
Téque tuóſque deos. Satis ô ſtola ſanguine iuſto
Ebria: iam veniet tempus iam-iámque propinquat,
Quum magno, ſed verò fruſtra, optaueris emptos
Inſontes illos: nec enim ſine vindice iuſtus
Illorum tibi ſanguis erit, quos candida veſtit
Nunc ſtola, quòd CHRISTI *calicē & crudele dolorum*
Sympullum, intrepidi, venis ſitientibus, vltrò
Ebiberint, medióſque rogos ſubiere volentes,
Victricéſque ardenti animas ſub faſce dedére:
Quæ ſimul-ac terras auidæ, moribundáque membra
Liquére, anteuolant Zephyros plaudentibus alis,

Vt leuis in Naphtham ſulco volat alite flamma;
Séque choris alacres tandem felicibus addunt:
Et tandem felix ſtudijs concordibus æuum
Lætæ agitant duce cum CHRISTO, viuáque fruuntur
Luce Dei, corámque illum immenſúmque tuuntur
Luminis æterni fontem, vitǽque beatæ
Diuitias, pedibúſque polos & ſydera calcant.
  At verò nocti ſempérque ſilentibus vmbris
Iam merſos & denſa olim caligine condi,
Atque adeò illorum cineres, famámque profundis
Obduci tenebris, & ferro & carcere dudum
Rebare extinctam flammíſque voracibus hauſtam.
  Sed cælo viſum eſt aliter; námque incubat iſtis
Fama ingens tumulis, quæ ſeſe ex oſsibus vltrix
Protulit innocuæ gentis, latéque per omnes
Vulgauit populos, ingenti maxima plauſu
Egregias animas, nolit velit ægra tyrannis
Roma tua, & cineri dat ſplendida nomina muto.
  Ergo agedùm illuſtres animæ, vos poſthuma fama
E nocte & tenebris, ad vitæ & luminis auras
Ecce tubæ reuocat ſonitu officioſa potenti
Emeritas ſanctéque pio certamine functas.
Vos Pater amplexu non dedignatus amicō,
Arbitrio fati exemptas Regumque furori
In cælum Pater omnipotens excepit ouantes.
  Quare agitè & ſacris etiamnum accentibus omnes
Innumeram, denſæ toto date carmina cælo;
Cælo vbi perpetuas ales chorus haurit anhelans
Delicias, puræque bibunt noua gaudia mentes:
Gaudia nil humile, aut fluxum ſpirantia porrò,
Gaudia parta pijs atque obſeruantibus æqui.
Veſtra ſed hæc olim memores exempla ſequuti
Sic cælum repetant gratíque píique nepotes,
Qui dederint vltrò auræ ſua nomina CHRISTI

Militiæ,

Militiæ, ſancta cum maieſtate malorum
Tot læti gladios & tot crudelia paſsi.
HÆC *vobis mage marmoribus vel mole ſuperba*
Pyramidum, longos perduratura per annos
Sancta pijs inciſa notis monimenta parauit
Hieropolis; vobis etiam Criſpinus amico
Iuſta facit voto & latio bonus ore parentat.
Quod ſi ego nil aliud potero, vos carmine ſaltem
Proſequar, & Siticen memorabo funera plauſu
Veſtra pio, & veſtras comitabor carmine flammas.
Ergo, Liber, populos procul ex Oriente remotos,
Quà patet orbe olim Romana potentia victo,
Ad Tanain ad Cimmerios atque vltima Ponti,
Aureus à Iura peragra viridíque Lemanno.
Sauromatas, i, viſe, doce, gelidóſque Polonos,
Quos modò cæleſti renouatos Spiritus aura
Progenuit miſerans, longáque à nocte reduxit.
Orchadas, & Scotiæ plenis pete littora velis:
Hîc nuper lux illa Dei, verbúmque Salutis
Sacrum illud noſtræ manifeſto lumine coràm
Explicuit ſeſe, hîc ſedes tutíque receptus
Sanctis Europæ exulibus profugíſque parantur.
Viſe anni Solíſque vias, vbi noſtra Canopum
Gens videt, & noſtris contraria ſydera cernit
Admirans, longè Europa Calpéque relictis
A' tergo, Ammericam propter, quà languidus annũ
Exiguum vertens, gelido ſub ſydere nobis
Sol hyemem facit & currit breuioribus horis:
Quà patet ínque ſinum pandit ſe diuite luco
Breſilia; infelix ſuprà execratáque tellus
Cannibalum, Paranas infrà Lepetíſque ſonanti
Murmure gemmarum & ſquammis crepitantibus aurì
In mare præcipites, iuncto ſimul agmine currunt.
I, Liber, & reduces iterum ſolare Britannos,

Poſt longa exilia & laqueos cineréſque ſuorum;
Quos inter pietate grauis venerandus honora
Canicie, dextram medios qui lætus in ignes
Coniecit, noſtro fulget memorabilis æuo
Crammerus; pete culta, Liber, quæ Sequana lambit,
Quæ Ligeris ſecat & Rhodanus, rapidúſque Garunna.
I, Liber, & veteres mœrens inuiſe tot vrbes
Quà Rhenus fluit: auriferis quà diues arenis
Turbidus Oceanum leni Tagus agmine pulſat:
Et te Roma legat caput imperiúmque malorum.
Tu verò tu CHRISTE faue, curſúmque ſecunda,
Cæleſtíque patrocinio mendacia contra
Et vulgi rabiem, præſens monimenta tuorum
Inciſa his tabulis iam ter rediuiua tuere,
Queis latè circùm tua lux & gloria creſcant.
Hæc ego, dum dulces licet intermittere curas,
Montibus in noſtris cælo ſub teſte canebam.
Quo ter felicem me tempore chara tenebat
Hieropolis, ducente Deo, purgata nefandis
Monſtrorum tot concilijs, tectáque ſuorum
Inuidia; inſtantes lachrymans dum plango ruinas
Labentis patriæ, luctúſque & fata meorum:
Et dum quiſque bonus, penitus rerum ordine verſo,
Omnia iam peſſum ruere infelice ruina
Conqueritur, Puerique adeò, lachrymabile Regnum.

ADMO-

QVI veram ac ſimplicem Chriſtianæ Religionis doctrinam ex ipſis Apoſtolorum temporibus reuocatam, ac repetitam, inſolentiæ atque nouitatis inſimulant, vnde tandem hi Martyres hodie prodeant, miraturos eſſe minimè dubitamus: quum iiſdem, à multis iam annis huiuſmodi Athletarum amiſſa memoria, vel potius iam intermiſſa videri poßit. Quibus vt reſpondeamus, ſic habeant: vt de illis ipſi nihil nec audiuerint nec audire profectò voluerint, non idcirco haud amiſſam illorum, haud intermiſſam videri oportere memoriam. Nam vt iſtis demus, ſtatis temporum interuallis proſtratam ac iacẽtem quodammodo fuiſſe Chriſti Eccleſiam; extinctam certè fuiſſe prorſus ſine ſcelere pronuntiare non poſſumus. Quod quidem ex eo intelligi poteſt, quoniam alio tempore plures, alio verò pauciores, nunquã certè nulli Martyres extiterunt: nimirum vlli qui ſic Chriſtianæ doctrinæ teſtes ac præcones extiterint, vt eam ſuo ſanguine obſignare non dubitarent. At verò quum Eccleſiam ipſam aliquandiu iacentem inquam, & quodammodo ſopitam Chriſtus longè ampliorem & illuſtriorem, centum circiter, aut eo amplius, annis ipſe reuocarit, maiorem etiam qui pro cauſæ ſuæ defenſionem pugnarent numerum excitauit. Nam, Vt penè extinctum cinerem ſi ſulphure tangas, Viuet & ex minimo maximus ignis erit. Itaque quum Chriſtus ſuo ſulphure, feruore nempe Spiritus ſui, Fidelium animos propè

congelatos excitat & attingit; magnum quendam ardorem in eis concipi certum eſt, qui erumpens flammeolas ſuas longè latéque diffundat neceſſe eſt. Quòd ſi quis vrgeat, cur quum ab ipſis doctrinæ Chriſtianæ velut incunabulis Martyres ſemper extitiſſe teneamus; eorum hiſtoriam repetitam altiùs ad noſtrum hoc vſque tempus ſerie perpetua deductam protulerimus: is illud demum intelligat, non minus verum quàm eſſe vulgatum, vt quicquid differtur, id non auferri. tametſi quidem ad priorem hiſtoriæ Martyrum editionem, tantam acceſſionem attulimus, vt Reipublicæ de nobis expectationi fœneratò perſoluiſſe videri debeamus.

Cur Actionum titulo, inſcripta ſit hæc hiſtoria.

¶ Erunt fortaſſe Critici, qui Inſcriptionem aliam aliquam quàm aut Actorum aut Actionum, deſyderent (quam tamen Inſcriptionem, & in priore olim editione, & in hac poſteriore ſequuti ſumus) quoniam nomen illud auguſtum, ſingulari quodam ac proprio quorumdam minimè malorum hominum præiudicio ſolis Apoſtolis attributū, rerum publicè geſtarum publicam & popularem memoriam potius, quàm priuatæ rei rationē aliquam contineat. Quibus Criticis vt aliquid darē, & interim inſtituti noſtri rationem etiam habere videremur, Actiones libenter, quæ quibuſq; vel rebus vel perſonis accommodari poſſunt, inſcribere maluimus.

ACTA

Acta eorum per quos Euã

GELII DOCTRINA in lucem cognitionémque Eccleſiæ, denſiſsimis tenebris occupatæ, à Deo reuocari ac reſtitui cœpit.

Ioannes Vvicleff.

ET ſi hæc miſera & diuturna conditio profeſsióque fuerit eorum, qui Chriſtiani *ſunt appellati, vt ipſum nudum* Chriſti *nomen tantummodo habuerint, ſummáque ingratitudine ſe vera ſalútaríque doctrina priuauerint: nulla tamen tanta hominum ingratitudo & impietas vnquam potuit ita bonitatem* Dei *ſuperare, quin is ſemper aliquod piorum ſemen conſeruarit, ex quo* Eccleſia *propagari, amiſſámque religionem recuperare ac retinere poſſet.* Et *quanuis nullus fuit orbis angulus, qui non denſiſsimis ac teterrimis ignorantiæ tenebris oppreſſus extiterit : tamen* Deus *ſemper ad illuminandã atque illuſtrandam veritatem, aliquas ſcintillas conſeruauit ac ſuſcitauit, pro ea temporis ratione quam opportunam ſuæque iuſtitiæ ac noſtræ ſaluti accommodatam iudicauit.* Quum *autem multa & certa & clara ſunt ſigna, & illuſtria teſtimonia, quæ hanc* Euangelij *doctrinam, his temporibus renouatam ac reſtitutam declarant puram eſſe* Dei *veritatem, in qua ſit ſaluberrimus animorum paſtus, ad vitam alens ſempiternam: tum verò illud minimè obſcurum aut dubium, quòd multi* Martyres *ac teſtes eius non dubitant pro ea confirmanda tuendáque ſanguinem ſuum vſque etiam vltimam guttam profundere: atque ita declarare quanta ſit miſericordia eius, qui nos perditos ac iacentes in horrendis mortis tenebris, ad hanc ſalutarem* Euangelij *lucem, ſuæque voluntatis agnitionem reuocarit.* Hanc *autem veritatem* Dei *eſſe, illud maximè demonſtrat, quod nulla fuit ætas, in qua* Satan *omni odio furioſiſsimo hanc* Euangelij *doctrinam perſequutus non fuerit, & conatus eam o-*

Semen Martyrum à Deo ſeruatum ad Eccleſiæ ſuæ conſeruationem.

Martyrum inuicta conſtantia.

mni viſua opprimere atque extinguere. Sed cùm inimicus tam potens ac ſæuus, tantóque odio inflammatus, nunquam quod eſt conatus effecerit, vt aut curſum ſanctiſſimæ doctrinæ impediendo, aut ortum eius prohibendo, eam planè aboleret (in ſummis enim difficultatibus admirabiliter ſemper fuit conſeruata, & per manus tradita) mirum nemini videri debet, ſi hominibus piis eam cognoſcentibus, tantam certitudinem & fiduciam afferat, vt eius authoritatem dignitatémque toti mundo, atque etiam propriæ vitæ anteponant, grauiſſimóque eius teſtimonio confirmati, ad beatam atque æternam vitam toto animo contendant. Quòd ſi Satan eius doctrinæ author eſſet, non eam tanto oppugnaret odio, neque ad eam abolendam, omnem rabiem ſuam conferret,
Matth. 12. b,6 *Nam hoc modo perſequens profligánſque quod ſuum eſſet, contra ſeipſum, vt ait* Chriſtus, *bellum inferret. Sed quocunque infeſto impetu conatúque Satan in eam veritatem feratur, virtute tamen atque ope* Filij Dei, *furorem eius reprimentis, ſemper ſalua permanſit* Eccleſia. *quæ neceſſario eius miniſterio ſeruata fuit, quæ optimos ac fideliſſimos* Paſtores *ac* Doctores, *ad eam adminiſtrandam reſeruatos & diuinitus vocatos habuit. Quanuis autem à primis illis temporibus, quibus* E*uangelium in orbem fuit promulgatum*, Eccleſia *aliquos ſemper miniſtros Verbi habuerit, à quibus veritas* Dei *& religionis puritas, contra vim mundi ac Satanæ fortiter fuerit defenſa & propugnata, tamen humaniſſimis* Lectoribus *non ingratum fore arbitramur, ſi initium*
Initiũ hiſtoriæ Martyrum, rectè à Vvicleuo ſumitur *huius hiſtoriæ à* Ioanne wicleuo Anglo *ducamus, eámque vſque ad præclara noſtræ memoriæ exempla perſequamur: ex quibus intelligi*
Mat. 16. c. 18 *poterit quod* Chriſtus Dominus *affirmauit, ne ipſas quidem vires ac poteſtates inferorum, aduerſum fidem & inuictam* Dei *veritatem ita valituras, vt eam opprimant aut deleant.* Nam *eo quidem tempore, quo* Deus *hunc virum bonum atque integrum* Eccleſiæ *miniſtrum excitauit, omnia tyrannis occupauerat, impiáque & ſcelerata dominatio rectorum* Eccleſiaſticorum, Eccleſiam *ipſam oppreſſerat, vt nec veritati, nec cuiuſquam pij* Deúmque *metuentis libertati vllus planè locus eſſet, ne exigua quidem puræ doctrinæ aut* Eccleſiæ *forma appareret.* Hæc *autem miſeranda* Eccleſiæ *oppreſſio ac deformatio, fuit anno à natali* Chriſti *die* M. CCC. LXXII. *Quo quidem tempore* Re-

ges ac Principes Chriſtiani, vt ſuum in religionem amplificandam ornandámque animum atque ſtudium declararent, in eam vnam cogitationem curámque incumbebant, vt lignum crucis Hieroſolymitanæ, in Eccleſiam Chriſtianam deferendum curarent. quaſi verò tota religionis ſanctitas eo in ligno conſiſteret: aut alia eſſet crux nulla, niſi ea quæ Hieroſolymis aſſeruari diceretur. Sed tunc Deus ſingulari bonitate ac miſericordia voluit mundum, humanis traditionibus atque impijs ſuperſtitionibus oppreſſum immortuúmque excitare, atque ad hanc gratiſſimam veritatis lucem reuocare: idque fideli & opportuna opera Ioannis wicleui. qui cùm Oxoniæ in celeberrima Angliæ vrbe, diu Theologiam profeſſus eſſet, viderétque doctrinã Dei multis inquinamentis eorum qui Papam ſequuntur, defœdatam & planè corruptam, continere ſe non potuit, quin in tãta rerum omnium confuſione ingemiſceret, veritatíque ita corruptæ ac deformatæ, & Eccleſiæ afflictæ atque oppreſſæ opem, pro ſua in eam charitate, aliquam afferret. Sed in tantis Eccleſiaſticorum opibus, confirmatiſque atque inueteratis prauis opinionibus, perſpiciebat ſe neque hæc tanta religionis inquinamenta ſine ſumma hominum offenſione commouere, neque ea errorum ſuperſtitionúmque vitia, quæ infixa diu & penitus inſederant, ex animis hominum poſſe facilè conuellere.

Vvicleuus Theologiæ profeſſor Oxoniæ

Itaque viſum eſt ei non incommodum, ſi ad emendationem tot & tantorum errorum vitiorúmque, mox ſtatim & apertè, ſed paulatim, & quaſi aliud agens, accederet. Ac primùm quid efficere poſſet contra aduerſarios veritatis, in paruis rebus magis ad philoſophiam quàm ad Theologiam pertinentibus, experiri voluit: de quibus cum illis diſputauit, vt hac ratione aditum ſibi ad res maiores faceret. Inter alios fuit monachus ordinis Carmelitani Ioannes Reninghamus, quo cum huiuſmodi concertatiunculas ſuſcepit & agitauit. Ab his paruis initiis ad maiora grauioráque progreſſus, de Sacramento altaris, vt tum loquebantur, cum illis diſputauit: qua in diſputatione acerrimos aduerſarios habuit, affirmans publicè in ſcholis, ſibi nihil aliud eſſe propoſitum, quàm vt idololatriam, quæ in Eccleſia, hac quidem in parte maximam vim habebat, tolleret, verúmque vſum Sacramenti, & purum Dei cultum demonſtraret. Sed hìc ſumma occurrebat difficultas, quòd hoc vl-

Ioannes Reninghamus Carmelita

cus tãgi cõtrectaríque nõ poterat ſine maxima mũdi offẽſione ac dolore.

Monachi, imprimíſque Franciſcani, furore quodã ferebantur, pergrauiter acerbéque ferentes, ſublata Miſſa ſibi pabulum ventris eripi, ſěque ad famem vocari. ita pro ventre, quem vnum habẽt deum, quaſi pro focis atque aris acerrimè dimicabant. Epiſcopi verò huius controuerſiæ cognitionem ac diſceptationem ad ſuum iudicium arbitriúmque deferri poſtulabant. verùm hoc cùm aſſequi non poſſent, ad parata Papæ fulmina tandem confugerunt. Nam hoc quidem poſtremum eſt impietatis perfugium, quum impudentes monachorum ſacerdotúmque clamores inſanæque vociferationes non ſatis proficiunt, ad hanc poteſtatem & vim tyrannicã accedere, ab eáque arma ad oppugnandam atque opprimendam veritatem ac fidem libertatémque piorum capere.

Fulmina Papalia, extremum impietatis perfugium.

Hic vir impetum tot tantorúmque inimicorum ſolus ſuſtinuit, nulla alia munitus defenſione, quàm authoritate veritatéque Scripturarum ſanctarum, in quibus firmamenta & arma fidei conſtituta habebat. Vt autem doctrina ſua plus roboris aduerſus aduerſarios obtineret, authoritatem veterum Eccleſiæ doctorum proponebat, ſed in iis tantùm modo, in quibus cum ſanctis Scripturis planè conſentire videbantur, demonſtrans ac teſtificans, nullam aliam eſſe veritatem, quàm eam quæ in literis diuinis contineretur. cæteros verò Legum ac Decretorum eccleſiaſticorum Doctores & fabricatores omnino repudiabat, neque eos teſtes veritatis, ſed hoſtes atque euerſores eſſe iudicabat. Conſtanter aſſeuerabat, in Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti, accidentia ſine ſubiecto non ineſſe, id eſt, candorem formámque panis rotundã ſine ipſo pane nullo modo eſſe: ſed contra illã tranſſubſtantiationẽ (quam ſacerdotes non minus abſurdam quàm impiam commenti fuerunt) panem eſſe panem, & vinum ſuam naturam non mutare: ſed eam quam habet ante Sacramentum ſubſtantiam, in ipſo etiam Sacramento retinere. Argumenta autem quibus id probabat, nos alium in locum magis commodum reſeruabimus.

Tranſſubſtantiationis commentum.

Ipſa quidem veritas wicleuo magnam odij offenſionem conciliauit apud eos præſertim, qui maximas Eccleſiæ opes obtinebant. tametſi quandiu Edouardus Rex vixit, ſatis conſtat wicleuum ſtudio, fauore auxilióque hominum aduerſus inimicos non planè fuiſſe deſtitutum:

tutum:

tutum: niſi quòd vltimo eius Regis *anno,* Papæ *inſtinctu ab* Archiepiſcopo Cantuarienſi *comprehenſus fuit: & cùm adeſſent dux* Lancaſtriæ Henricúſque Perſeus, *ſilentium ei impoſitum. veruntamen dum nonnullorum potentiſsimorum* Principum *ſtudium beneuolentiámque recuperaſſet, ſilentio non diuturno vſus eſt. Interea* Richardus Edouardi *filius, mortuo patre regnũ excepit, anno* M.CCCLXXVII. Gregorius Papa, Richardũ Angliæ regem aduerſus Vuicleuum incitat. Tum *verò* Gregorius Romanus *pontifex nunquam deſtitit per literas, per regni* Epiſcopos, *per bullas ſuas nouum* Regem *ſolicitare, eiúſque animum per ſe generoſum & humanum, aduerſus* wicleuum *eiúſque doctrinæ ſtudioſos incitare.*

Et extat quidem Epiſtola reperta, quam Papa Gregorius ad Regem Richardum miſit: eam huic nos hiſtoriæ intexuimus, hoc exemplo.

CHariſsimo *in Chriſto filio,* Richardo Regi Angliæ *illuſtri,* Sal. *&c.* Regnum Angliæ, *quod* Altiſsimus *tuæ ſupponit poteſtati, glorioſum nempe potentia & abundantia facultatum, ſed glorioſius pietate fidei & ſacræ paginæ claritate choruſcũ, conſueuit viros producere diuinarum* Scripturarum *recta ſcientia præditos, maturitate graues, deuotione feruentes, & catholicæ fidei defenſores, qui non ſolùm proprios præceptis ſalutaribus inſtituebant, dirigebántque in* Diuinorum *ſemitam mandatorum, &c. Sed cum ingenti cordis amaritudine, plurimorum fide dignorũ ſuggeſtione percepimus,* Ioannem wicleff *rectorem eccleſiæ de* Lutter-wort, Lincolnienſis *diœceſis, ſacræ paginæ profeſſorem (vtinam non magiſtrum errorum) in illam nefandam & abominabilem prorupiſſe dementiam, quòd nonnullas propoſuerit concluſiones plenas erroribus, & manifeſtam hæreſim continentes, quæ ſtatum totius eccleſiæ ſubuertere & eneruare nituntur: quarúmque aliquæ, licet quibuſdam mutatis terminis, ſentire videntur peruerſas opiniones & doctrinam indoctam damnatæ memoriæ* Marſilij *de* Padua *&* Ioannis *de* Gauduno, Marſilius de Padua & Ioannes de Gauduno. *quorum liber per felicis recordationis* Ioannem Papam XXII, *prædeceſſorem noſtrũ reprobatus extitit & damnatus, &c. Cùm itaque venerabiles fratres noſtri,* Archiepiſcopus Cantuarienſis, *&* Epiſcopus Londinenſis, *à nobis mãdatum*

A. iij.

Papa Vvicleuũ incarcerari ſuadet, & ad ſe cauſam referri

acceperunt, præfatum Ioannem *authoritate noſtra capiendi, & carceribus mancipandi, eiúſque confeſsionem ad nos tranſmittendi, ſi in proſecutione huius negotij noſcantur fauore & auxilio tuo indigere, maieſtatem tuam (quemadmodũ & tui progenitores inclyti catholicæ fidei, cuius in hac parte res agitur, ſemper conſueuerunt eſſe & præcipui zelatores) requirimus, & deprecamur attentè, quatenus ob reuerentiam* Dei, *dictæ fidei & Apoſtolicæ ſedis & noſtrum intuitum, digneris præfatis Archiepiſcopo &* Epiſcopo*, aliíſque qui huiuſmodi negotium proſequuntur, in ipſa proſecutione, tui fauoris & auxilij patrocinium exhibere*. P*roinde præter humanæ laudis præconium,* D*iuinæ retributionis præmium, noſtram & dictæ ſedis gratiam & beneuolentiam adepturus ampliorem.* D*atum* R*omæ apud* S. M*ariam maiorem,* I I. C*alend*. I*unij*, A*nno pontificatus noſtri* V I I, M. CCC. LXXVIII.

H*æc ſunt argumentorum rationúmque firmamenta, quibus* P*ontifices* R*omani tuentur fidem* C*hriſtianã, quibus etiam mundo conantur perſuadere vſtulãdos eſſe eos quos hæreticos appellant: id eſt, eos qui ipſorum barbaram immanémque tyrannidem nullo modo ferre poſſunt: quam crudeliſsimè exercent non in corpora ſolùm, ſed etiam præcipuè in animas, quas* C*hriſtus* D*ominus tanto ſanguinis ſui pretio redemit. Sed ad inſtitutã de wicleuo narrationem redeamus.* I*s crudeliſsimis illorum interdictis miníſque coactus eſt aliquandiu obmuteſcere: ſed ita tamẽ, vt præclara pietas ac veritas, quæ antea exarſerat, poſtea eo ſilẽtio compreſſa, maiore vi eruperit, vehementiúſque hominum ſtudia accenderit*. I*taque nactus hominum veritati fauentium opportuna tum ſtudia tum auxilia, iterum pia dogmata propoſuit ac protulit*. N*eque aduerſarij hac in re ſibi defuerunt: ſed iiſdem animis ſtudiíſque conſpirantes, omnes ſuas vires renouarunt, confirmarunt, cóque contulerunt, vt hanc puriſsimã lucem extinguerent, quæ tũ primùm radios in mundũ horrendis ignorationis tenebris occupatum, mittere incipiebat.* N*eque vero hîc* P*apa dormiebat: ſed omnia potius & tẽtabat & agebat: vt ad ſæuitiam & crudelitatem eorum animos acueret atque incitaret, qui per ſe ad eius nutum & arbitrium maximopere erant accommodati, per literas ac bullas eos ad omnem offenſionem exacerbans, qui ſua*

Vvicleuus incœptam veritatis profeſſionem proſequitur

ſponte

ſponte veram ſalutis doctrinam oderant. Inter eas *ſunt quædã exempla literarum eius, quæ proferri poſſent: quæ quidem nihil aliud continent, quàm comminationes bar̃baras, immania tyrannicáque interdicta, atque verba homine planè indigna, eóque digna potius, cuius* Vicarius *cùm ſit, etiam illius ſæuitiam malitiámque imitatur, id eſt, Satana, cuius ab ore atrociora & crudeliora quàm hæc ſunt, prodire non poſſent.* Itaque *monachi ac ſacerdotes quidam, quaſi titiones inferorũ, cùm harum literarum acerbitate incitati, tum etiam crudelitate venerandi* Archiepiſcopi Cantuarienſis, *tum verò ſuo ipſorum furore incitati, præclarè cum ſuis* Epiſcopis *teſtificabantur, ſe, ne ſi de vita quidem ipſorum ageretur, velle ſuſceptam cauſam deponere aut negligere, ſed eam cum omni iuſtitiæ acerbitate perſequi.* Huiuſmodi *autem teſtificatio palàm à bonis illis viris* Eccleſiam *amantibus, maxima cum audacia adhibebatur, antequam concilium ipſorum prouinciale cogeretur.* Hæc *autẽ animi fortis & conſtantis in optima cauſa declaratio, & magnifica promiſsio, omni laude digna fuiſſet, ſi intellexiſſent quæ eſſet cauſæ æquitas & veritas, eámque cum integra animi conſcientia defendiſſent.* Monachorũ inſultus

Sed Deus, qui vanas cogitationes conſiliáque hominum paruo etiam momento ſæpe euertit ſua tum virtute tum bonitate, iſtorum motus atque impetus facilè compreſsit. Nam *cùm dies iudicij veniſſet,* Ludouicus *quidam* Clyfordus, *vnus ex aulicis proceribus,* Epiſcopos *adijt, eóſque grauiſsimè monuit, ne vllam iuridicialem ſententiam in* wicleuum *pronuntiarent.* Ita *eorum audacia & ſuperbia, quemadmodum monumentis proditum eſt, ſubitò concidit, vt ne verbum quidem, quod ad eam prohibitionem reſponderent, habuerint: ſic omnes erant conſternati.* Illud *præterea accidit, quod cùm* Epiſcopi *vnà cum* wicleuo, Lambeti *in ſacellum* Archiepiſcopi *conueniſſent, ciues* Londinenſes *liberè audactérque eò ingreſsi ſunt: eóque conuentu nonnihil perturbato, pro* wicleuo *verba fecerunt, cum ſumma teſtificatione ſuæ in illum voluntatis.* Quare *huiuſmodi piorum hominum ſtudijs adiutus & confirmatus, quum cauſam & rationem ſuæ doctrinæ teſtificans omnibus demonſtraſſet, ac bonis prudentibúſque approbaſſet, facilè inimicorum ſuorum inſidijs, difficultatibus, periculíſque eſt liberatus.* Ludouicus Clyfordus nobilis Anglus

Teſtificatio autem eius & confeßio hæc fuit. In principio proteſtor publicè, &c.

Longum eſſet concluſiones, quas cum ea teſtificatione coniunxit ac propoſuit, hîc referre: ſatis erit nõnullas hoc loco ponere, ex quibus cæterarum omnium vis, totiúſque doctrinæ eius ſumma æquitas & veritas facilè intelligi poterit.

Aliquæ concluſiones Ioannis wicleui, Lambeti in conuentu Epiſcoporum propoſitæ, anno M. CCCLXXVII.

Cõcluſiones aduerſus opes & auaritiam Cleri.

1 *SI aliqua à Principibus ac Regibus donatio miniſtris Eccleſiæ facta fuerit, in ea tacita intelligenda & obſeruanda eſt conditio, vt Deus honoretur, Eccleſia ædificetur. Niſi hæc conditio conſeruetur, Principes iure poſſunt ac debent id omne auferre quod in eos contulerunt: quæcunque vis excommunicationis contrà fulminare videatur.*

2 *Quòd ſi ad retinendas hoc modo, aut occupandas poſſeßiones & opes, hæc Papæ fulmina ſuam vim haberent, totus Clerus ex genere hominum auarißimorum conflatus, omnes mundi opes ac facultates ad ſe traheret.*

3 *Papa iure ac legitimè poteſt redargui reprehendíque ab ijs quos in ſubiectione ac poteſtate ſua habet: atque ad Eccleſiæ vtilitatem, tam à Laicis quàm à Cleris accuſari.*

4 *Nam quantumuis mangnus dominus ſit Papa, debet tamen ita ſentire atque exiſtimare, cæterorum ſe, etiam minimorum, fratrẽ eſſe.*

5 *Is quẽadmodũ cæteri peccare poteſt: atque ita fraternè & admoneri & corrigi debet, aliorúmque correctiones fraternè ac modeſtè audire. Imprimis verò ſi in eo aliqua eſt pertinacia, qua hæreſim aut errorẽ prauũ Eccleſiæque pernicioſum tueatur, tum quidem in eo non eſt metuenda reprehenſio & accuſatio vt periculum euitetur. Ita enim Paulus non eſt veritus Petrum palàm reprehendere.*

Aliæ ſunt multæ eius concluſiones, quibus Cleri Papalis vitia, abuſus peccatáque oſtendebat: atque etiam quàm iniuſtè maximorum prouentuum redituúmque poſſeßiones occuparent. Ego autem ſatis intelligere non poſſum, qui factum fuerit vt Epiſcopi wicleuum poſt hanc demonſtrationem confeßionémque doctrinæ quietum ſine vlla

moleſtia dimiſerint. Fortaſſe, *quia ſunt in bonis rebus negligentia & inſcitia, eius concluſiones non legerunt, aut ſi legerunt, intelligere non potuerunt.* Paulò pòſt *Gregorius* Pontifex è vita deceßit. *Cuius quidem mors* wicleuo, *ad ea quæ iam ſuſceperat agebátque, percommoda accidit. Statim poſt eius mortem ſuſcepta eſt ſumma acerbáque contentio inter duos* Pontifices, *quorum alter in Gallia, alter* Romæ *creatus fuit. Hoc autem hoſtile diſsidium triginta fermè annos inter eos fuit, belláque ſuſcepta grauia, & maxima hominum multitudo propter duorum nebulonum ambitionem interijt.* Eodem tempore in Anglia *grauis & periculoſus belli motus extitit, triēnio inter plebem & nobiles excitatus, qui regnum illud vehementer perturbauit.* Ea *in ſeditione* Archiepiſcopus Cantuarienſis, *Simon de Sutburia nominatus, à ruſticis hominibus comprehenſus, capite truncatus eſt.* Huic *in eo* Eccleſiæ *munere atque honore ſucceßit* Guilielmus Courtnæus, *qui omnem curam, ſtudium, operam ſuam in id vnum contulit, vt piis ac fidelibus hominibus bellum faceret, cóſque omnibus iniuriis ac moleſtiis deuexaret.* Interea *numerus eorum qui cauſam doctrinámque* wicleui *ſectabantur, in dies augebatur ſingulos, donec* Guilielmus *quidam* Bertonus, Oxonienſis Vniuerſitatis *(vt vocant)* Cancellarius, *ad eos comprimendos inſurrexit.* Hic *octo* Doctores *ex monachorum ordine, quatuórque ex alio profeßionis genere conuocauit, atque alios quoſdam ſuarum partium homines adhibuit, quorum omnium ex ſententia & authoritate huiuſmodi literæ conſcriptæ fuerunt, ac publico* Vniuerſitatis *ſigillo obſignatæ, quibus grauißimis cum minis ſtudioſi ac literati eius academiæ homines à diſciplina* wicleuiana *arcebātur.* A*deò vt niſi* wicleuus *& ij omnes qui eius cauſam adiuuabant, reſipiſcerent, poſt tertiam & publicam præciſámque admonitionem conijcerentur in cacerem, grauißimóque excommunicationis genere afficerentur ac notarentur.* Itaque wicleuus *quum præclara interdicta accepiſſet, etſi nihil animaduertebat in his eſſe quod magnopere pertimeſcendum videretur, tamen relicto* Papa *totóque illius presbyterio, ad authoritatē atque amplitudinem* Regis *prouocauit.* Sed *dux* Lancaſtriæ *interueniens, hominem monuit ne quid tale attentaret: ſed potius ſe cognitioni cenſuræque ſui* Iudicis *ordinarij ſubmitteret. Quare cùm in*

Inteſtinum & graue bellum in Anglia

his anguſtijs difficultatibúſque verſaretur, confeſsionem iterum doctrinæ ſuæ offerre coactus eſt, in qua quidē huiuſmodi moderatione vſus eſt, vt æquiores paulò aduerſarios & placatiores habuerit. Anno ſequenti, qui fuit M.CCC. LXXXII. *Guilielmus* Archiepiſco-*pus* Cantuarienſis *iterum concilium* Londini *adhibendum curauit, in quo* wicleuus *adeſſe iuſſus eſt.*

Hoc *quidem loco minimè ſilentio prætereundū eſt quod tunc diuinitus euenit.* Nam *cùm ipſe* Archiepiſcopus *cæteríque eius ſuffragatores ac fautores, in his etiam doctores* Theologiæ, Legúmque ac Decretorum *profeſſores, cum maxima monachorum ac ſacerdotum turba* Lōdini *in clauſtris* Dominicanorum *conueniſſent, vt hora poſt prandium ſecunda de libris* wicleui *omnibúſque eius opinionibus deliberarent, ingens & terroris plenus terræ motus in vniuerſo* Angliæ *regno factus eſt.* Epiſcopi *eo terrore quaſi ſiniſtro quodam omine attoniti & conſternati, cenſebant vt cauſa ſuſcepta ſuperſederent: ſed* Archiepiſcopus, *huius totius belli dux, multò audacior quàm prudētior, id quod acciderat aliam in partem interpretatus eſt, atque ſuos in propoſita re ſuſceptáque ſententia vehementius obfirmauit.*

Terræmotus in regno Angliæ

Hi *omnes cùm* wicleui *concluſiones diſcußiſſent, non ex authoritate diuinorum oraculorum, ſed ex libidine acerbißimorum odiorum tandem pronuntiarunt, quaſdam earum eſſe plane hæreticas, alias mixtas ex vtroque genere, quæ non minus erroris continerēt quàm veritatis, quas ſemierroneas appellabant: nonnullas verò irreligioſas, & cum offendiculo coniunctas, & quæ parum diſciplinam curiæ* Romanæ *ac* Pontificiæ *redolerēt.* Rurſus Archiepiſcopus *venerabiles* Doctores & Magiſtros *noſtros conuocauit, in illúdque conciliū,* Riggæū Cācellariū *vnà cum procuratoribus* Vniuerſitatis Ioanne Huntemano & Gualtero Daſcho, *& altero quodā qui* M. Bryt- wellus *dicebatur, in quos omnes certas ſuſpiciones ſectæ ac diſciplinæ* wicleuianæ *criminoſè cōferebat.* Primùm *illi tergiuerſando, excuſando, verbáque ambiguè interpretando elabi conabantur.* Deinde *cùm hæc illis ſubterfugia nihil prodeſſent, apertè quid ſentirent confiteri coacti ſunt, cum huiuſmodi tamen teſtificatione, quòd eas concluſiones, vt verba quidem ſonant, hæreticas erroneáſque eſſe inuiti concederent.* Cancellarius *poſitis in*

terra

terra flexíſque genibus orauit veniã, atque eã per Epiſcopum winton. deprecatorem impetrauit: ea tamen conditione, vt domum ſuam reuerſus, quum diligenter inquiſiuiſſet, os omnium eorum obſeruaret quos wicleuo, Herfordo, Repyngtono, Aſtono, Bednamóque adeſſe ac fauere comperiſſet: eodémque tempore concluſiones wicleui antea condẽnatas in ſummo templo vniuerſo populo recitaret. Cæteros etiam quoſcunque reperiſſet fautores eius ſectæ, ad abnegationem aut ipſorum purgationem cogeret.

Ac cùm Cancellarius reſpondiſſet ſe id nõ auſurum facere in tanto propoſito ſibi vitæ periculo: Quid, inquit Archiepiſcopus, Oxonienſis ciuitas huiuſmodi fautoribus adeóne eſt referta, vt nullus in ea locus catholicæ veritati reperiatur? Poſtero die, quum res ad conſilium relata fuiſſet, conſiliarij regij Cancellario iniunxerunt, vt quod mandatum erat ab Archiepiſcopo, exequeretur. Is tunc hoc cum mandato domum ſuam reuerſus eſt. Tunc inter partes ſumma diſsidia & odia exerceri augeríque cœperunt. Imprimis verò monachi, vt tantorum motuum authores, in maximam inuidiã atque odij offenſionem vocabantur. Ex eorum numero fuit quidam monachus Ciſtertienſis, Henricus Crompeius theologiæ ſtudioſus, qui ab Epiſcopo in crimen hæreſeos vocatus eſt. Nam cùm eo tempore Lolardos appellarent eos qui rectè ac piè de religione ſentirẽt, ab actibus, vt loquuntur, per Cancellarium ſuſpenſus eſt. erat enim primum tantummodo ſtudij ſui gradũ conſequutus, qui Bacalaureis deferri ſolet. Itaque is ſtatim Londinum profectus, apud Archiepiſcopum totúmque Regis conſilium, de ignominia iniuriáque grauiter conqueſtus eſt: quæ fuit cauſa vt Cancellarius Riggæus cum procuratoribus iterum accerſeretur, ídque cùm Regis nomine tum verò totius conſilij ſententia atque authoritate. Sed eius rei totius Archiepiſcopus præcipuus erat author & inſtigator. Tunc denuò Cancellario mandatum eſt, vt hæreticos conquirendos perſequendóſque curaret. itaque Philippus Repyngtonus & Nicolaus Herfordus ea de re clàm à Cancellario certiores facti, illico ad Ioannẽ Lancaſtriæ ducem confugerunt. A quo repulſi, ad iudicium cenſurámque Archiepiſcopi reiecti fuerunt. ſed de his poſtea aliquid memorabimus. De wicleuo autem quid factum fuerit incertum eſt: niſi quòd

Oxonienſis academia acuſatur.

Henricus Crompeius

Ioannes Lancaſtriæ dux

waldenus vitam Wicleui descripsit.

ex waldeno, qui hæc literis prodidit, intelligere poſſumus, illum in exilium miſſum fuiſſe, poſteáque in parochiam ſuam reuerſum, cuius erat Paſtor, in Domino vltimũ diem ſuũ obiuiſſe, anno M.CCC.LXXXVII, menſe Decembri iam deſinente. Anno poſt ipſius mortem XLI, eiuſdem oſſa iuſſu Pontificis effoſſa fuerunt, ignéque vſtulata, atque in cinerem redacta in aquam coniecta ſunt. Qua in re videntur Epiſcopi id metuiſſe, quod Phariſæi ipſorum parentes, antè in Chriſto Domino metuerant, ne reuiuiſceret. at Chriſtus in ſuis nõ moritur, ſed viuit, viuétque perpetuò, quamuis iſti ſuam ſæuitiam & crudelitatem non in viuos ſolùm, verumetiam in mortuos exerceant. Porrò wicleuus complura ſcripſerat opuſcula, quæ Oxoniæ in ignem coniecta, concremata fuerunt anno M.CCCCX, præſente Abbate Salopiæ, Vniuerſitatis Cancellario. Magnopere optandum eſſet, vt nos hodie eos libros ſaluos haberemus: ſed tamen nullus tantus furor inimicorum facere potuit, quin aliquos Eccleſiæ ſuæ Deus conſeruarit, eáque re ſuam curam beneuolentiámque in eam declarauerit, cùm ſerui ipſius ac miniſtri, fideles homines, non in ſua ſolùm vita Eccleſiæ ſeruiant, verumentiam poſt mortem: memoria videlicet ipſorũ & doctrina fideliſſimis literis tradita & conſeruata. Inter cætera eius ſcripta, extat Epiſtola ad Vrbanũ Pontificẽ, miſſa anno M.CCC.LXXXIIII, quæ breuem & piam (vt tum ea ferebant tempora) fidei eius confeſſionem complectitur.

Oſſa Wicleui effoſſa, igne combuſta

Neque verò cognitione indignũ videtur, quod idẽ wicleuus Richardo ſecundo Angliæ Regi, anno regñi eius primo reſpondit, cùm is ab illo quæſiuiſſet quódnam eſſet Regis ius, & quæ Pontificis Romani poteſtas. Reſponſio autem extat ſcripta in hiſtoria Ioannis Foxi Angli, qui ea quæ ad wicleuum pertinent diligentiſſimè collegit. Ex qua reſponſione facilè intelligi poteſt, quemadmodum iura Principum ac Regum ſunt tuenda aduerſus libidinem eorũ qui ſui immemores officij, contra verbum Dei omnia volunt occupare, atque ita impium dominatum confirmare. Cæterùm cùm ille multos in vita ſua aduerſarios inimicóſque habuerit, ex omnibus tamen nullos eſt expertus acriores atque acerbiores, quàm monachos ac ſacerdotes, & eos qui in Eccleſia regnum ac dominatum occuparunt. Hoc autem propterea commemoratur,

Iura Principum

moratur, vt intelligatur veritatem facilem habiturã locum acceſſúmque ad homines, niſi ambitio inexplebiliſque auaritia horum Phariſæ*orum, aditum ei intercluderet.* Idem *tamen amicos nonnullos habuit, quorum fidem & beneuolentiam erga ſe, egregiúmque & conſtans in cauſam ſuſceptam ſtudium expertus eſt, non modò ex infimo hominum ordine, ſed ex eo genere quod in aula apud* Regem *plurimũ gratia authoritatéque valeret.* Ex *eorum numero atque etiam ex equeſtri ordine hi referuntur,* Ioannes Clauuoius, Ludouicus Clyffordus, Richardus *Sturius,* Thomas Latimerus, *Guilielmus* Neuillus, Ioannes Montacutus, *qui cunctas in* Eccleſia *ſua imagines eſt demolitus.* His *etiam accedebat* Comes Salburienſis, *in cuius morte hoc attentè accuratéque fuit animaduerſum & grauiter notatum, quòd auricularem confeſſionem* Papiſticúmque *deum in ipſo pane incluſum & oblatũ, indignius repudiare viſus ſit.* Neque *verò* Ioãnes *de* North*amptonia prætor* Londinenſis *prætereundus eſt, qui monitu inſtinctúque* wicleui, *in impudicos ſcortatores atque adulteros grauiter animaduertebat, vt non ſolùm eos qui flagitioſè aliquid cõmiſerant, ignominia afficeret, verùm etiam cæteris hac vtens ſeueritate, ſublatáque omni impunitate, flagitiorum materiã & licentiam tolleret.* In *eundem numerum eſt aſcribendus* Ioannes Cobhamus, *qui apertè ingenuéque eſt confeſſus, ſe nunquam peccatum ex animo antè odiſſe, quàm doctrina* wicleui *imbutus atque inſtitutus cognouit quantoperè peccatum ſit deteſtandum. atque hi quidem ſumma authoritate dignitatéque præſtabant.* Ex *communi autem multitudine hominum infimáque conditione permulti erant, qui illius doctrinam diſciplinámque amplexi, omni ſtudio propugnabant ac defendebant: ſed inſigne ſtudium* Oxonienſium *extitit, ex quibus tamen nullus* Eccleſiaſticorum *tyrannorum oppreſſionem crudelitatémque euaſit. Aut enim ignominia turpiter affecti fuerunt, aut igne crudeliter vſtulati.*

Equeſtris ordinis viri Wicleuo fauent.

Comes Salburienſis

Maior Lõdinenſis.

Infimę etiã ſortis homines doctrinam Wicl. amplectuntur

De Herfordo *autem &* Repyngtono *quædã ſuprà memorata fuerunt. nunc hic locus poſtulat, vt repetitam de his hiſtoriam ea breuitate complectamur ac perſequamur, quam & temporis & huius libri ratio requirit.* Herfordus *igitur cùm diu fauiſſet* wicleuo, *eiúſque cauſam & doctrinam optimo & conſtantiſſimo ſtudio ſectatus eſſet, in*

Hiſtoria de Herfordo & Philippo Repyngtono.

ſuſpicionem eius amicitiæ ab inimicis venire cœpit, & cùm is apertius liberiúſque quædam in ſuis concionibus profiteretur, quæ ad defenſionem wicleui *pertinebant,* Carmelitæ *cæterorúmque ordinum monachi animo exacerbati, multas ei hæreſes intentarunt, ex ipſius concionibus excerptas, atque certam in formam per* Notarios *redactas.* F*uit quidam cucullio ac nebulo* Carmelita, Petrus Stokyſeus, *cuius præcipuè opera id factum eſt, vt ſunt homines improbi, eáque vitæ monaſticæ diſciplina ita praui, vt ad huiuſmodi odiorum, diſsidiorum, motuúmque incendia excitanda & augenda nati eſſe videantur: in cæteris homines inertes, ignaui, inepti, ac planè inutiles.* Euenit au*tem anno* M. C C C. L X X X I I, *vt* Nicolao Herfordo *in cœmiterio* Frideſ-widæ, *in ipſo Aſcenſionis feſto die ad populum eſſet concionandum.* H*ic iterum noua certamina in* Herfordum *excitantur, criminàque intentantur, quòd is* wicleuum, *vt virũ bonum, fidelem, piúmque defendiſſet.* Dies *etiam corporis* Chriſti, *vt vocant, aduẽtabat: quo die* Repyngtoni *concio ſummis fidelium ſtudijs expectabatur.* Hic *canonicus erat* Liceſtrẽſis, *eò iam progreſſus in theologia, vt ad primos doctoratus gradus prouectus eſſet, reliqua eius ſtudij inſignia ornamentáque expectans.* Quo *quidem tempore concionem ad* Braclẽſes *quandam habuit, propter quam in grauem* Phariſæorum *ſuſpicionẽ offenſionémque incurrerat. Sed cùm ſumma eſſet ingenij ſuauitate, morúmque atque orationis comitate & moderatione, animos hominum ſibi infenſos ita vel vicit vel mitigauit, vt ſumma illa inſignia doctoratus, honoréſque propoſitos, cũ maxima omniũ approbatione adeptus fuerit.* Cùm *verò id quod voluerat ac vehementer expectarat, conſecutus fuiſſet, in ſuſcepta huiuſmodi perſona fabulã acturus tali actore non indignam, tandem prodijt, ac bene cælatũ diſsimulatúmque ingenium prodidit, teſtificans ſe* wicleuum *defenſurum in ijs quidem omnibus quæ ad rationem morum pertinerent.: in doctrina verò & quæſtione quæ de Sacramento haberetur, ne verbum quidẽ vllum facturum, quò ad* Deus *Eccleſiaſticorum animos illuminaſſet. tamen monachi ac ſacerdotes egerunt cũ* Archiepiſcopo Cantuarienſi, *vt eo ipſo die & hora qua concio habenda erat, concluſiones* wicleui *priuatim antea condemnatæ, in publico conuentu conſeſſúque totius* Vniuer*ſitatis*

Petrus Stokyſeus.

Herfordus Wicleui aſſertor.

Repyngtoni concio.

ſitatis proponerētur, ſummáque infamia notarentur. A*ſtutè quidem & callidè: ſi tamen vlla eſſet hominum calliditas & prudentia, quæ aliquid aduerſus conſilium* Domini *valeret. Vt breui dicam, negotium datum eſt* Petro *Stokyſeo, qui vnus monachorum erat primarius miles, & quaſi ſignifer, in cuius animo non minus erat audaciæ, quàm in fronte atque ore impudentiæ: ſimúlque datæ ſunt literæ ad* Cancellarium, *vt is pro ſua authoritate poteſtatéque, monacho impudentiſſimo atque audaciſſimo in publicandis concluſionibus adeſſet.* Cancellarius *eo tempore erat* Robertus Riggæus, *qui ocultè quidē, ſed tamen ſtudioſè omnia agebat, quibus* Euangelium *in aliquam* Eccleſiæ *cognitionem ac ſuam poſſeſſionem venire poſſet. Itaque is acceptis* Archiepiſcopi *literis, ſimúlque intellecto* Carmelitæ *conſilio, non minus pernicioſo* Eccleſiæ *quàm improbo, maiorem in modum eſt animo in fraterculum commotus, atque exacerbatus pergrauiter, de eo eiúſque ſimilibus conquerens, meritò quidem & iure optimo, vt quos omnem* Vniuerſitatis *ſtatum perturbare, omniáque tum ſtudia tum etiam priuilegia labefactare diceret, affirmans nec quidem ipſos* Epiſcopos, *neque* Archiepiſcopum, *ne in cauſa quidem hæreſis ac religionis poteſtatem vllam habiturum.* Poſtremò, *capto cum procuratoribus ac cæteris conſilio, apertè nec diſſimulanter teſtificatus eſt, ſe* Carmelitæ *nullo modo ea in re affuturum. Quid opus eſt longa oratione?* Repyngtonus *ad concionandum ſuggeſtum conſcendit: vbi inter alia hoc acerbius exceptum notatúmque, quòd affirmaſſet, pro* Regibus *ac* Principibus *ciuilibus preces prius adhibendas eſſe, quàm pro* Pontifice *atque* Epiſcopis*: eóſque iſtis in hoc genere commendationis atque precationis eſſe præferēdos. Deinde quòd* Dux Lancaſtriæ *ſingulari eſſet in hanc cauſam ſtudio ac voluntate, vellétque ſuam in clientelam tutelámque eos recipere, quos ab ea diſciplina non alienos habere animos intellexiſſet.* Dixit *præterea quædam alia, quæ ad* wicleui *laudem ac defenſionem pertinebant.*

Riggæus Oxoniæ Cancellarius.

Concio altera Repyngtoni.

H*ac habita concione,* Repyngtonus *ſe in templū* Frideſ-widæ *recepit, amicis quibuſdā ſtipatus, quos inimici ſub veſtibus armatos eſſe ſuſpicabantur & criminabantur.* Carmelita, *miles ſtrenuus, verbera metuens non auſus eſt prodire: ſeque intra templi aſylum continuit.*

Cancellarius & Repyngtonus dimiſſa cõcione, placidè ac quietè ſine vllo tumultu ſe domum ſuam receperunt. Permulti in tota Vniuerſitate ea concione maximoperè lætati ſunt. Interea Carmelita, homo turbulẽtus ac ſeditioſus, quieſcere non poterat: ſed ilicò quæ erant geſta ſingula Archiepiſcopo diligenter accuratéque expoſuit, ſua pericula exaggerans commemorauit, opem ac fidem Archiepiſcopi implorauit: nihil denique prætermiſit, quod ad animum illius Præſulis per ſe ſatis accenſum, magis adhuc inflammandum pertinere videretur. Triduo pòſt, Carmelita quũ id quod voluiſſet impetraſſet, prodijt quaſi quidã gladiator, minas & hæreſes intentans: propoſuit venire in ſcholas, probaréque Papam atque Epiſcopos in precibus ad Deum adhibendis commendatiores potioréſque quàm Principes ac Reges eſſe oportere. Sed dum hæc ageret ſumma cum irriſione, acceptis literis Londinũ ad Archiepiſcopum ſuum profectus eſt. Nec mora interpoſita ſequitur Cancellarius cũ Bryt-wello, purgaturus ſe aduerſus ea crimina, quæ ſciebat monachum ad Archiepiſcopum aut iam detuliſſe aut delaturũ eſſe. ibi cùm eſſent interrogati de concluſionibus damnatis, victi conſenſerunt, iuréque cõdemnatas fuiſſe reſponderunt. Cancellarius verò accuſatus de contemptu literarũ quæ ad ipſum miſſæ fuerant, cùm nihil haberet quod ad defenſionẽ afferre poſſet, ita deſtitutus & abiectus genua in terrã poſuit, veniámque ſupplex poſtulauit. eam quemadmodum impetrarit, ſuperuacaneum eſſet hîc referre.

Riggæus cancellarius Oxonienſis cauſam agit apud Archiep. Cantuariẽſem.

Herfordus & Repyngtonus ſine vlla dilatione ilicò excommunicati, ad Ducem Lancaſtriæ, vt ad præſidiũ ſalutíſque perfugium ſe contulerunt. Tum ibi miniſtri Pontificis, ſerpentes ad calcaneum Chriſti perſequendum venenati ſempérque parati, præſto fuerunt vt omne miſericordiæ perfugiũ tollerent. Quibus quidem Dux initiò ſatis ſe difficilem, atque ab eorum poſtulatione alienum auerſúmque præbuit. poſtea verò victus Põtificiorũ importunitate, eos deſtituit qui ad ipſius fidẽ atque opẽ cõfugiſſent. qui in carcerẽ cõiecti multas & graues moleſtias ſunt perpeſſi: ac deinde carcere emiſſi ac liberati, ad honores etiã eccleſiaſticos euecti, varietatem animi atque iudicij Euangelio indignã declararunt. Nos autem hæc de his tribus commemorare voluimus: non vt conſtantiam eorum ac firmitudinem in fide oſtenderemus,

mus, ſed potius vt omnibus demõſtraremus quàm inexplebilis & crudelis cupiditas fundẽdi innocentis ſanguinis iampridẽ ſolet eſſe in eo hominũ genere, qui veritatẽ nullo Eccleſiæ *loco cõſiſtere pati poſſunt. Sed, vt ait* Liuius, *veritas laborare poteſt, opprimi tamẽ nunquã poterit. Quantumuis affligatur hominũ iniuria & iniquitate, victrix tamẽ virtute eius qui ipſius author eſt, omnia hominũ mẽdacia, difficultates periculáque ſuperabit.* Nõ *facilè fieri poteſt vt colligãtur omnia* Martyrũ *exempla, actáque eorũ qui in omnibus propè mundi regionibus ſanguinẽ ſuũ profuderunt vt veritatẽ tuerentur, neque ea amplecterẽtur quæ iniuſtè ab hominibus & auaris & ambitioſis in* Eccleſia *ſunt conſtituta, & violẽter* Chriſtianis *impoſita.* Quidam *eorum fraudulẽter circunuenti fuerunt, alij coniecti in carcerem, alij torti publicè & excruciati, permulti in carceribus extincti ſunt faméque necati, aut alio quodã mortis genere affecti, intra occultos parietes interierunt.* Quis *verò vlla oratione complecti poſſet infinitum propè numerum eorum, qui ſupplicia publicè conſtituta ſunt perpeſſi: & aut varietatem atque acerbitatem tormentorum, aut crudelitatem ac ſæuitiam tyrannorum carnificúmque ſcribendo aut dicendo aſſequi?* In *hac tamen tanta tormentorum magnitudine, multitudine ac varietate, iſtud quidem verè dici poteſt, omnes propè* Papas, *qui* Romæ *dominatum occuparunt, eodem animi odíque furore in fideles atque innocentes ſeruos* Dei *affectos incitatóſque fuiſſe.* Eadem *fuit ratio eorum omnium & perſequendi & condemnandi, extinguendíque eos qui ad ipſorum impietatem ac libidinem ſe accommodare noluerunt.* Neque *verò id mirum videri debet, quum vno ſpiritu impulſi atque incitati, in* Chriſtum *membráque eius &* Euangelium *ſemper conſpirauerint, atque omnem animi inimiciſſimi infeſtiſſimíque impetum contulerint.* Is *autem ſpiritus eſt* Diaboli, *qui iam inde ab initio mundi homicida & pater mendacij, furioſus gloriæ* Dei *inimicus, omnis author iniquitatis, dolorum ac fraudum fabricator, effectórque omnis abominationis atque impietatis extitit.*

Paulò *pòſt in hoc libro proditum literis reperietur, cẽtum & quadraginta homines* Narbonæ *crudeliter cruciatos fuiſſe, qui maluerunt vim ignis cõſtanter perpeti, quàm ea amplecti, quæ à* Romanis *Ponti-* C. & XL. Narbonæ combuſti.

ficibus profecta, & præter omnem veritatem verbi Dei *tradita, eis credenda obſeruandáque offerebantur.* Illud etiam extat ſcriptum in *quibuſdam alijs monumentis, anno* M. CC. X. Lutetiæ Pariſiorum

XXIIII Martyres Lutetię ſupplicio affecti. *vgintiquatuor* Matyres *ac teſtes, eadem de cauſa ſupplicio affectos extinctóſque fuiſſe.* Deinde *anno ſequenti, quadringentos homines eadem in vrbe crematos atque vstulatos, præclarum fidei ſuæ in Chriſtũ,*

CCCC Mart. igni traditi. *ac veræ pietatis teſtimonium dediſſe.* Alios *verò octoginta extitiſſe,*

LXXX obtrũcati. *quibus ob eandem cauſam religionis, & conſtantem confeſsionem, caput amputatum fuit.*

Ex *eo piorũ ac fidelium numero,* P*rincipem* A*rmerici ſuſpenſũ fuiſſe laqueóque ſuffocatum:* D*ominam verò* C*aſtri, lapidibus obrutam.*

Beghardus in Germania crematus. Beg*hardus in crimẽ hæreſis vocatus,* E*rphurdiæ in* G*ermania crematus fuit, anno* M. C C. X V I I I. Q*uatuor annis poſt,* O*xoniæ in* A*nglia,* D*iaconus quidam idem ignis ſupplicium & tormẽtum paſſus eſt.* C*antipratẽſis hiſtoricus author eſt, in* C*ameracenſi regione* D*o-*

Apud Cameracẽces multi exuſti. *minicanos quoque huiuſmodi vim ignis cruciatũque in eos explicuiſſe, quos in ſuſpicionẽ hæreſis vocauerãt.* Q*uòd ſi memoria ætáſque remotior & antiquior eſt repetẽda, cognoſcetur anno* M. C. L X X X I I. *multos in* G*allia propter eandem ſuſpicionem combuſtos fuiſſe, quorum quidam* P*ublicani, alij* C*athari, aliqui* P*aterini, alij aliorum nominum infamia notabantur, atque in ſummam hominum inuidiam & of-*

Ante wicleuum multi Martyres. *fenſionem adducebantur.* N*ec multum* wi*cleui tempora præceſsit* R*ichardus* D*ominicanus, quem* H*eidelbergæ prauæ impiæque opinionis damnatũ, certiſsimi ſcriptores tradiderunt, anno* M. C C C. X X X.

Albigenſes I*idem etiam authores ſunt,* I*oanne in* A*nglia regnante,* A*lbigenſes vſitatum ignis ſupplicium perpeſſos eſſe.* I*oannes* B*acon memorat anno* M. C C C. V I. E*remitam quendam ab eodem hominum genere appetitum vexatúmque fuiſſe, quòd in publicis concionibus affirmaret,* S*acramenta quæ tum vſurpabantur in* E*ccleſia, nõ eſſe ea quæ à* C*hriſto inſtituta fuiſſent.*

Sed vt ad tẽpora wi*cleui redeamus, nõ aliena huic hiſtoriæ videtur*

Ioannes Aſton Oxoniæ artium profeſſor. *eſſe memoria* I*oãnis* A*ſton* O*xoniẽſis, hominis eleganter eruditi, qui in cauſa & doctrina* S*acramẽti ab* A*rchiepiſcopo* C*ãtuariẽſi, vt hæreticus condemnatus, atque in carcerem cõiectus eſt, ibíque incluſus interiiſſe*

teriiſſe dicitur.

Ab eo anno M. CCCC. *omnes perſecutiones, quæ iandiu vigēt in* Eccleſia,*principium duxerunt,præcipuámque vim maximarum oppreßionum & confuſionum acceperunt. Anno ſequenti, qui fuit* M. CCCCI, & XIII. *poſt mortē wicleui,eo tempore quo* Henricus IIII. *in Anglia regnabat,*Lōdini *in ſumma curia factum eſt edictum, quo omnes ij comprehenderentur qui diſciplinam wicleui ſectarentur, aut aliquo ſtudio fauoréque proſequerentur.*Eos *autem vulgò* Lolardos *appellabant.Quòd ſi qui eius doctrinā obſtinatius amplexi, retinuiſſent,vt hi primū* Epiſcopis,*deinde* Iudicibus *ciuilibus traderētur, mortéque afficerentur.* Eodem *anno quidā ſacerdos, quòd edicto non paruiſſet, cōprehenſus fuit, & in circo Smithfildenſi in frequentiſſimo hominum cōuentu vſtulatus. Sed hiſtoria quæ mox ſequitur, imprimis digna videtur quæ memoretur, & ab omnibus cognoſcatur.*Nā *anno* M. CCCCX. *fuit quidā laici ordinis opifex,qui grauißimū ignis ſupplicium admirabili conſtantia eſt perpeſſus.Is hanc fidei ſententiā tuebatur,Corpus* Chriſti, *quod in* Eccleſia Cœnáque *offertur, ratione magis Sacramenti ſigníque admonitorij ibi eſſe,quàm vlla loci circunſcriptione, aut ratione naturalis corporis.*Neque *verò vnquam à ſuſcepta opinione,vel potius certißima cognitione ac perſuaſione in eius animo facta* Diuinitus, *vllis minis aut blanditijs abduci vnquam potuit: ſed conſtanter genus mortis ac ſupplicij acerbißimum perferre maluit, quàm turpiter deſerere patrociniū veritatis, teſtimoniúmque ei ſuum denegare.*Hoc *modo permanens in ſua ſententia,*Magiſtratui, *quem brachium vocant ſeculare,per* Epiſcopos *traditus fuit.* Sentētia *condemnationis ipſius pronuntiata,vt dolio incluſus,lento igne paulatim cremaretur, in forum ſuburbanum deductus eſt: neque ea ſupplicij acerbitate territus animum vnquam abiecit, ſed infractū aduerſus omnes terrores retinuit.*Aderat *filius regis* Henrici *natu primus,eius ſupplicij tā triſtis & acerbi ſpectator,qui maiore permotus miſericordia quàm* Epiſcopi *qui illum crudelißimè perſequebantur,propius acceßit, monuítque humaniter vt ſuæ rationem vitæ haberet,atque opiniones illas deponeret: nihil denique prætermiſit,quò animum eius nō minaciter acerbéque infringere, ſed humaniter ac blandè poſſet in-*

Magnæ perſecutiones poſt Wicleui mortem

Lolardorū nomen.

Sacerdos quidam Suuinderbeus exuſtus.

Hiſtoria cuiuſdā fabri

Martyr dolio incluſus lento igne abſumitur.

flectere atque ad aliquam opinionis veritatem traducere, vt vitam illi conſeruaret. Sed ſtrenuus miles Ieſu Chriſti, *omnes blanditias atque illecebras principis humaniſsimi fortiter repulit, huiuſmodíque hominũ periculoſas tentationes ſuperauit, paratus quiduis potius perpeti, quàm in eam delabi impietatem, vt aliquid à veritate alienum contra conſcientiam ſuã confiteretur.* Itaque *intruditur in doliũ. quem ita incluſum ſimulátque flãma ignis omni ex parte dolij cœpit inuadere, horrendum miſerandúmque in modum exclamabat.* Hoc *tam horibili clamore commotus* Regis *filius, ad hominem ita miſerabiliter afflictũ cruciatúmque iterum acceſsit, vt ſi poſſet, eum ad aliquam ſuijpſius miſericordiam atque vitam reuocaret.* Iuſsit *ignis materiam ſemoueri ſubitò,, flammámque accenſam opprimi atque extingui. atque ita propius accedens, miſerum conſolatur hominem, promitens illi incolumitatẽ vitæ, ſi ipſius conſilia monitáque audire vellet: atque etiam liberaliter adiumxit, ſe* Regio *ex prouentu tantum pecuniæ ei curaturum, quantum ad victum quotidianum in reliquum vitæ tempus ſatis eſſet.* Rurſum *egregius hic miles domini noſtri* Ieſu Chriſti, *eam ſummã* Principis *oblatam liberalitatem eſt aſpernatus, gratiam & authoritatem ſummi ſui* Regis *ac* Principis *domini noſtri* Ieſu Chriſti *omnibus huius præſentis vitæ beneficijs præferens: neque verò minus ardens in animo* Dei *amore, quàm externo ignis ardore eius corpus inuadente & conſumente.* Tum *princeps cùm videret illum in ſua opinione obfirmatum, iuſsit eũ iterum dolio imponi & includi, ſine vlla ſpe gratiæ veniæque amplius recuperandæ. Sed quemadmodum nulla præmia & commoda eius animũ in amore* Chriſti *confirmatum inflectere potuerunt, atque ad fallacem huius vitæ amorem conuertere, ita nec vlla tormẽta & corporis cruciamenta infregerunt ac deterruerunt, quominus id quod veriſsimum eſſe ſentiebat, omni ſtudio periculo vitæ tueretur.* Ita *verum eſt quod ait diuus* Paulus, *nullam eſſe affectionum ac tentationum tantam magnitudinem, nullam vim poteſtatémque cæleſtem, terreſtrem, infernalem, quæ fideles electóſque* Dei *ab amore & charitate* Chriſti *poſsit diuellere.*

Admirabile & memoria æterna dignum conſtantiæ exemplum

Rom. 8. 38, 39

Papa *omnéſque eius adminiſtri putabant ſe effeciſſe, vt illa exigua veritatis ſcintilla, quam* Deus *in* Anglia *per* Ioannem *wicle-*

uum

uum accenderat, planè eſſet oppreſſa atque extincta: ſed prouidentia diuina rem contrariam in partem rationémque deduxit, atque opinionem impiorum hominum maximoperè feſellit. Nam *primam illam atque exiguam* Euangelij *lucem ita excitauit & auxit, vt eo ex regno poſtea in totum terrarum orbem diffuderit: atque ita mundum teterrimis tenebris oppreſſum, hoc tam ſalutaris cognitionis lumine accenſo illuſtrarit.* Res *autē hac ratione acta eſt:* Q*uidā erat ſcholaſticus in* O*xonienſi* V*niuerſitate, ex nobili* Bohemiæ *familia, nomine* P*iſcis-putris appellatus.* I*s libros* W*iclevi inſcriptos* De *vniuerſalibus, caſu quodam nactus eſt, quibus adeò eſt delectatus, vt eorū deſcripta exēpla ſecū in patriā reuertens, quaſi pretioſiſſimū theſaurum deportarit. hos autem libros duntaxat cōmodauit* Bohemis*, ſtudioſis hominibus, alienis tunc à* G*ermanis, quòd hi ſcholæ academiæque* P*ragēſi cum maximo* Bohe*morum dolore præerant.* Ex *omnibus ſcholaſticis ſtudioſiſque hominibus, qui in ea* V*niuerſitate tunc florebant,* I*oannes quidam ſumma erat exiſtimatione, tametſi loco obſcuro natus eſſet, ex quodam pago qui* H*us, id eſt* A*nſer, dicebatur, à quo cognomen ille accepit.* Hic *igitur* I*oannes* H*us, cùm eſſet acri acutóque ingenio ſummáque facundia, doctrinam* W*iclevi omni ſtudio complexus, ita cœpit* Germanos *in diſputationibus agitare ac vexare, vt, qui principatum quendam & dominatum in ea academia obtinebant, victi pudore locum facilè conceſſerint: cùm præſertim ij qui erant ex ipſo* Bohemiæ *regno, à rege* W*enceſlao impetraſſent, vt* V*niuerſitas* P*ragenſis ad formam rationémque* P*ariſienſis inſtitueretur ac regeretur.*

Scholaſticus cognomine Piſcis-putris.

Hus anſerem ſignificat.

E*a autem res* G*ermanos à gubernatione rectionéque ſtudiorum demouit.* I*taque ea rerum commutatione offenſi* G*ermani, cùm ſe mutuo iureiurando obſtrinxiſſent, plures duobus millibus vno eodémque die* P*raga diſceſſerunt, &* L*ipſiam, quæ vrbs eſt* M*iſniæ, à* P*raga trium dierum itinere remota, ſedem ſtudiorum ſuorum domiciliúmque tranſtulerunt.* B*ohemi autem poſtea gymnaſii diſciplinam pro ſuo iudicio atque arbitrio conſtituerunt & gubernarunt: ex quibus* I*oannes* H*us omnibus facilè præſtabat, cùm doctrina & eloquentia tum verò vitæ ſanctitate atque honeſtate commendatus. qui quidem hanc non mediocrem adeptus exiſtimationem atque authoritatem, cœpit in lucem pro-*

Diſceſsio Germanorum ab vrbe Pragenſi

ferre quod de veritate animo ſuo piè ſentiebat. Fuit *quidã ciuis* Pra*genſis,qui templum præclarum magnificúmque* extruxerat, *nomine* S. Matth*æi* Math*iæque nuncupatum,quod* Beth-*lehem appellabat*.In *eo etiam prouentus reliquit, ad alendos tuendóſque duos concionatores neceſſarios, vt hi lingua vernacula apud populum diebus tum feſtis tum etiam cæteris concionarentur.*

Ioannes H*us vnus ex duobus delectus fuit, qui cùm maximum animaduerteret populi in doctrinam ſuam ſtudium, cœpit apertè profiteri, quid de libris* wicleui *ſentiret ac iudicaret, planè affirmans in his omnem veritatem contineri:illud etiam ſæpe ſignificans,ſe poſt obitum ſuum nihil magis cupere, quàm animum ſuum ad eum locum in quo iam* wicleu*us quiete beata frueretur, peruenire: tam certum de illius viri tum doctrina tum vita iudicium faciebat, atque teſtimonium ei apud omnes dabat.Omnes propè ſcholaſtici ſequebantur* Ioannem Hus, *multíque alij homines non paruæ exiſtimationis,quibus cum etiam maxima pars nobilitatis coniuncta erat: quæ fuit cauſa, vt* Papa *&* *ij qui* Con*ſtantiæ congregati concilum habebant, eum euocauerint per* Sigi*ſmundum* Imp*eratorem, cuius interpoſita fide, quemadmodum poſtea cognoſcetur,euocatus fuit.*

Ioannes Hus.

Hiſtoriam & cauſam Ioannis Hus, in iudicio & foro Eccleſiaſticorum verſatam,quoniam omnia vt ſunt acta diligẽter complectitur, eo modo quo fuit ſcripta,cum his noſtris coniunximus,neque aliquid immutare voluimus, vt melius Lectores cognoſcant ea ſingula quæ in concilio Conſtantienſi acta & geſta fuerunt.

Beth-lehẽ templum.

IOannes H*us, quum officio concionatoris fungeretur* Prag*æ in templo* Beth-*lehem,ac* Chri*ſti* Euang*elium potius quàm humanas* Pont*ificum traditiones docere inſtituiſſet,ſuborti ſunt nonnulli,qui eum ad* Ioannem *eius nominis* XXIII.P*ontificem* Rom*anum, tãquam hæreticum detulerunt.*

Pontifex

Pontifex ipſe rem omnem Cardinali de Columna commiſit: qui audita accuſatione diem dixit Ioanni Hus, qua in curia Romana ſiſteretur. Quo facto, wenceſlaus Romanorum & Bohemiæ Rex, flagitante etiam id primùm coniuge ſua Sophia, deinde vniuerſa nobilitate Bohemiæ, quibus acceſſerunt preces totius vrbis & vniuerſitatis Pragenſis, legatos ſuos Romam miſit, qui peterent à Pontifice vt hoc iudicio Ioannem Hus liberaret: inuidioſè enim per quoſdam maleuolos accuſatum eſſe, neque poſſe eum propter inſidias ſine periculo Romam proficiſci. Wēceſlaus Bohemiæ rex.

Ipſe quoque Ioannes Hus, ante diem ſibi conſtitutum miſsis legitimis & idoneis procuratoribus in curiam Romanam, firmiſsimis rationibus innocentiam ſuam probauit, qua fretus exiſtimauit ſe facilè conſecuturum, ne coràm adeſſe propter periculum ad dictum ſibi diem cogeretur. Sed cùm Cardinalis de Columna cuius vnius iudicio & diiudicationi res tota permiſſa erat, nullam defenſionem admittere vellet, procuratores Ioannis Hus ad ipſum ſummum Pontificem prouocarunt. Quanquam ne hoc quidem vltimum refugium tantùm apud Cardinalem de Columna valuit, quin Ioannem Hus, cùm Romam ad diem ſibi conſtitutum non veniſſet, tanquam contumacem hæreticum, publicè excommunicatum pronuntiaret.

Sed tamen cùm procuratores ad ſummum Pontificem prouocaſſent, dati ſunt eis alij iudices, Cardinalis Aquileianus & Cardinalis Venetus cum aliis quibuſdam. Qui cùm in ſeſquiannum vſque rem extraxiſſent, tandem ad Cardinalis de Columna ſententiam redierunt: eáque confirmata mandarunt procuratoribus Ioannis Hus vt à defenſione deſiſterent: neque enim ſe amplius hoc paſſuros eſſe. Itaque cùm procuratores inſtare non deſinerent, quidam ex eis in carcerem coniecti, grauiter multati ſunt: reliqui infecta re in Bohemiam redierunt. Prouocatio procuratorum I. Hus

Cùm itaque Conſtantienſis ſynodus, Pontificis Romani & Sigiſmundi Romanorum & Hongariæ Regis, & aliorum Regum communi conſenſu indicta eſſet, datum eſt à Romanorum & Hungariæ Rege negotium nobilibus quibuſdam viris Bohemis, qui Ioannem Hus Conſtantiam adducerent, vt & ſe & totum regnum Bohemiæ liberaret ab ea infamia in quam propter falſæ & hæreticæ doctrinæ ſuſpi-

cionem incidiſſet. Quod vt tutò facere poſſet, miſſæ ſunt ei per eoſdem Nobiles literæ, nomine & mandato ipſius Regis *&* Latinè *&* Ger-*manicæ ſcriptæ, quibus publica fides continebatur.* Exemplum *earum ſubſcripſimus.*

SIGISMVNDVS DEI GRATIA ROMANOrum Rex ſemper Auguſtus, & Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, vniuerſis & ſingulis Principibus eccleſiaſticis & ſecularibus, Ducibus & Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Proceribus, Militaribus, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Poteſtatibus, Gubernatoribus, Præſidibus, Publicanis, Officialibus, quibuſcumque ciuitatum, oppidorum, villarum, & locorum communitatibus, ac Rectoribus eorundem, cæteríſque noſtris & ſacri Imperii ſubditis & fidelibus, ad quos præſentes literæ peruenerint, Gratiam regiam & omne bonum.

Tenor literarum ſalui conductus, vt vocant, ab Imperatore dati.

V*Enerabiles, illuſtres, nobiles & fideles dilecti, honorabilem* Ma*giſtrum* Ioannem Hus, *ſacræ theologiæ* Baccalaureũ *& artium* Magiſtrũ, *præſentiũ oſtenſorem, de regno* Bohemiæ *ad* Conciliũ *generale in ciuitate* Conſtãtienſi *celebrandũ in proximo, tranſeuntẽ, quem etiam in noſtram & ſacri* Imperij *protectionem recepimus & tutelam, vobis omnibus & veſtrûm cuilibet pleno recommendamus affectu, deſiderantes quatenus ipſum cùm ad vos peruenerit, gratè ſuſcipere, fauorabiliter tractare, atque in his quæ ad celeritatem & ſecuritatem itineris ipſius pertinent, tam per terram quàm per aquam, promotiuam ſibi velitis & debeatis oſtendere voluntatem, nec non ipſum cum famulis, equis & aliis rebus ſuis ſingulis, per quoſcunque paſſus, portus, pontes, terras, dominia, iuriſdictiones, ciuitates, oppida, caſtra, villas, & quælibet alia loca veſtra, ſine vlla ſolutione tributi, telonij, aut alio quouis ſolutionis onere, omníque prorſus impedimento remoto, tranſire, ſtare, morari & redire liberè permittatis, ſibíque & ſuis, cùm opus fuerit, de ſecuro & ſaluo velitis & debeatis prouidere conductu, ad honorem & reuerentiam noſtræ maieſtatis.* Datum Spiræ, *Anno* Do*mini* M.CCCC.XIIII, *die* Octobris XVIII, R*egnorum noſtrorum* Hongariæ, *&c. anno* XXXIII, R*omanorum verò* V.

Q*uamobrem* Ioannes H*us, cùm ſua ſponte tum patrocinio & tutela* Imperatoris R*omani fretus,* Conſtantiam *iter inſtituit. Sed priuſquàm* Praga *exiret, publicè ſignificauit literis* Latinè, Germanicè *&* Bohemicè *ſcriptis, & foribus templorum paßim affixis, de ſua profe-*

ctione

ctione, vt ſi cui ſuſpecta eius doctrina eſſet, hoc coram domino Conrado Archiepiſcopo Pragenſi*: aut, ſi malit, in ſynodo generali proponat. ibi ſe doctrinæ & fidei ſuæ rationem redditurum.*

Eodem *etiam tempore miſit* Ioannes Hus *ad* Nicolaum *epiſcopum* Nazaretẽſem*, inquiſitorẽ hæreticæ prauitatis, in ciuitate & diœceſi* Pragenſi*, à ſede* Romana *conſtitutum, cùmque rogauit ſi quid in eo erroris comperiſſet, vt publicè ſignificaret. ſed idem* Epiſcopus *reſpondit ſe multa ſæpius cum* Ioanne Hus *communicaſſe, neque vnquam cognouiſſe quicquam in eo indignum viro pio & fideli. idque ſuum de* Ioanne Hus *teſtimonium comprobauit ſuis ipſius literis, anno* M. C C C C. X I I I I. *die penultima menſis* Augusti.

Idibus *Octobris eiuſdem anni* Ioannes Hus*, comitantibus eum nobilibus dominis* wenceſlao *de* Duba *&* Ioãne *de* Chlum*, relicta* Praga*, iter* Conſtantiam *verſus eſt ingreſſus.* In *ipſis ciuitatibus quas tranſibat, præſertim ſi quæ fuerant alicuius nominis, publicis literis ſuam præſentiam ſignificauit, his propemodũ verbis,* Ioãnes Hus *iam pergit* Conſtantiam*, ad oſtendendam ibi fidem quam hactenus tenuit, & nunc tenet, & vſque ad mortem præſtante* Chriſto *domino tenebit. & ſicut antea per totũ regnum* Bohemiæ *notum fecit ſuas intimationes & literas volens in conuentu generali curiæ archiepiſcopalis* Pragenſis *de ſua fide rationem reddere, & ante exitum ſuum cuilibet aliquid ſibi obijcienti ſatisfacere, ita & in hac ſolenni* Imperialíque *ciuitate notificat, ſi vult aliquis errorem vel hæreſim aliquam imponere, vt ſe ad concilium præparet.* In *omnibus verò ciuitatibus, maximè verò cùm in* Germaniam *veniſſet, ingens ad eum multitudo confluxit, ab ipſis verò hoſpitibus per omnes* Germaniæ *ciuitates, à ciuibus, & nonnunquam ab ipſis etiam parochis, ſumma humanitate & liberalitate acceptus eſt, adeò vt ipſe* Ioannes Hus *in quadã epiſtola fateatur ſe nuſquam maiores inimicitias quàm in* Bohemia *expertum eſſe.* Ac *ſi fama (vt fit) de eius aduentu præcurrerat, omnes viæ refertæ erant ijs qui* Ioannem Hus *videre cupiebant, eíque gratulari, imprimis verò* Noribergæ*, vbi mercatores qui præceſſerant, de aduentu eius ipſos ciues fecerant certiores.* In *eadem vrbe, cùm parochi plærique ſecretum cum eo colloquium poſtularent, reſpondit ſe malle pu-*

Conſpectus Huſsii Germanis gratiſsimus.

Noribergæ humaniter excipitur Huſſius.

blicè coram omnibus ſuam ſentētiam patefacere, neque enim ſe quicquam velle occultum habere. Ab hora igitur prandij coram ipſis ſacerdotibus & ſenatoribus, plurimiſque alijs ciuibus vſque ad noctem magna cum admiratione omnium locutus eſt, ſolo Carthuſiano quodam doctore, & parocho diui Sebaldi improbante.

Aduentus I. Hus in vrbem Cōſtantienſem

Die vigeſima, ex quo ab vrbe Pragenſi diſceſſerat, hoc eſt tertia die menſis Nouembris Conſtantiam veniens, ad viduam quandā optimam matronam, in vico ſancti Galli diuertit. Poſtridie eius diei dominus Ioannes *de* Chlum *& dominus* Henricus Latzembog*, ad Pontificem* Romanum *ingreſſi, primùm indicarunt ei præſentiam* Ioannis Hus*, quem ipſi ſub fide publica* Romanorū Hungariæque Regis*,* Cōſtantiā *ad generale conciliū adduxiſſent.* Rogabant *deinde vt per ipſum quoque, ipſius* Regis Romani *gratia,* Ioannes Hus *abſque omni periculo atque impedimento* Conſtantiæ *eſſe poſſet.* Quibus *tū* Pontifex *reſpondit, etiamſi* Ioannes Hus *fratrem ſibi germanum occidiſſet, tamen ſe nullo modo commiſſurum, quantum in ipſo ſitum erit, vt aliqua ei fiat iniuria, quandiu* Conſtantiæ *eſſet.*

Aduerſarii Huſsii.

Interea ſummus ipſius Huſſij *aduerſarius,* Magiſter Stephanus Paletz Bohemus, Conſtantiam *venit, cuius ſocius* Staniſlaus*, nempe de* Znoima*, vixdū fines* Bohemiæ *egreſſus, ex apoſtematis dolore mortuus eſt.* Paletz *igitur quamprimùm* Conſtantiam *veniſſet, adiunxit ſe* Michaeli de Cauſis*, primo* Ioannis Hus *& acerrimo accuſatore.* Ac *ne hoc omittam,* Paletz *ipſe inde ab adoleſcentia ſua familiariſſimè vſus erat ipſius* Ioannis Huſſij *conſuetudine. ſed cùm bulla quædam* Ioannis XXIII. *pontificis* Romani Pragam *allata eſſet contra* Ladiſlaum Apuliæ Regem*, reſtitit ei bullæ* Ioannes Hus*, quòd videret eam iniquam eſſe.* Paletz *verò, quanquam in conuiuio quodam, audiente* Ioanne Hus*, palàm confeſſus eſſet bullam æquitati contrariam eſſe, tamen quia* Pontifici Romano *erat obnoxius propter quædam eius beneficia, defendit eā bullam contra* Ioannem Hus*. hæc fuit cauſa diſcordiæ inter eos. Alter verò ille* Michael de Cauſis*, fuerat olim parochus in noua* Praga*, ſed ſpe prædæ, nouum quoddam aucupij genus ſibi excogitarat. præ ſe tulerat enim ſe conſilium reperiſſe, quo aurifodinæ quæ perierant, reſtaurari poſſent.* Rex *igitur* Venceſlaus

Bulla contra Apuliæ regem.

ingentem

ingentem ei ſummam pecuniæ in manus dat, vt quod polliceretur efficeret. Ille *verò bonus vir, cùm paucos dies laboraſſet, nec quicquam efficeret, re deſperata, clàm ſe cum reliqua pecunia,* ex Bohemia *in* Ro*manam curiam, digniſsimus hoc nido, ſubduxit.* His *moribus, facilè ab aduerſarijs* Ioannis Hus*, pecunia ſe corrumpi paſſus eſt, vt eis ſuam operam, id quod ſtrenuè fecit, collocaret.* Aduerſarii Huſsii pecunia corrupti

I*idem igitur* Paletz & Michael *de* Cauſis*, communi opera certos articulos contra* Ioannem H*us conſcripſerunt, quos dicebant ſe ex ſcriptis eius excerpſiſſe. eos huc illuc obnixè curſitando,* Cardinalibus, E*piſcopis, monachis, & alijs huius farinæ hominibus oſtēdebāt: iíſque adhuc eſſe longè grauiora, quæ* Ioannes H*us contra ſanctiſsimas conſtitutiones* P*apæ atque eccleſiæ admiſiſſet, quæ ſi opus ſit, in concilio ipſo ſe propoſituros eſſe iactitabant.* His *facibus incenderunt ſponte incitatos homines, vt de comprehendendo viro ſanctiſsimo* Ioanne H*us omnes conſilia conferrent.*

C*ùm igitur* Ioannes H*us ad ſextum & vigeſimum vſque diem* C*ōſtantiæ fuiſſet (cùm interea priuatis amicorū colloquijs, legendóque ac ſcribendo aliquid, tempus illud fefelliſſet) octauo demum & vigeſimo die,* Cardinales*, qui tunc erant* Conſtantiæ*, inſtante* Paletz *cum* Michaele *de* Cauſis*, duos ex* Epiſcopis*,* Auguſtanum & Tridētinum*,* Conſulem *præterea ciuitatis* Conſtantiæ*, & equitem quendam, in diuerſorium* Ioannis Hus*, ſub ipſam horam prandij miſerunt, qui dicerent ei, ſe ex mandato* P*apæ &* Cardinalium *miſſos eſſe, vt, quod ipſe etiam ſæpenumero optaſſet, ad perhibendum coram eis doctrinæ ſuæ teſtimonium veniret, ſe iam ad audiendum paratos eſſe.* Tum Ioā*nes* Hus*,* Non *veni, inquit, huc eo cōſilio, vt ſeorſim corā* P*apa &* Car*dinalibus cauſam meam agerem (id enim nunquam deſideraui) ſed in vniuerſa ſynodi congregatione comparere volui: atque tum pro mea defenſione, quæ* Deus *mihi largitus fuerit, quacunque de re interrogatus fuero, ſine vlla dubitatione apertè reſpondere. itaque non recuſo (quandoquidem id à me poſtulatis) etiam ad ipſos* Cardina*les quamprimùm venire: à quibus etiamſi malè accipiar, confido tamen domino meo* Ieſu Chriſto*, fore vt mori malim pro eius gloria, quàm ipſam veritatem ex ſacris* Scripturis *mihi cognitam negare.* Itaque cùm Hus cupit palàm coram tota Synodo cauſam dicere

inſtarent Epiſcopi, *nihil crudele præ ſe ferentes(quanquam in illis ipſis & proximis aliquot ædibus, clàm ſatis multos milites armatos in præſidio collocaſſent*) Ioannes Hus *aſcenſo paruo quodam equo, quem ſecum habebat, cum domino* Ioanne de Chlum *epiſcopos in curiam* Papæ & *Cardinalium eſt ſecutus. Quò quum veniſſet, & Cardinales*

Salutatio prima, qua exceptus fuit Huſsinus

ipſos ſalutaſſet, Multa *inquiũt illi, audiuimus de te, magiſter* Ioannes, *quæ ſi vera ſunt, nullo modo tolerari poſſunt. aiunt enim quòd maximos quoſque errores & manifeſtiſsimos contra doctrinam veræ Eccleſiæ docueris, ac per totum regnum* Bohemiæ *iampridem ſparſeris. itaque huc te ad nos vocari mandauimus, vt rem quomodo ſe haberet, cognoſceremus.*

T*um* Ioan.H*us*, *Sciant, inquit, paternitates veſtræ, me ita affectum eſſe, mori vt malim, quàm vnius alicuius erroris, nedum multorum eorumq́ue maximorum, vt dicitis, mihi conſcius eſſe. ac propterea veni tantò libentius ad concilium generale, quod hîc conſtitutum eſt, quia paratus ſum, ſi quid in me erroris eſſe probatum fuerit, ex animo eius emendationem accipere. Ibi* Cardinales, Pl*acet nobis quæ dicis. Quod cùm dixiſſent, abierunt:* & Ioannem Hus *cum* D. Ioanne Chlum *ſub cuſtodia armatorũ reliquerunt: ac tum ſubornarunt quendam veteratorem ordinis* Minorum *qui moleſtis & rixoſis quæſtionibus* Huſſum *tantiſper detineret dum rurſus ipſi in curiam* Papæ *conuenirent deliberaturi quid de* Ioanne Hus *faciendum eſſet. Paletz autẽ &* Michael de Cauſsis, *vnà cum alijs quos ſibi coniunxerant, omnibus modis inſtabant ne dimitteretur, & iudicum fiducia, ſæpe furioſorum hominum more geſtientes illudebant* Ioanni Hus *his verbis*, Iam *te habemus in noſtra poteſtate, vnde non exibis donec perſolueris extremum quadrãtem. Sub noctem miſſus eſt* Præfectus *curiæ* Romanæ, *vt* Domino Ioanni *de Chlum diceret, licere ei iam vt in diuerſorium ſuum reuerteretur. nam de* Ioanne Hus *aliter conſtitutum eſſe. quod cùm audiſſet* Dominus Ioannes *de Chlum, vehementer indignatus, quòd virum optimum fictis & ſimulatis verbis in inſidias præcipitaſſent, dictũ factum, in ipſius* Papæ *conſpectum prouolauit, obteſtans eum, meminiſſet eorum*

Violatur publica fides data

quæ antea etiam domino Henrico Latzembog *promiſerat, & ne publicæ fidei authoritatem adeó temerè violaret.* Papa *negabat ex ſuo mandato*

mãdato quicquam eiuſmodi contra Ioannem Hus *ſuſceptum eſſe.* T*um ſeorſim ad dominum* Chlum, Q*uid eſt quod mihi hoc imputatis, quum ſciatis me in iſtorum* (C*ardinalium, videlicet,* & E*piſcoporum*) *poteſtate eſſe?* Meo *quidem iudicio, quum* P*apa* I*oãnes id metueret quod poſtea illi accidit: ne dignitate ſua priuaretur voluit ſibi hoc officio tradendi* C*hriſti* H*erodianos* E*piſcopos* & C*ardinales demereri.* I*taque dominus* I*oannes de* C*hlum triſtis inde diſceſsit, fruſtra per multos inde dies publicè & priuatim de* P*apæ iniuria cõqueſtus, quòd contra ſuam &* R*egis* R*omani fidem, virum optimum* I*oannem* H*us per inſidias cepiſſet: qui poſtea in* C*antoris* C*onſtantienſis eccleſiæ domum ductus per ſatellites in octauũ vſque diem ibi ſub cuſtodia fuit. inde in monaſterium* P*rædicatorum ad* R*henum perductus, & caceri eius monaſterij, magnæ latrinæ proximo, mãdatus eſt. in quo cùm aliquantiſper delituiſſet, incidit ex loci iniuria in grauiſsimam febrim & ventris conſtipationem, adeò vt de vita eius deſperatum eſſet.* A*c ne fortè in ipſo carcere vulgari genere mortis periret, miſit* P*ontifex* R*omanus aliquot ex medicis, qui eum curarent.* Carceres, & aduerſa valetudo Huſsij.

M*edio infirmitatis eius tempore, accuſatores ipſi vehementer apud primates concilij inſtitere pro* I*oannis* H*us condemnatione, & articulos ſubſcriptos* P*ontifici* R*omano obtulerunt.*

Articuli primi omnium exhibiti Papæ Ioanni XXIII. per Michaelem de Cauſsis, pro condemnatione Ioannis Hus, cum primùm incarceratus fuiſſet.

IN *primis, errat circa ſacramenta eccleſiæ, & ſignanter corporis* C*hriſti: nam publicè ad populum prædicauit, id miniſtrandum populo ſub vtraque ſpecie, ſcilicet corporis & ſanguinis. patet iſte articulus, quia iã* P*ragæ ipſius diſcipuli miniſtrãt illud ſub vtraque ſpecie.* I De Cœna Domini

I*tem à plæriſque aſſeritur, quòd in ſcholis & in templo docuit, vel ad minimum quòd ipſe teneat, quòd poſt verba conſecrationis in altari prolata, in ſacramento altaris remaneat panis materialis.* I*ſte articulus ſcietur ex ipſius examine.*

S*ecundò, errat circa miniſtros eccleſiæ, quia dicit, quòd non poſſunt conficere nec miniſtrare ſacramenta, quando ſunt in mortali peccato.* I*ſte articulus ſimiliter ſcietur ex ipſius examinatione.* V*erun-* II De adminiſtratione Sacramentorum.

tamẽ ex ſcriptis eius de Eccleſia *poteſt elici, quæ hîc habentur. ſi negauerit, deputentur ad hoc* Magiſtri *in theologia, & alij qui videant eius ſcripta de Eccleſia.*

III De Eccleſia. Tertiò, *errat circa* Eccleſiam: *primò quòd non admittit, quòd eccleſia ſignificet* Papam, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos *& clerum eis ſubditum. & dicit illam ſignificationem extortam à* Scholaſticis, *& nullatenus eſſe tenendam.* Patet *ille error manifeſtè ex tractatu ſuo dicto* De eccleſia.

Item *errat circa* Eccleſiam, *quia dicit quòd* Eccleſia *non debeat habere temporales poſſeſsiones, imò quòd domini temporales impunè poſsint ea eccleſiis & clericis auferre.* Patet *ille error, quia propter doctrinam & inductionem ſuam, multæ eccleſiæ in regno* Bohemiæ *& ciuitate* Pragenſi *iam de facto ſunt quàmplurimis bonis temporalibus ſpoliatæ.*

Dicit *etiam quòd* Conſtantinus *& alij* Principes *ſeculares errauerunt, eccleſias & monaſteria dotando. iſte articulus patet ex immediatè præcedenti.*

Quartò, *circa* Eccleſiam *errat, quòd omnes presbyteros paris dicit*

IIII. Poteſtas ordinum Papalium *eſſe poteſtatis. & ideo reſeruationes caſuum* Papalium *&* Epiſcopalium, *ordinationem & clericorum conſecrationem, dicit propter cupiditatem vel ambitionem ſuperiorum adinuentas.* Aliqualiter *patet iſte articulus ex prædictis, ſed ex interrogatione & examine melius poterit apparere.* Poſt *hos & alios eódem recidentes articulos* Papæ *exhibitos, pleraque ſubdidit* Michael *ille de* Cauſis *in hanc ſententiam:*

Coacervatio calumniarum. Vt *prædictus* Ioannes Hus *veſtitus veſtimentis ouium, & intrinſecus lupus rapax, ex fructibus ſuis magis cognoſcatur, ad informandã paternitatem veſtram dico, quòd primùm habens propoſitum errores ſeminandi, ſicut poſtea fecit, ſciens ſe habere reſiſtentiam & contradictionem à* Teutonicis *magiſtris in vniuerſitate* Pragẽſi, *pro eo quòd poſſent contra ipſum & partem ſuam concludere, quia tres habebant*

Diſceſsio Germanorum ab academia Pragenſi. *voces, ipſe verò & pars ſua ſolùm vnam, machinatus eſt vt* Teutonici *ſolùm vnam haberent vocem, & ipſe & pars eius tres, idque per brachium ſeculare.* Quod *cùm viderent* Teutonici, *priuſquàm renunciarẽt iuri ſuo, quod habebãt in vocibus, aut periclitarẽtur in perſonis,*

quod tunc erat eis proximum, vt ſaluarent perſonas ſuas, concorditer elegerunt Praga recedere. & per hoc deſolatum eſt id ſolenne ſtudium Pragenſe, quod multos magnos viros in diuerſis facultatibus procreauit. Ecce primus fructus, quòd diuiſit illam ſanctam vniuerſitatem, quia non colliguntur vuæ de ſpinis, nec de tribulis ficus. Digna accuſatoris oratio.

Item, poſtea orta quæſtione inter magiſtros theologiæ de vniuerſitate Pragenſi ſuper XLV. articulis Ioannis wicleff, & facta conuocatione, cùm concluſiſſent omnes alij magiſtri theologiæ de natione Bohemorum, quia Teutonici iam receſſerant, quòd quilibet dictorum articulorum aut eſſet hæreticus, aut ſcandaloſus, aut erroneus: ſolus iſte poſuit concluſionem contradictoriam, quòd nullus illorum articulorum eſſet aut hæreticus, aut ſcandaloſus, aut erroneus: ſicut poſtea in ſcholis Pragæ publicè diſputauit, tenuit & docuit. Per quod ſatis videtur articulos ipſius wicleff aſſerere non ſolùm in Anglia, ſed ab eccleſia condemnatos, qui ab Antichriſti hæreticis ſunt poſiti. XLV articuli Wicleff.

Subdidit in finem accuſationis,

Habet etiam pro ſe generaliter omnes hæreticos, qui omnes non curant cenſuram eccleſiaſticam, & oderunt Romanæ eccleſiæ authoritatem: imò deteſtantur & vilipendunt: quod multò magis fiet, niſi cum effectu & viriliter reſiſtatur. nã ſi qualitercunque euadet de concilio, dicet ipſe & fautores ſui, quòd iuſta ſit doctrina ſua, & auctoritate ſacri vniuerſalis concilij approbata, & quòd omnes aduerſarij ſui ſint iniqui & *mali: & maiora mala faciet quàm vnquam aliquis hæreticus fecit à tempore Conſtantini magni.* Tres ſtimuli accuſationis.

Propterea, ſancte Pater, attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Chriſti, quam acquiſiuit ſanguine ſuo: & dum nouus eſt morbus ſuccurrite, tam quò ad illum qui ſic turbat & inficit Eccleſiam Dei quàm quò ad occaſiones, quibus illi facere præſumpſit & potuit, quia ſcilicet prælati abutuntur cenſuris eccleſiæ, & quòd tam ipſi prælati quàm ipſorum ſubditi non ſeruant ordinem ſibi à Deo & eccleſia inſtitutum, propter quod fit, cùm ipſi per abrupta gradiuntur, quòd grex in præcipitium cadit. Concluſio digna tali manci Papali.

Deputentur igitur per dominum noſtrum & ſacrum iſtud concilium, ad hoc commiſſarij, qui præſentibus eis qui nouerunt factum,

interrogent & examinent dictum Hus*, ſuper præſcriptis & alijs.* De*putentur etiam certi* Doctores *& magiſtri vt videant libros eius, quos ſcripſit, quorum aliqui hîc habentur: vt ab iſtis erroribus eccleſia maturè poßit repurgari.*

Commiſſarii ſeu iudices.

Dati itaque ſunt eis commiſſarij ſeu iudices, patriarcha Conſtan*tinopolitanus, epiſcopus* Caſtellæ*, & epiſcopus à* Libuß*. qui ipſam accuſationem & teſtimonia producta quorundam ſacrificulorũ* Pragenſium*, & iuramentis confirmata audiebant, quæ poſtea* Ioanni Hus *in carcere, cùm dolores febris maximi eſſent, ſunt recitata.* Con*tra ea verò, cùm* Ioannes Hus *peteret ſibi aduocatum aliquem defendendi ſui cauſa concedi, conſtanter eſt recuſatum. hoc enim præter cætera, iuris* Pontificij *authoritate prohibitum eſſe,* Ne quis *ei qui de aliqua hæreſi ſuſpectus eſſet, patrocinaretur.* Quod *ſanè perfacilè fieri potuiſſet. tãta enim fuit vanitas, teſtimoniorũ præſertim, vt nulla accurata confutatione opus fuerit, ſi modò non ijdem iudices & actores fuiſſent.* Teſtimonia *ipſa recitaſſem hoc loco, niſi ſcirem ea eiuſmodi eſſe, quæ pius lector ſine magno tædio legere non poßit.* Quanquã *poſtea quædã exponenda erunt, cùm ad ipſius iudicij proceſſum ventũ fuerit.*

Febri corripitur Hus in carcere.

Poſtquàm Hus *ex morbo nonnihil conualuiſſet, oblati ſunt ei in carcere, mandato trium illorum iudicum, quos dixi, articuli ſatis multi, quos aiebant ex eius libello* De *eccleſia excerptos eſſe. quorum alij confictí ab ipſo* Paletz*, alij mutilati erant. horum quoque mentionem in ipſius iudicij hiſtoriam differam: ac prius alia quæ interea geſta ſunt, exponam.* In *ipſo carcere monaſterij fratrum* Minorum*, vſque ad diem* Mercurij *proximum ante feſtum palmarum,* Ioannes Hus *ſub certis cuſtodibus detentus eſt, atque interea libellos quoſdam, temporis fallendi cauſa, conſcripſit, ſcilicet, de* Decalogo*, de* Dilectione *& cognitione* Dei*, de* Matrimonio*, de* Pœnitentia*, de* Tribus *hoſtibus hominis, de* Oratione Dominica*, de* Cœna Domini*, &c.*

Libelli in carcere conſcripti

Eo *die* Romanus Pontifex Ioannes X X I I I. *clàm mutatis veſtibus* Conſtantia *ſe ſubduxit, iudicium metuens quo poſt fugam ob ingentia crimina, dignitate* Pontificali *eſt priuatus. hæc cauſa fuit* Ioannis Hus *iterum in alium carcerem transferendi. miniſtri enim* Papæ*, qui carceri* Hus *aſtiterant, cognita domini fuga, traditis claui-*

bus

bus carceris ipſi regi Sigiſmundo & Cardinalibus, confeſtim ſunt eũ ſecuti. Ex *ſentẽtia verò Concilij,* Ioannes Hus *in epiſcopi Conſtantiẽſis poteſtatem traditus eſt. is per ſuos ſatellites armatos curauit eum non procul à* Conſtantia *trans* Rhenum *in arcem quãdam deportari, vbi in turri eiuſdem arcis interdiu cõpedibus vinctus incedere poterat, noctu verò compedibus ferreis iuxta lectum parieti eſt alligatus.* Hus Epiſcopo Conſtantienſi traditur.

Interea nobiles viri Bohemicæ *nationis &* Polonicæ, *eniti ſummo ſtudio non deſinebant pro eius liberatione, vt & ipſius* Ioannis Hus *ſaluti, & ſuæ totiúſque regni famæ conſulerent, quæ iam per nequiſſimos quoſque homines non mediocriter erat labefactata: adeò vt quicunque oſtenderent ſe* Conſtantiæ Ioannem Hus *non odiſſe, omnibus, etiam infimæ conditionis hominibus, riſui atque ludibrio eſſent.* Itaque *communi conſilio habito, ſtatuerunt ſuam petitionem ſcripto ad commune concilium, vel ſaltem quatuor nationum,* Germanicæ, Italicæ, Gallicæ, & Anglicæ *deputatis declarare. Huiuſmodi autem literas ſupplices pro liberatione* Ioannis Hus *miſſas concilio* Conſtantienſi *obtulerunt decimaquarta die* Maij, *anni* M. CCCCXV. *Quibus quidem recitatis, epiſcopus* Luthomiſlenſis *ſtatim ſurrexit, ſentiens poſtrema parte earum literarum ſe in eam criminis inuidiam vocari, quaſi per ipſum, regnum* Bohemiæ *ita infame redditum eſſet.*

Ordinati igitur à concilio, conſtituerunt diem decimam ſeptimam Maij, *ad quam iterum adeſſent domini* Bohemi, *vt audirent & ipſius concilij reſponſionem, & ſeorſim præterea* Luthomiſlenſis *epiſcopi excuſationem. id quod poſtea factum eſt.* Nam *decimaſeptima die* Maij, *iterum conuenerunt: vbi primùm quidam* Epiſcopus, *totius cõcilij nomine, memoriter* Bohemis *reſpondit.* Ipſe *quoque* Luthomiſlenſis *epiſcopus, ad ea quæ à nobilibus* Bohemis *erant ſcripta, ita reſpondit ac ſe purgauit, vt defenſionem cũ graui* Ioannis Hus *aliorúmque, qui eũ ſequebãtur, accuſatione coniunxerit. Cuius orationẽ ac reſpõſionem nobiles* Bohemi *pridie* Pentecoſtes *confutarunt, fidémque publicam tuti itineris ab* Imperatore *datam, & cauſam* Ioannis Hus *cum fama & exiſtimatione regni coniunctam demonſtrarunt.*

Præterea propoſitũ eſt in eodem concilio, publicum totius vniuerſitatis Pragenſis *teſtimonium, de literis quas* Ioannes Hus *ad* Ioannẽ

XXII.Papam miſit, anno M.CCCC XI.die prima menſis Septembris, de ſua fide, innocentia, voluntate ad omnem obedientiam obſeruantiámque rectam & piam paratiſſima. quas & à notariis publicis deſcribi, & publico vniuerſitatis ſigillo, authoritatéque doctorum ac magiſtrorum conſignari poſtularunt.

Cùm uerò ad oblata ſcripta nihil reſponſi acciperent per aliquot dies, ipſi nobiles Bohemi ſtatuerũt vltimo die Maij denuò ipſius concilij primatibus ſupplicare & petere, vt Ioanni Hus à carcere liberato publica defenſio concederetur. ſimul etiam obtulerunt teſtimonium Nicolai epiſcopi Nazarethenſis, de Ioanne Hus: in quo & iniquiſſimæ inimicorum calumniæ, & ipſius vitæ doctrinæque moderatiſſimæ rationes fuerunt declaratæ.

Teſtimonium Epiſcopi Nazarethenſis inquiſitoris diœceſis Pragenſis.

Poſtremò his prolatis authoritatibus ac teſtimoniis, de innocentia modeſtiáque Ioannis Hus, ſuppliciter iidem nobiles rogauerunt, vt ipſe Hus carcere liberatus, ac vinculis ſolutus, in cuſtodiam liberiorem atque humaniorem quorundam Epiſcoporum traderetur, in qua & commodius examinari, & mitius ac benignius tractari atque recreari poſſit. Qua in re, ad euitandum omnem malæ cuſtodiæ metum & dubitationem, vades ſponſoréſque certiſſimos pro ipſo Ioanne Hús, vſque ad exitum cauſæ inſtitutæ, aſſeruandos obtulerunt. Ac ne quis eos iniquam rem poſtulaſſe criminari poſſet, à concilio petierunt vt poſtulatio ipſorum, ſummæ æquitatis plena, à notario publico perſcriberetur.

Perlecto eorum ſcripto coram deputatis quatuor nationum, patriarcha Antiochenus omnium nomine reſpondit ad ſingula capita ipſius ſcripti: ſed breuiſſimé. Primùm, quod ad proteſtationem Ioannis Hus attineret, fueritne vera ac firma, an non, in ipſius cauſæ proceſſu palàm futurum. Deinde, quia dicant aduerſarios Ioãnis Hus nonnulla peruerſè ex eius libris excerpſiſſe, id quoque in exitu cauſæ manifeſtũ futurũ. quòd ſi Ioãnes Hus iniuſtè accuſatus eſſe decernatur, tunc fore vt aduerſarij in perpetuam incidãt ignominiam. Sed de fideiuſſoribus, etiam ſi mille dentur, tamen fieri non poſſe, ſalua conſcientia deputatorum concilij, vt recipiantur in cauſa eius viri, cui nullo modo fides habenda eſſet. hoc tamen ſe facturos, vt ad quintum

Patriarchæ Antiocheni reſponſum ad ſcripta & ſupplices libellos Nobilium.

Iunij.

Iunij, Ioannes Hus iterum Conſtantiam aduehatur, & habeat coram ipſo concilio liberam dicendi poteſtatem, eúmque piè & benignè audituros eſſe. Sed rei & actionis totius euentus longè contrarium huic promiſſioni oſtendit.

Eodem die iidem nobiles libellum ſupplicem ſcriptum concilióque oblatum, etiam regi Sigiſmundo obtulerunt, vt eius ſummam æquitatem cognoſcerent, ſimul etiam ei & fidem publicam ab ipſo datam reuocarunt in memoriam: & cauſam Ioannis Hus ſuſceptam, & cum exiſtimatione regni Bohemiæ dignitatéque cõiunctam, ſummo ſtudio commendarunt. Supplicationis verò ipſa verba huc inſerenda duximus, vt ex actis publicis plenior hiſtoria eluceſcat. Scriptum Sigiſmũdo Romanorum Regi exhibitũ.

Sereniſſime Princeps & domine gratioſiſſime, Serenitati veſtræ ſignificamus, quòd nos vnanimi conſenſu & pari voto concordes, hanc noſtram inferius deſcriptam, rationabilem, iuſtam & exauditione dignam petitionem reuerẽdiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis quatuor nationum deputatis, totíque ſacro Conſtantienſi Concilio duximus porrigendam.

Fauore itaque & intuitu rationabiliũ & iuſtarum petitionũ dictis dominis porrectarũ veſtræ ſupplicamus Regiæ maieſtati, quatenus amore iuſtitiæ, & famæ præclari regni Bohemiæ, cuius abſque dubio hæres & dominus ſucceſſurus fore dignoſcimini, & veſtri ſalui conductus libertati prouidentes, erga dictos reuerendiſſimos Patres & dominos velitis interponere partes veſtras, vt nos in hac iuſta petitione noſtra, ipſis, vt præfertur, oblata, uelint effectualiter audire. Ne autem inimici honoris & famæ præclari regni Bohemiæ, & noſtri pariter obtrectatores nobis in poſterum poſſint detrahere, prætendentes nos illicita & inordinata à reuerendiſſimis dominis poſtulaſſe: ideo ab eis petiuimus, quatenus noſtræ ſchedulæ tenorem velint decernere manu publica autenticandum. In eandem ſententiam pro liberatione e vinculis ſupplicarunt Barones &c. vt videre eſt in Epiſtolis.

Quid verò ipſe Rex ad ea reſponderit, non ſatis conſtat. ſed ex ipſa actione & iudicio facilè apparet, virum bonum improbitate Cardinalium & Epiſcoporum, in eam ſententiam perſuaſum eſſe, vt fidei publicæ Huſſio datæ renuntiaret. neque enim poſſe, qui hæreticus ſit declaratus, ſecundum pontificij iuris ſanctiones,

aut fide publica, aut vlla re alia defenſionem præſtari. Sed ex ipſis Ioannis H*us epiſtolis, facilè de ſententia* Regis *iudicari poteſt. nunc in hiſtoria pergamus.*

AD *quintum igitur* Iunij, *quum ingens multitudo* Cardinalium, Ep*iſcoporũ, & quicunque ferè tum ex ordine eccleſiaſtico* Cõ*ſtantiæ erant, in monaſteriũ* Fratrum *minorũ, vt antea, cõueniſſet: mãdatũ eſt vt priuſquã* Ioannes H*us adduceretur, in eius abſentia teſtimonia & articuli, de eius libris calumnioſè excerpti, recitarentur. quos articulos, & quid poſtea* Ioannes H*us reſponderit, commemorabo.* Eos *cùm* Petrus *de* Mladonye-*witz notarius, qui tum fortè aderat,* Ioanni H*us beneuolentia coniunctus, intellexiſſet ab ipſis* Ep*iſcopis &* Cardinalibus *iam decretum eſſe, vt in abſentia* Ioannis H*us condemnarentur, properans ad dominum wenceſlaum de* Duba & Ioannem *de* Chlum, *rem omnem expoſuit.* Hi *continuò ad regem* Sigiſ*mundum hæc deferunt. qui, vt rem cognouit, miſit dominum* Ludo*uicum comitem* Palatinum *ab* Heidelberga, *& dominum* Fridericum Burgrauium Noribergenſem, *vt in cauſa* Ioannis H*us præfecti concilij nihil decernerent, priuſquam ipſum, & quidem æquo animo, audiuiſſent, & quoſcunque in eo articulos erroneos deprehendiſſent, ad ſe mitterent. ſe enim daturum operam, vt à viris doctis & bonis examinarentur.*

Ex Regis *itaque voluntate, ſententia præfectorum concilij vſque dum præſens eſſet* Ioannes H*us ſuſpenſa eſt.* Interea *verò* wenceſ*laus de* Duba & Ioannes *de* Chlum, *ipſis* Principibus *à* Rege *in concilium prædictum miſsis, certos quoſdam libellos* Ioannis H*us, ex quibus contra eum articuli quidam, vt ſæpe iam dictum eſt, excerpti erant, tradiderũt, vt ipſis præfectis concilij præſentarent, ea quidem lege, vt cùm vellent, ab eis repeterent. idq́ue eo conſilio factum eſt, vt tantò facilius aduerſarij coargui poſſent, qui mala fide ſententias ex libris* Ioannis H*us collegerant.* Traditis *libris* Concilio *ipſi, & eódem adducto* Ioanne H*us,* Principes, *qui à* Rege *miſſi erant, abierunt.* Deinde *ipſi libelli cùm oſtenſi eſſent* Ioanni H*us, is publicè in eo conſeſſu* Ep*iſcoporũ confeſſus eſt, ſe eius authorem eſſe, & paratum, ſi quid ineſſet erroris, emendare.*

Hîc verò indignum facinus accidit. nam cùm vnus duntaxat articulus, & pauca quædã teſtimonia in eum prolata eſſent, & ipſe reſpondere conaretur, tota eum ſimul multitudo vndique clamoribus ita obruit, nullum vt omnino verbum facere poſſet. tanta erat confuſio & perturbatio, vt immanium aliquot beluarum tumultum non hominum dixiſſes. Si quando tantùm à vociferationibus remiſſum eſſet, vt paululum quiddam Ioannes Hus loqui poſſet, aut ex Scripturæ, aut ex ſanctorum doctorum ſententia, continuò audiuit, ea nihil ad rem facere. hinc aliorum conuicia in eum, aliorum verò ludibria certatim ſequebantur. Victus igitur vociferationum immanitate quum ſe loquendo nihil omnino proficere videret, tacere tandem decreuit. Ibi verò omnis multitudo aduerſantium, putabat ſe palmarium repperiſſe & vno ore omnes, Tacet iam, inquiunt, tacet. ſatis id quidem ſigni eſt, eum iſtis erroribus ſuis aſſentiri. Quid multa? eò tandem res rediјt, vt propter inordinatam cõfuſionem totius Iudicij, quidam moderatiores ſenatum dimitti cenſerent, & rem in aliud tempus differri. Ex iſtorum itaque conſilio ſenatus dimiſſus, & iudicium in perendianum diem iterum eſt conſtitutum. Clamore & tumultu Pontificiorum opprimitur Huſſius.

Eo igitur die qui erat VII. Iunii, horam circiter ſeptimam, cùm paulò antè admirandã ſolis eclipſis viſa eſſet, iterũ in refectorium fratrum Minorũ, iidem qui antea, conuenerunt, & Ioannem Hus magna turba armatorum militum cinctum, coram eis ſiſti mandarunt. Eodem venit etiã Imperator Sigiſmundus, quem wenceslaus de Duba, & dominus Ioannes de Chlũ, & Petrus notarius, amici Ioannis Hus, ſecuti ſunt, vt exitum negotij viderent. qui ſanè quùm eò veniſſent, audierunt tandem prælegi accuſationem Michaelis de Cauſſis in hæc verba, Eclipſis Solis admirãda.

Ioannes Hus in ſacello Beth-lehem & in aliis locis ciuitatis Pragenſis, ad populum docuit multos errores, partim ex libris wicleff partim à ſe confictos, eóſque ſumma animi pertinacia defendit. Primùm, quòd poſt conſecrationem & pronuntiationem verborum in cœna Domini, manet panis materialis. idque probatũ eſt teſtimonijs Ioannis Proti-wæ, parochi Pragẽſis ad S. Clementem, Ioãnis Pecklo, prædicatoris Pragenſis ad ſanctum Egidium, Beneſij prædicatoris in arce Pragenſi, Andreæ Brodæ canonici Pragenſis, & aliorum quo Accuſatio Michaelis de Cauſſis

rundam ſacrificulorum. Ad *hoc reſpondit* Ioannes Hus,*ſanctè adiurans, ſe id nunquam dixiſſe. cæterùm hoc ſe fateri,cùm archiepiſcopus* Pragenſis *omnino prohibuiſſet vti illo termino*, Panis,*tunc ſe hoc edictum* Epiſcopi *non potuiſſe probare,quia* Chriſtus *ipſe* VI.*cap.*Ioannis *vndecies ſe nominauerit* Panem Angelorum,*qui de cælo deſcẽdiſſet,vt toti mundo vitã daret,&c.* Cardinalis Cameracẽſis *& plerique alij ſophiſticis argumẽtis impetebant* Ioannẽ Hus, *preſertim verò* Angli,*inter quos quidam erat nomine* Stokes, *ſophiſta acerrimus.*Alij *verò intentabant varias aduerſus eũ accuſationes, leues quidem & pueriles,vt tum ferebant tempora.* Repetitus *etiam eſt in accuſatione ſequẽs articulus:*Cõdemnatio X L V. *articulorũ* wicleff,*per doctores facta eſt irrationabilis & iniqua, & cauſa per eos allegata eſt ficta, videlicet quòd nullus ex ijs eſt catholicus, ſed quilibet eorum aut eſt hæreticus,aut erroneus,aut ſcandaloſus.* Reſponſio:*In meo libello ita ſcripſi*, Condemnati *ſunt articuli* X L V.*ex hac cauſa,quòd nullus ex illis articulis habitus eſt catholicus:ſed quilibet eorum aut hæreticus, aut erroneus, aut ſcandaloſus iudicatus eſt.* O *doctor,vbi probatio? cauſam fingis quam nõ probas,&c. vt latius in* Tractatu.*Tum* Cardinalis Cameracenſis, Tu *dixiſti,* Ioannes Hus, *te nolle vllum errorem* wicleff *defendere, & iam patet ex libris tuis, quòd eius articulos defendiſti publicè.*Hus *reſpõdit,*Reuerẽde *pater,idem dico quod antea, quòd neque* Ioannis wicleff,*neque alicuius alterius errores volo defendere:ſed quia videbatur mihi cõtra conſcientiam ad condemnationem eorum ſimpliciter conſentire, nulla habita Scriptura de oppoſito, ideo ad illorum condemnationem nolui conſentire.*

Stokes Anglus ſophiſta.

XXXIX. articuli Huſsio propoſiti.

Alij præterea articuli numero triginta nouem,qui ex alio quodã libello contra Staniſlaum de Znoima *excerpti eſſe dicebantur,etiam* Ioanni Hus *propoſiti fuerunt,eiuſdem propemodum argumenti cum ſuperioribus, quibus idem* Hus *ementitum* Pontificis Romani *primatum contra aduerſarios oppugnauit.*

Concluſionibus quoque & propoſitionibus quotidie nouis diuexabant Ioannem Hus *aduerſarij,quas confingebant, nunc addẽdo aliqua, nunc ſubtrahendo,nunc integram propoſitionem falſè aſcribendo:quòd etiam ipſi commiſſarij,præſente ipſo* Hus *confeſſi ſunt.*Poſtremò *etiam*

articuli

articuli à Pariſienſibus authore Gerſone, aduerſus eundem Ioannem Hus compoſiti fuerunt, numero nouendecim: de quibus ipſe in epiſtolis tantopere conqueritur, quod nõ habuerit ſpatium ad eos reſpondendi.

Titulus horum articulorum huiuſmodi erat: Articuli contenti formaliter aut elicitiuè in tractatu Ioannis Hus Pragenſis, quē intitulauit De Eccleſia, ſequēs errores Ioãnis wicleff in hac parte, &c. Quibus nouēdecim articulis, pro omni ratione hoc addebant, ſuis ſuffragijs Magiſtri illi Pariſiēſes, quod hîc aſcribere viſum eſt his verbis: Aſſerimus articulos præfatos notoriè eſſe hæreticos: & vt tales iudicialiter condemnãdos, & ne cæteros inficiãt, diligentiſsimè cum doctrinis ſuis ſcandaloſiſsimis extirpandos. Etſi enim videntur habere zelum contra vitia Prælatorũ & clericorum, nimis (proh dolor) abundantium, non tamen ſecundum ſcientiam. Zelus itaque diſcretus ea peccata quæ videt in domo Dei ſe nõ poſſe tollere, tollerat & gemit. Non poſſunt autem per vitia & errores bene tolli vitia, quia non in Beelzebub eiiciuntur dæmonia, ſed in digito Dei, qui eſt Spiritus ſanctus, volēs vt in corrigendo modus adhibeatur prudentiæ, iuxta illud, Quis, quid, vbi, cur, attēdas, & quomodo, quãdo. Prælati & Principes obligãtur ſub pœnis iuris grauibus & expreſsis, vigilãter ſe habere aduerſus errores prædictos & ſimiles, & ſuos aſſertores. Attendatur quòd error cui non reſiſtitur, approbatur, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare. Sub correctione hæc doctrinaliter poſita ſunt in tranſitu. Ioannes de Gerſon Cancellarius Pariſien. indignus.

Accuſatio Pariſiēſium authore Gerſone.

His expoſitis, ex quibus facilè intelligi poteſt, Ioannem Hus non accuſatum quòd aliquid contra articulos fidei, ſed quia contra Antichriſti regnũ pro gloria Chriſti & Eccleſiæ reſtauratione ſtrenuè docuerit. Redeo ad hiſtoriã. Quũ ergo nouē illi & triginta primi articuli, quos ſuprà recitaui, omnes perlecti eſſent, vnà cũ teſtimonijs, Cardinalis Cameracenſis Ioãnem Hus compellãs, Audiſti, inquit, quanta ſit atrocitas criminum, corúmque plurimorum, quæ contra te allata ſunt. iam tuum eſt officium, cogitare quid ſis facturus. Duæ tibi viæ à concilio proponuntur, quarum alteram te ingredi neceſſe eſt. primùm vt te ipſius concilij iudicio & ſententiæ ſupplex ſubiicias: & quicquid hîc communi ſententia decretum fuerit, illud æquo animo vt feras.

Cameracenſis duas proponit conditiones Huſsio.

quod ſi feceris, nos propter ipſius clementiſsimi Imperatoris *hic præſentis, & fratris eius regis* Bohemiæ *honorem, & tuæ ſalutis cauſa, ea qua debemus pietate & humanitate tecũ ſumus acturi. ſed ſi adhuc aliquos ex ijs articulis qui nobis propoſiti ſunt, defendere cogitas, & amplius te audiri poſtulas, eius rei poteſtatem tibi non negabimus. Verùm cogitabis hîc tantos eſſe viros, & tam illuminatos, cóſque tam firmas & validas rationes contra tuos articulos habere, vt verear ne hoc cum magno tuo incommodo & periculo facturus ſis, ſi amplius eos tueri velis. hæc ego monendi tui cauſa, non iudicis more loquor.* H*anc* C*ameracenſis orationem, alij ſubſequentes idem pro ſe quiſque* Ioannem H*us hortati ſunt. Quibus tũ ſubmiſſo vultu reſpondit,* R*euerendiſsimi patres, iam ſæpe dixi me liberè huc veniſſe, non vt obſtinatè quicquam defenderem, ſed ſi qua in re minus rectè ſentirem æquo animo paterer me doceri. rogo igitur, vt ſit mihi locus amplius ſententiam meam declarandi. cuius niſi certas & efficaces rationes attulero, libenter in veſtram informationem, ita vt poſtulatis, concedam.* Hîc *magna voce quidam,* V*idete quàm callidè loquatur. informationem dicit, non correctionem aut definitionem.* I*mó, verò vt vultis ſiue informationem, ſiue correctionem, aut difinitionem. teſtor enim* Deũ *me nihil niſi ex animo loqui.* T*um* C*ameracenſis,* Q*uando igitur informationi & graciæ ipſius concilij te ſubijcis, hoc à doctoribus ferè ſexaginta, quorum aliqui iam hinc abierunt, & tamen in eorum locum* P*ariſienſes ſucceſſerunt, decretum, etiã à toto cõcilio, ne vno quidem contradicente, approbatum eſt. primùm, vt ſupplici animo te in iſtis articulis, qui contra te allati ſunt, erraſſe confitearis: deinde, vt iureiurando promittas, nihil iſtorum te amplius ſentire aut docere velle.* P*oſtremò, vt publicè omnes illos articulos recantes.* I*n quã ſententiam cùm multi alij multa dixiſſent, tandẽ* Ioannes H*us,* I*terum dico, inquit, me paratum eſſe ad informationem concilij, ſed illud tamen per eũ, qui omniũ noſtrum* D*eus eſt, vos rogo atq; obſecro, ne per vos cogar ad id quod conſcientia mea repugnante, & ſine æternæ damnationis periculo facere non poſſum, vt omnibus articulis contra me propoſitis iuramẽto renuntiem. memini enim me in* C*atholico legere,* A*biurare, eſt errori prius tenuto renuntiare.* C*ùm igitur multi articuli mei eſſe dicantur*

[Margin: Huſsius ad Palinodiã ſolicitatur.]

[Margin: Contra cõſcientiam Huſsius nihil agi poſtulat.]

tur,quos vt ſentirem aut docerem nunquam mihi in mentē venit: quomodo poſſum eis per iuramentum renuntiare? Cæterum, quòd ad illos articulos attinet, qui verè mei ſunt, ſi quis me aliter docere poterit, libenter hoc faciam, quod poſtulatis. T*um* I*mperator,* Q*uid ni, inquit, ſine periculo poſſes omnibus iſtis renuntiare, quæ etiam falſò dicis cōtra te à teſtibus propoſita eſſe?* E*quidem omnes errores abiurare non dubito, neque hinc ſequitur continuò, me aliquem errorem profeſſum eſſe.* A*d quem* H*us,* I*mperator clementiſsime, aliud ſignificat vocabulum abiurandi, quàm tua maieſtas hîc vſa eſt.* E*t* C*ardinalis* F*lorentinus inquit,* D*abitur tibi,* I*oānes* H*us, ſcripta abiurandi forma, ſatis lenis & tolerabilis, tunc facilè inibis conſilium, velíſne id an non facere.* T*um iterū* I*mperator, verba* C*ardinalis* C*ameracenſis repetens,* A*udiſti duas vias tibi propoſitas eſſe. primùm, vt, illis erroribus tuis iā condemnatis palàm renunties, & iudicio cōcilij ſubſcribas.* P*ro qua re viciſsim eius gratiā experieris. ſin pergis defendere tuas opiniones, concilium facilè habebit, quod ſecundū leges ſuas de te decernat.* C*ui* I*oannes* H*us reſpondit,* E*go nihil recuſo, quicquid ab ipſo concilio de me decretum fuerit,* I*mperator clementiſsime.* I*d tantùm excipio, ne* D*eum & cōſcientiam meam offendam, & dicā me illos errores profeſſum eſſe, quos nunquam mihi in mētem venit profiteri.* O*bſecro autem, vt ſi fieri poteſt, vobis concedentibus habeam poteſtatem amplius animi mei ſententiā declarandi, vt de ijs, quæ mihi obiecta ſunt, maximè de officijs eccleſiaſticis, quantum ſatis eſt, reſpondere poſsim.* S*ed cùm alij, tum* I*mperator eandem ei, quam antea, cantilenam occinere cœperunt.* Æ*tatem habes, inquit* I*mperator, facilè potuiſti intelligere, quæ & heri & hodie ad te dixi. nos teſtimonijs, quæ fide digniſsima ſunt, credere cogimur.* Q*uòd ſi* S*criptura dicit, quòd in ore duorum vel trium ſtet omne verbum, quantò magis in tantorum virorū quàm plurimis teſtimonijs?* T*u igitur, ſi ſapis, accipies à concilio pœnitētiam corde contrito, & manifeſtis erroribus renuntiabis, & iuramēto promittes te contra eos deinceps perpetuò & ſentire & docere velle. ſin minus, ſunt leges, ſecundum quas à cōcilio iudicaberis.* H*unc* I*mperatoris ſermonem excepit quidā* E*piſcopus* P*olonus iam decrepitæ ætatis, his verbis,* A*pertæ ſunt leges de hæreticis, qua pœna affici debe-*

Imperator

Sed veracium.

Non tam oūum ovo ſimile quàm concilia[illegible] [illegible] hoc phariſæorū & principum ſacerdotū conciliabulo.

D.

ant. Ioannes Hus cōſtanter perſeuerabat, adeò vt pertinacem cū eſſe inclamarent. Quidam verò bene ſaginatus ſacerdos, acclamans, dixit ad præfectos concilij, Nullo modo ad reuocationē admitti debet: ſcripſit enim ad amicos ſuos, ſe etiamſi lingua iuret, mentem tamen iniuratam retinere velle. non eſt itaque ei habenda fides. Ad hanc calumniam iterum reſpondit ſe nullius erroris ſibi conſcium eſſe. Tum Paletz, Quorſum hæc proteſtatio, qua dicis te nullum errorem wicleffi defendere, cùm tamē id facias? Hæc cùm dixiſſet, protulit in teſtimoniū nouem articulos Ioan. wicleffi, quibus publicè perlectis, addidit hæc verba, Hos cùm ego & magiſter Staniſlaus præſēte Erneſto Auſtriæ duce Pragæ contra eos prædicaremus, pertinaciter non in concionibus ſolùm, verumetiā editis libris defendit. Quos niſi tu hîc exhibueris, nos faciemus. Idē cōfirmabat Imperator. Cui Ioānes Hus, Facilè, inquit, patior, vt nō ſolùm iſti, verūetiā alij mei libri proferātur.

Ita verò tū omnes certatim ei moleſti erant, vt iā viribus ferè deficeret. nā & noctē præteritam, dolore dentiū totam inſomnē duxerat.

Lecta eſt in concilio etiam hæc accuſatio, quòd videlicet tres Pragæ obtruncati fuerint ob eā cauſam, quòd ob Ioānis Huſsij doctrinā, in literas pontificias contumelioſi fuiſſent, eóſque ipſos per eundem Hus cum pompa ſcholaſticorum elatos, & publica concione in ſanctorum numerum relatos eſſe. Et Naſo ille, cuius etiam aliquot teſtimonia audita in hac cauſa fuerunt, eadem affirmabat, & ſe tum præſentem fuiſſe dicebat, cùm rex Bohemiæ mandaſſet blaſphemos vltimo ſupplicio affici. Tum Hus, Vtrunque hoc falſum eſt, & Regem hoc mandaſſe, & cadauera à me ad ſepulturam cum aliqua pompa elata fuiſſe: cùm ego ne adfuerim quidem. itaque & Regi & mihi iniuriā facitis. Paletz hoc argumento confirmabat Naſonis ſententiam (tradebant enim operas mutuas) Regis edicto cautum fuit, ne quis bullæ pontificiæ contradiceret. illi tres contradixerunt bullæ pontificiæ. ergo virtute edicti regij fuerunt decollati. quid verò de ijs ſenſerit Io. Hus, ex eius libro de Eccleſia ſatis apparet, in quo hæc ſunt eius verba, Legerunt credo Prophetā Danielē, vbi ſcribitur, Et ruēt gladio & flāma, & captiuitate dierū, & aſſociabūtur eis multi fraudulēter. Et poſtea, Hoc impletur in illis tribus laicis, qui nō conſentientes, imò cō

tradicentes Antichriſti *mendacijs, ceruices ſuas expoſuerunt, &c.* His *lectis, mutuò ſe intuẽtes omnes, admirabundi aliquandiu tacuerũt. addiderant enim* Paletz *&* Naſo, *Ioannẽ* Hus *publica concione populũ adeò incendiſſe aduerſus* Magiſtratũ, *vt magna multitudo ciuiũ palàm ſe opponeret, & eodẽ modo vt tres illi, mortẽ contemneret, ita vt ægrè etiam ipſius* Regis *authoritate tandem ſedata fuerit.*

Hãc *accuſationẽ proſequuti ſunt* Angli, *exhibitis cõcilio literis ſcholæ* Oxonienſis *nomine, quibus quidẽ perlectis, ad tẽpus ſilentiũ fuit, quod ſane abrupit* Paletz, *veluti meditata oratione inſurgẽs,* Deũ te*ſtor, inquit, corã* Imperatoria *maieſtate, & reuerendiſsimis patribus,* Cardinalibus, Epiſcopis, *&c. me in hac accuſatione* Ioãnis Hus, *non aliquo erga eũ odio aut maleuolẽtia vſũ eſſe, ſed vt iuramẽto meo ſatiſfacerẽ, quod præſtiti cùm inſignibus doctoralibus ornarer, me om̃m errorũ ad vtilitatẽ ſãctæ & catholicæ eccleſiæ acrẽ aduerſariũ fore.* Hãc *orationẽ aſſẽſu proſequutus eſt* Michael de Cauſis. *At ego, dixit* Hus, *cæleſti* Iudici *hæc oĩa commẽdo, qui iuſtè vtriuſq; partis cauſam iudicabit.* Tũ Cardinalis Cameracenſis, Nõ *poſſum, inquit, ſatis mirari & pietatem & humanitatẽ domini* Paletz, *qua vſus eſt in ponẽdis articulis cõtra* Ioãnẽ Hus. *profectò multò atrociora ſunt in libris ipſius, vt audiuimus.* Hæc *cùm dixiſſet, iuſsit epiſcopus* Rigẽſis, *cuius fidei* Hus *cõmiſſus erat, vt in carcerẽ ſub præſidio reduceretur. eũ ſequutus* D. de Chlũ *magnopere animũ ipſius confirmauit. dici enim nõ poteſt, quãtũ receperit animi, vni⁹ iſtius viri breuiſsimo colloquio, cũ ĩ tãta acerbitate odiorũ, ab alijs ferè omnib⁹ iã ſe deſertũ eſſe videret.*

Poſtea quàm Hus *abductus eſſet, cœpit* Imperator *in hãc ſentẽtiã præfectos cõcilij adhortari,* Multa, *eáq; grauiſsima in* Ioãnẽ Hus *crimina audiuiſtis, nõ ſolùm firmis teſtimonijs probata, verumetiã ab ipſo confeſſa, ex quib⁹ ſingula, meo iudicio, mortis ſupplicio digna eſſent. niſi igitur recantet illa omnia, cenſeo vt ignis ſupplicio afficiatur. ſin fecerit imperata, conſulo nihilominus vt ei prædicandi & docendi officio, & ipſo etiam regno* Bohemiæ *interdicatur. nequaquam enim committet, ſi iterum admittatur ad docendum, maximè verò in regno* Bohemiæ, *quin illorum, quos ibi habet, gratia & fauore fretus, ad ingenium redeat, & præter hos errores, nouos etiam*

Imperatoris de Huſſio ſentẽtia, Imperatore indignissima!

in vulgus ſpargat. Cenſeo itaque articulos ipſius condemnatos, fratri meo regi Bohemiæ, *deinde in* Poloniam *& alias prouincias, in quibus animi hominum eius doctrina ſunt imbuti, mittēdos eſſe cū huiuſmodi mandato, vt quicunque ita ſentire perrexerint, vtriuſque poteſtatis communi auxilio puniantur. Ita demum huic malo ſubueniri poterit, ſi rami vnà cum ipſa radice funditus euellantur.* Epiſcopi *verò & alij* Prælati, *qui de extirpanda hac hæreſi nunc laborant, ipſis* Re*gibus & principibus, in quorum ditionibus ſunt, totius cōcilij ſuffragijs commendentur.* Poſtremò, *ſi qui hîc* Conſtantiæ *reperiuntur* Ioannis Hus *familiares, illi quoque ea qua debent ſeueritate, coerceātur.*

Hieronymus de Praga

I*n primis verò diſcipulus eius* Hieronymus. *Illum profectò diſcipulū, acclamarunt alij, punito magiſtro ſperamus ilicò mitiorem fore.* Hæc *cùm dixiſſent, ex refectorio vbi conuenerant, abierunt.* Eodem *autem anno, quinto die* Iunij, *Sigiſmundus imperator, anteà, Ioānem* Hußiū *varijs modis ad conciliū illud perducere conatus, partim fide publica data, partim priuatis literis ſuis tutum fore pollicitus: haud ignarus tamen quid iam tum de eo concilium ſtatuiſſet: miſit clariſſimos* Ba*rones,* D. Ioannem *Chlumenſem,* D. *wenceslaum* Dubenſem, *& ſimul quatuor* Epiſcopos *ad* Hußiū, *qui apud* Frāciſcanos *vinctus tenebatur: vt quid haberet animi, certò cognoſcerent: velléne pertinaciter ea capita aſſerere quæ teſtes obijciebāt, an mutare ſententiam, & cum abiuratione ſuæ doctrinæ iuxta concilij decretum, diuerſa prorſus ſcribere & docere:*

Poſtquam Hußius *è carcere corā legatis adductus eſſet: primus* D. Ioannes *Chlumenſis hoc pacto eum eſt allocutus.* Optime *magiſter, nos homines illiterati tibi in hac re conſulere haud poſſumus.* Proinde *ipſe videris an criminum, quorū te concilium hoc accuſat, tibi ipſe ſis conſcius. Quòd ſi reus es, ne pudeat te ſententiæ meliori cedere, atque tuam retractare: Sin autem conſcientia tuæ innocentiæ teſtis eſt, caue quicquam committas contra eam, néue in conſpectu* Dei *mentiaris, neque patiare tibi prius veritatem diuinam, niſi ſimul cum anima eripi.* Ibi *ille conſtitit & lachrymas fundens modeſtè ita reſpondit: Spe-*

O hominis mirabilem conſtātiam

ctabilis vir, D*eum meum teſtor, ſi quid vnquam erroneum ſcripſi, aut ſi quid à* Lege *diuina alienum, quod cum ſancta* Eccleſia *minus cō*

ſentiat,

Solvitur in lacrumas Hußius ipse pius

ſentiat, docui, ſupplex retractabo, ac cedam lubens: imò ſummopere deſidero rectiori & firmiori ſcriptura inſtrui. Quod ſi ipſi fecerint, reuocare ex animo ſingula paratus ſum. Sermonem hunc excepit vnus epiſcoporum qui aſtabant: Hui, *inquiens, vis tu plus ſapere vniuerſo concilio? Cui* Huſſius: *Ego verò, inquit, per* D*eum omnipotentem vos obteſtor, vel vnum ex eo cōcilio, etiam infimæ ſortis hominem date, qui me rectiora doceat de veritate, equidem libenter ei cedam: tantum abeſt vt me plus vniuerſo concilio ſapere exiſtimem*. Ad *hæc verba* Epi*ſcopi alij:* Heu, *inquiunt, quam eſt ille pertinax in ſua hæreſi.* Hoc *dicto eum in carcerem reduci mandantes, ipſi abiere.*

Poſtero die, qui menſis Iunij *erat dies ſextus, ductus eſt* Huſsius *ab* Ar*chiepiſcopo* Ri*gentino ex factione* τῶν σταυροφόρων, *ad magnū illud* Con*ſtantienſe templum, quo* Epi*ſcopi & alij ſacerdotum principes, ad eum condemnandum confluxerant: porrò poſtquam ad valuas tēpli ventum erat, reſtiterunt ibi cum eo, dum ſacra in templo finirentur: veriti enim ſunt hominem introducere ſub miſſæ tempus, ne rem diuinam ſua præſentia pollueret.*

T*andem peractis ſacris pertraxerunt eum in conſeſſum ſacerdotū, vbi pro more in excelſis ſedilibus conſedere, pro dignitate videlicet illius ordinis conſtructis, aſſeribus in ſublime eos ambientibus.* Im*perator verò celſiori loco in ſuo ſolio ſedebat, cui alterum latus claudebat filius* Clementis *tenens pomum imagine crucis inſigne: alterum autem, dux quidam fulgentem gladium manu gerens.* Erat *præterea menſa in hoc ambitu paululum ſupra terram eleuata, cui impoſitus erat truncus, atque in eo veſtes & ſtolæ appoſitæ, quibus ſacerdotes ad miſſandum vtuntur, ad exaugurandum ſeu degradandum* Hu*ſsium, quem ante eam menſam conſiſtere iuſſerunt: vbi ille procumbens diu preces fundebat.* In*terea epiſcopus* Londen*ſis, cui* Mon*acho erat cognomen: ſuggeſtum aſcendit: vnde ferè edicta ſua promulgare ſolebant. concionaturus arripuit locum* Pauli Rom. *6.* V*etus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati: in hac cōcione verboſiſsimè docebat quātæ peſtes ſint, & quàm graues in ſāncta* Eccleſia *hæreſes: deinde quod regū & cuiuſuis magiſtratꝰ interſit, eas & præſertī ſimoniacā è medio* Eccle*ſiæ tollere: tales nāque hæreſes vnitatē*

Eccleſiæ qualibet vi aperta & tyrannide ſcindere longè nocentius. Ac ſermonem ad Imperatorem *conuertens ſic eſt locutus, Æquũ eſt igitur,* Imperator *inuictiſſime, vt hæreticum hunc in ſua malitia rigidum extinguas (in manibus etenim noſtris eſt). hoc ſiquidẽ pulcherrimo facinore, immortale nomen apud poſteros iuuenes iuxta ac ſenes, tibi parabis.* Hactenus *fuit ſumma concionis. Succeſſit autem huic* Henricus *quidam concilij illius orator: is acriter inſtare, & vniuerſum cœtum ſtimulare, vt cœptam cauſam contra* Huſſium *perſequerentur, vrgerent, nec prius deſiſterẽt, quàm homo morti addiceretur.* Deinde Epiſcopus *quidam iuſſu cõcilij proceſſit ad pulpitum, ex quo formulã* Huſſii *cauſæ habitã cum* Archiepiſcopo Pragẽſi, *& cæteris ſacerdotũ principibus recitat: mox etiam quam ipſi aduerſus* Huſsiũ *agebãt cauſam, cum formula condemnationis proferũt ij quibus id à concilio mandatum erat.*

Legebantur inſuper in hoc conſeſſu crimina quæ contra pium virum teſtes tam Pragæ *quàm* Conſtantiæ *intendebant, & plura alia (quæ quidem ipſe in carcere ſua manu perſcripſit, ac ſuis fratribus miſit, quò & ipſis* Iudicum *fraus perſpecta foret, & haberent quod mendacijs & commentis reſpondere poſsint:)* Ac *principiò cum hoc inter alia, illorum quidem iudicio, crimen legeretur,* Quòd *vna ſit* Eccleſia *ſancta catholica, quæ eſt cœtus omnium credẽtium, ad ſalutem prædeſtinatorum (iſtud quidẽ execranda Synodus pro hæreſi habebat)* Huſſius *ſublata voce in hæc verba prorupit:* Nõ *dubito profectò, quin vna ſit* Eccleſia *catholica, quæ eſt congregatio omnium electorum, tã eorum qui adhuc viuũt, quàm mortuorum & cæleſtium. Cúmque itẽ & ad alia reſponderet, tum* Cardinalis Cameracenſis *ad eum:* Agedũ, *inquit: tace modò, ad omnia ſimul poſtmodò reſpondebis.* Cui *iſte:* Prohibéſne *inquit, quo minus ſingula refellam, cùm vniuerſum calumniarum cumulum meminiſſe non queam?* Rurſus *ad cætera dicere volenti, impoſitum fuit ſilentium per* Cardinalẽ Florentinũ, *qui ſurgẽs,* Tace, *inquit, obtundis: atque eum coerceri iuſſit à præconibus.* Tum *ille alta voce ac manibus ad ſydera tẽſis, exclamauit:* Precor *omnipotentis* Dei *nomine, ne vos pigeat me æquis animis audire, vt ſaltem apud iſtos qui circunſtant, me purgem, atque ſuſpicionem errorum*

quam

quam de me habẽt ex eorum cordibus dimoueã: id ſi modò dederitis tum iure veſtro ſino de me quod libuerit faciatis: ſed cum nihil proficeret, atque omnem purgandi ſe de criminibus falsò obiectis ereptam videret poteſtatem: ſupplex in genua procidens, ſublatis in cœlum & manibus & oculis, orabat, cauſam ſuam Deo *iudici æquiſſimo magna voce commendans. atque ſæpius hac appellatione ad* Deum *vſus eſt, dum accuſaretur.*

T*andem illi omnibus articulis, quos ex libris ipſius decerpſerãt, expoſitis, ſubijciebant quoque eos qui teſtibus confirmati erant: callidè quidem ſingulis capitibus nomina teſtium ambigua, nempe officiorũ aut dignitatum ſubiungebant: germana verò reticebãt artificioſè admodum. exempli gratia: Singulis capitibus recitatis, ita nomina teſtium addebant:* Huius *criminis teſtes ſunt, duo* Canonici Pragenſes *& totidem* Parrochi, *altarii tres, & vnus doctor: atque hoc artificio vſi ſunt in citandis teſtimonijs.*

O*mnibus itaque criminum capitibus finitis & perlectis,* Pontificius Iudex *mox ſurrexit:* Erat *autem ſenex quidam, caluicio inſignis, genere* Italus. *is condemnationis ſententiam in* Huſſium *legebat, quã ad verbum deſcribere hîc, ſuperuacaneum viſum eſt, potiora ſaltẽ declarare ſatis ſit, ad quæ obiter, quanquam illis ſedulò inhibentibus, ipſe reſpondebat.* Ac *in primis cùm legeretur, quòd multos annos pertinaciter hæſiſſet in erroribus,* Ego *verò inquit* Huſſius, *id pernego. ſemper enim deſideraui, & etiamnũ deſidero firmiore* Scriptura *doceri: ac vtinam vel vnum ſacræ ſcripturæ verbulũ mihi hodie daretur, quod omnes hos errores tollere & conuincere poſſet.* Et *cùm in ea ſententia, libros quoque eius condemnaſſent, quos de* Eccleſia *inſcripſit. denique quicquid ædidit* Latinè, Bohemicè, *& ſi quæ in alias linguas tranſfuſa erant, vt* Conſtantiæ *& paßim alibi, per* Epiſcopos *in regionibus omnia exurerentur ac abolerentur.* Ad *ea* Huſsius *ita reſpondit,* Quo *iure mea ſcripta damnare poteſtis, quæ nec vllis firmioribus argumentis, quod ſẽper cupiui & iam cupio, refutaſtis, nec vllius erroris conuiciſtis?* Deinde *qua re impulſi libros noſtros in* Bohemicam *vel aliam quampiam linguam verſos abrogare decreuiſtis? nimirum quos nunquam vidiſtis: & vt maximè videritis, non*

Ut ne pilum ullum boni in habuisse videatur.

intellexiſtis, quippe Bohemicè *prorſus ignari*. *Hæc conqueſtus tandē alias criminum partes in ea condemnatione cōtra ſe lectorum auſcultando, cælum ſuſpiciens, ſupplex ac genibus flexis, orabat.*

P*orrò condemnatione hac finita,* H*uſsius pro omnibus inimicis ſuis voce clara ita deprecatus eſt:* Domine Deus, *per tuam miſericordiam precor, omnibus hoſtibus meis digneris ignoſcere.* Nam *tu ſcis me ab his iniuſtè eſſe accuſatum, falſis teſtibus circunuentum, effictis criminibus oppreſſum, denique iniquè condemnatum.* Propter *miſericordiam igitur tuam, culpam eis remitte.*

H*is dictis plerique ſacerdotū ſeniores, ac præſertim* Epiſcopi *toruo vultu inſpicientes, eum irridebant.* Deinde *ſeptem* Epiſcoporum *iuſſu, qui illi ſacerdotium adimebant, veſtibus ſacrificorum induebatur, ac ſi ei miſſa celebranda eſſet.* Ac *principiò albam veſtem induens, dixit:* Dominus *meus* Ieſus Chriſtus *cum ab* Herode *mitteretur ad* Pilatum, *in veſte candida illuſus eſt.*

Sacerdotiū ſcilicet Papiſticum.

P*oſtea illis indutus veſtibus, admonebatur ab* Epiſcopis, *vt errores illos, dum liceret, retractaret iuramento etiam adiecto.* I*pſe verò coram his in ea menſa, vbi induebatur ſtans, ad vulgus ſeſe conuertit, ac voce querula & lachrymans, ad turbā inquit:* En *iſti* Epiſcopi *perſuadent ac hortantur me ad errores illos retractandum.* A*ſt ego hoc facere metuo, ne mendacij arguar olim in cōſpectu* Dei, *ſi errorum me reum eſſe faterer, quorum nunquam eſſem conſcius, quos nunquā docuerim, atque adeo ne cùm conſcientiam, tum veritatem diuinam offenderem, quandoquidem nunquam eos aſſeruerim, ſed per falſa teſtimonia mihi obtruduntur iniquè, quibus ego contraria & ſcripſi & docui.* A*d hæc ne animi tantæ multitudinis, cui hactenus concionatus ſum, offenſi à veritate auellerentur, ac aliorum quoque, qui verbi diuini fideles ſunt miniſtri.* Hoc *dicto,* Epiſcopi *cum reliquo cœtu in hæc verba prorumpunt:* I*am tandem perſpeximus, quàm peruicax ſit in malicia, atque tenax in ſua hæreſi.*

A*c mox iidem* E*piſcopi* H*uſsio mandarunt, de menſa deſcenderet, ibi adimentes ei ſacerdotium.* Princip*iò auferunt ab eo calicem, dicentes:* O I*uda maledicte, qui deſerens conſilium pacis, iniiſti conſiliū cum* I*udæis,* En *auferimꝰ à te calicē hūc, in quo ſanguis* Ieſu Chriſti *offertur in*

tur in redemptionem mūdi. Tū ille alta uoce exclamauit viciſſim: Ego *verò ſpē omnē & fiduciā in* Deo *meo & ſaluatore meo fixam habeo, quòd ille calicem ſalutaris à me nunquā auferet, & confido conſtanter, quòd ipſius præſidio adiutus, hodie in regno eius hūc bibiturus ſū.* Illi *verò reliquo habitu eum exuere perrexerunt. Subinde more ſuo ſingulis veſtibus turpem execrationem adijcientes.* Huſſio *interea reſpondente:* Illuſiones *has æquiſſimo animo pro nomine & veritate* Ieſu Chriſti *ſe ferre.*

T*andem* Epiſcopi *multiplici illa ſacrificantium veſte ab eo abſtracta, ad raſum etiam verticem corrumpendū accingunt ſeſe, ſed de hac re magnum inter eos diſſidium ortum eſt, quibuſdam nouacula eum tondere volentibus, contrà nonnullis ſatis eſſe cenſentibus, ſi forfice duntaxat raſura turbaretur.*

H*æc dum agitantur,* H*uſſius ad* I*mperatorem in ſolio ſedentem conuerſus, ait:* E*ia inter* E*piſcopos iſtos non bene cōuenit, mirùm ſanè cùm omnes æquè crudeles ſint, in ipſa tamen crudelitate non conſentire.* V*icit tandem factio ea, quæ pro forficibus contendebat, ac capillis eius in quatuor partibus ad ſpeciem crucis ſciſſis, orbem illū raſum aboleuerunt, his verbis adiectis:* I*am hoc ſacrū* C*onſtantienſe cōcilium,* I*oānem* H*uſſium ordine ſacerdotij ac munere præclaro quo exornatus fuit, amouet, ea re declarans, quòd hominem hunc templū atque* E*ccleſia* D*ei ab ſeſe abdicauerit, ac deſtitutum ſuo præſidio, poteſtati ſeculari tradiderit.*

P*riuſquàm autem coronam in ludibrium ex papyro factā impoſuerunt capiti eius, inter cætera conuitia dixerunt:* A*nimam tuam deuouemus* D*iabolis inferni.* I*lle verò manibus complicatis, cœlū ſuſpiciens, inquit:* A*ſt ego eā commēdo benigniſſimo* D*omino* I*eſu* C*hriſto.* P*oſtquàm autem coronam eam vidit, dixit:* D*ominus meus* I*eſus* C*hriſtus pro me miſero longè aſperiorem atque grauiorem ſpineam coronam innocēs ad infame genus mortis geſtare dignatus eſt, quapropter ego miſer peccator hanc multo leuiorem coronam, quanquam meū ludibrium, libens nominis ipſius ac veritatis cauſa in capite ferā.* P*orrò corona hæc erat ex papyro facta, & ad ſpeciem pyramidis faſtigiata, cubitali fermè longitudine, in ea tres horrendi cacodæmones*

Horrenda hæc sunt.

Piissima hæc sunt.

Forma Coronæ.

Ad significandum istud Concilium regi & gubernari à solis cacodæmonibus.

erant depicti, cum hac inſcriptione criminis: Iſte eſt Hæreſiarcha. Tum Imperator ad Clemētis filium Lodouicū, de quo paulò antè meminimus, Germanicè inquit: Abi, & acceptū hominē trade lictoribus. Ille mox veſte ſua depoſita, qua, vt ſolent duces exornatus erat, imperium exequitur, ac correptum Huſsium carnificibus in manus dat & lictoribus, ipſéque ad ſupplicium comitatus eſt eum. Igitur ea corona ex templo ad ſupplicium ductus eſt, ante cuius conſpectum ſub eandem horam libros ipſius tradiderunt incendio, quo condemnationē eorum teſtarentur. Porrò Huſsius eo facinore, præclaro ſcilicet, viſo, ſubriſit, ac ad rogum profectus, turbam commonebat, ne crederent propter errores ſe exuſtum iri, falſò enim accuſatum eſſe, ac teſtibus iniquis oppreſſum, hoſtibus ſibi infeſtiſsimis: Quid, quod hactenus rectius non docuerūt, inquit, atque ego ſenſi, ex ſacra ſcriptura, id quod vnice ſemper cupiebam? Turba autem quæ comitabatur eum ferè armata erat. Poſtquam autem peruenit ad eum locum, in quo paſſurus erat, flexo poplite, ac manibus oculíſque cælum verſus ſublatis, ſupplex precabatur, recitando quoſdam Dauidis Pſalmos, ac præſertim quinquageſimum & triceſimum, Verſum quoque hūc: In manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum: voce clara & vultu hilari ſubinde repetens, ita vt facilè circunſtantes audirent eum. Porrò locus, in quo vrēdus erat, eſt inſtar prati, ſitus inter hortos ſuburbij Conſtātienſis, quo itur ad arcem nomine Gotleben, in qua Huſsius antea vinculis detentus fuerat.

Ac cùm ita, vt iam dictum eſt, oraſſet, interea quidam ex plebe homines illiterati dixerunt: Nobis non eſt compertum, quid hic Huſsius antea docuerit vel concionatus ſit, cæterùm nunc audimus ex eo ſacra eloquia, ac pias preces. Alij verò optabant illi dari confeſſorem. Quidā verò ſacerdos equo inſidens, conſpicua tunica indutus, quæ intus rubra ac tenuiſsima tela ſuffulta erat, reſpondit: Indignus eſt vt audiatur, nec adhibendus eſt ei confeſſor. hæreticus enim eſt.

Cæterùm dubium non eſt, quin hæc opprobria animum Huſſij grauius pertentaſsent, niſi in hac tota cauſæ actione id altè animo infixū fuiſſet, ſe pro Chriſto pati: vt ipſe teſtatur in epiſtolis quas in carcere ſcripſit. Porrò inter orandum, contumelioſa corona illa cecidit de

capite

capite ipſius, quam Huſsius conſpicatus ſubriſit. Quidam verò ſatellites, quibus cinctus erat, inquiunt: Reſtituatur *rurſum corona capiti eius, vt vnà cum* Diabolis *dominis ſuis, quos hic coluit, exuratur.*

T*um ille iuſſu carnificis, & lictorum erectus, clara voce, ita vt ab circunſtante turba facilè, & audiretur & intelligeretur, ſic orabat:* Domine *Ieſu Chriſte, crudeliſsimum hoc atque horrendum ſupplicium, propter ſanctum* Euang*elium tuum, ac ſacri verbi prædicationẽ, libens & humiliter pati volo, tu autem omnibus inimicis meis ignoſce precor.* A *lictoribus circunductus, omnes hortabatur, ne crederent ſe vlli errorum eſſe obnoxium, quos vel doceret, vel adſereret, ſed falsò ſibi adſcriptos eſſe, ac falſis teſtibus firmatos.* Huſsius circumstanti populo valedicit.

T*andem petijt ab eis, vt liceret ſibi carceris ſui cuſtodes alloqui. Quibus vbi ad eum acceſſere, inquit:* Gratias *vobis ago fratres mei dilectiſsimi, de omnibus beneficijs, quæ contuliſtis in me. nam fratres mihi chariſsimi fuiſtis, nedum cuſtodes mei.* Ac *ſcitote, quòd conſtãter credo* Saluatori *meo, cuius nomine hoc genus mortis æquo animo volo perferre, certò confiſus me hodie cum ipſo fore in paradiſo.* Id *verò* Germanic*è ad eos locutus eſt.* Alloquitur custodes carceris.

Mox *ipſum ad quendam craſſum ac perforatum aſſerem manibus obuerſis, ſex aut ſeptem funibus duriſsimè alligarunt.* Ac *primus proxime talos, deinde ſub genibus, mox ſupra genua, præterea iuxta inguina, ſextus medium corpus vinciebat, poſtremus ſub brachijs.* Porrò *aſſer ille terræ intruſus ac infixus ſtabat.*

Sed quoſdam ibi aſtantes malè habebat, quòd conſtitutus eſſe facie ad orientem verſa. iubent igitur, vt occaſum verſus vultu obuerteretur, eſſe enim hæreticum. id quod ſtatim factum eſt. Ad *hæc ipſius ceruix alligata erat huic aſſeri atra quadam catena, ac fuligine obducta, quippe ex qua forté quiſpiam antea ahenum appenderat. quam vbi* H*uſsius capite paulùm reflexo vidit in hæc verba prorupit,* D*ominus Ieſus Chriſtus ille redemptor meus ac ſaluator chariſsimus, longè crudeliore ac duriore catena propter me vinctus erat, cur igitur ego miſer erubeſcam, propter ipſius nomen ſacroſanctum hac fuliginoſa conſtringi?* Porrò *ipſius pedibus*

(*ocreatis etiamnum, & vno cõpede cinctis*) *duos lignorũ faſces ſuppoſuerunt.* Hic cùm *quendam ruſticum conſpiceret ligna adferentem, blandè ſubriſit, atque hæc verba* D. Hieronymi *clarè protulit:* Sancta *ſimplicitas.* T*andem his vndique* Huſsium *ceruicetenus, miſtis ſtraminibus, circumſepſerunt.*

testis huius dicti M. Lutherus.

Et *priuſquàm ligna incenſa eſſent, acceſsit ad eum ciuitatum* Imperialium *quidam, quem vulgo* Marſchalcum *vocant, vnà cum* Clemẽtis *filio,* H*uſsium exhortando, vt ſeruãdæ ſuæ vitæ cauſa, adhuc dogmata ſua & conciones retractaret & abiuraret.*

T*um ille cælum ſuſpiciens, alta voce reſpõdit:* Deum *teſtor, ea quibus me per falſos teſtes inſimulant, numquam me nec docuiſſe, nec ſcripſiſſe, ſed conciones noſtras, dogmata, & ſcripta, denique omnia opera eo animo inſtituimus, ac ad eum ſcopũ direximus, quò mortales à tyrannide peccati eriperemus.* Q*uapropter veritatẽ eam, quam docui, ſcripſi, & vulgaui, lege diuina, ac doctoribus ſanctis firmatam, hodie lætus hoc mortis pignore obſignare volo.* Q*uo audito,* Ludouicus *cũ* Collega *ſuo manibus comploſis, ab eo diſcedunt.*

A*c carnifices ſtatim pyram accendunt,* Huſsius *verò prealta voce exclamauit ſemel atque iterũ:* Chriſte *fili* Dei *viui, miſerere mei.* T*ertio canentem:* Q*ui natus es ex* V*irgine, ventus repentè obortus, flãma eum præfocauit, atque ita cõticuit.* A*c interea tam diu nutabat capite, ac ora mouebat, dum quiſpiam* Dominicam *orationem bis aut ter repetendo abſoluere poſſet.* Deinde *ita tacitus intra ſe orans, emiſit ſpiritum.*

P*orrò vbi faſces lignorum ambuſti cecidiſſent, ac corpus ipſius ad aſſerem catena ligatum hæreret, tortores id cum aſſere in ignem intruſerunt fuſtibus, ac tum circumcurrentes, ligna aggerebãt, cadauer vrentes.* I*bi videas carnificum exquiſitã in ſingula membra crudelitatem.* N*am proh dolor, ipſius oſsa fuſtibus comminuentes tundebant, quò citius igne abſumerentur.* D*einde caput inuentum palo diſſecuerunt.* P*orrò cor in inteſtinis repertum, ac veru ligneo acuminatóque infixum inter comburẽdum fuſtibus cædebant.* I*nterea carnifex quidam veſtem* Huſsij *tenebat,* Ludouicus *autem ſimulátque cognouit eſſe tunicam* Huſsij*, iuſsit eam ac cingulum, denique quicquid ipſius*

eſſet

eſſet inijcere in ignem, dicens: Bohemi enim id vice ſacramenti haberent ac colerent. deinde carnifici pollicitus eſt iacturam hanc compenſaturum eſſe. P*oſtremò omnia igne in cinerem concremata, cum puluere ac terra altius effoſſa in bigas impoſuere, deinde in* Rhenum *præterlabentem disiecerunt, quo ipſius nomen prorſus apud fideles extinguerent, ne vel tenuiſsimus puluis in terra ſupereſſet eius viri: cuius tamen memoria neque igne, neque aqua, neque vllo genere ſupplicij ex animis piorum vnquam poterit aboleri.*

Habes, Chriſtiane Lector, hiſtoriam confeſsionis & mortis Ioānis Huſsii noſtra memoria protomartyris: in qua ne quid fictum aut ementitum credas, αὐτόπτης teſtis cauit in hanc ſententiam.

H*æc ſcio admodum tenuiter à me perſcripta eſſe, de* Ioannis Hus, M*artyris ſanctiſsimi laboribus, cum quibus illi* Herculei *nullo modo ſunt comparandi.* Hercules *enim ille vetus, pauca quædam monſtra confecit: hic verò noſter* Hercules, *fortiſsimo animo omniū monſtrorum & immaniſsimarum beſtiarum matrem, mundum ipſum ſuperauit.* D*igna erat res alio quodam genere orationis magis eleganti.* E*go verò, cùm præſtare aliud non poſſem, veritate ipſa volui, ea quæ complexus ſum, pijs animis commendare.* N*eque enim ab alijs accepi, ſed ipſe his omnibus interfui, atque ita vt potui, literis mandaui, vt ſanctiſsimi viri & egregij veritatis* E*uangelicæ* D*octoris memoriā, qualicunque hoc meo officio conſeruarem.*

EX MVLTIS EPISTOLIS QVAS IOANNES *HVS SCRIPTAS RELIQVIT, SE*legimus has ſequentes, plenas pietatis, conſolationum & prophetici ſpiritus.

EPISTOLAM SEQVENTEM RELIQVIT BOhemis Ioannes Hus, dum ei ad concilium proficiſcendum eſſet, in vulgari Bohemico ſcriptam. Ea fuit variè verſa Latinè ab aduerſariis, ſcilicet vt damnum daret Huſsio, in concilio.

FIDELES *& dilecti fratres, ſcitis quòd longo iam tempore bona fide vos inſtitui, docēs vos verbum domini* Dei, *non res alienas à fide* C*hriſti, non doctrinam falſam. nam ego ſemper quæſiui, quæro, & quæram quoad vixero, veſtram ſalutē.* C*onſtitueram quidem vobis loqui verbum* D*ei, antequàm migrarem*

Epiſtola Bohemis ſcripta.

ad concilium Conſtantienſe: deinde confutare falſa teſtimonia & teſtes falſos, quibus teſtimonijs atque teſtibus volunt me perducere ad ſupplicium: ſed temporis inopia nihil tale permittere mihi videbatur. quod tamen pòſt faciam. Proinde vos qui hæc de me ſcitis, nolite credere, nolite ſuſpicari, me ob vllam falſam doctrinam indignis modis tractandum eſſe. Manete in veritate, fidentes miſericordiæ Dei, quam veritatem dedit vobis Deus, & cognoſcendam & defendendam per me fidum concionatorem veſtrum. Et cauete falſos concionatores. Ego proficiſcar nunc cum literis publicæ fidei, à Rege mihi datis, ad multos & maximos inimicos meos, id quod luce clarius apparebit dum hoſtiliter aſtantes aduerſum me falſum teſtimonium daturi ſunt. Porrò, in ipſo concilio plures erunt inimici mei, quàm fuerunt aduerſus Saluatorem noſtrum, primùm ex Epiſcopis & magiſtris, deinde etiam ex Principibus huius ſeculi, & ex Phariſæis. Verùm ego confido Deo ſaluatori meo omnipotenti, quòd propter ſuam promiſſionem, & propter veſtram ardentem orationem, daturus ſit mihi prudentiam & os eruditum, ita vt eis reſiſtere valeã. Præterea etiam Spiritũ ſanctũ ſuũ, vt poſſim perdurare in eius veritate, adeò vt nullæ inferorum portæ queant me ab ea auellere. Item dabit, vt poſſim eſſe contemptore animo aduerſus tentationes, carcerem, & ſupplicium diræ mortis. Quẽadmodum videmus Chriſtum ipſum paſſum eſſe propter dilectos ſuos, nimirum relinquens nobis exemplum, vt propter ipſum noſtrámque ſalutem patienter omnia ſufferamus, ipſe enim eſt Deus, nos creaturæ eius: ipſe Dominus, nos ſerui eius, ipſe vniuerſi mundi Dominus, & nos homunculi infirmi eius, ipſe nulla re egens, nos egẽtes: ipſe paſſus, cur & nos non pateremur? præſertim quum noſtra paſſio ſit purgatio peccatorum? Profectò impoſſibile eſt vt pereat, quicunque in eum crediderit, & permanſerit in eius veritate. Proinde dilecti, orate inſtanter, ſi modò ſit ad eius gloriam, vt det mihi ſpiritum, qui efficiat, vt conſiſtam in eius veritate, & liberet me ab omni iniquitate. Porrò ſi mea mors illuſtratura eſt eius gloriam, acceleret eam, atque det gratiam, vt æquo animo, hoc quicquid eſt mali, perferre queam. Si verò ſaluti meæ magis commodum fuerit, vt ad vos reuertar, hoc rogabimus Deum, vt ad concilium profectus, reuertar ſine iniquitate, hoc

eſt, ne quid imminuam de Euangelij Ieſu *Chriſti veritate, adeò vt valeamus eius veritatem purius ſubinde agnoſcere, & Antichriſti doctrinam extirpare, noſtriſque fratribus bonum exemplũ, quod honeſtè imitentur, relinquere.* Iam *fortè* Pragæ *me porrò non viſuri eſtis. Si autem omnipotens* Deus, *pro ſua voluntate dignabitur me reddere vobis, animo eò hilariore in lege* Dei *proficiemus: maximè verò quũ in æterna gloria congregati fuerimus.* Deus *eſt miſericors & iuſtus, & dat pacem ſuis hîc & poſt mortem. Cuſtodiat vos, qui purgauit nos oues ſuas ſancto ſuo atque pretioſo ſanguine, qui ſanguis eſt ſalutis noſtræ teſtis æternus: & largiatur vobis, vt poſſitis implere eius voluntatem, & cùm ei ſatiſfeceritis, vt pacem habeatis & gloriam æternam, per* Dominum *noſtrum* Ieſum *Chriſtum, qui eſt* Deus *perpetuus, & homo verus, natus ex* Maria *virgine. Cui eſt glori a & erit in perpetuum, cum omnibus qui permanſerint in eius veritate.*

ALIA AD POPVLVM SCRIPTA EPISTOLA, è vulgari verſa.

CHARISSIMI, *rogo vos qui iuxta legem* Dei *inceditis, ne abijciatis curam ſalutis animarum veſtrarum, cùm verbum* Dei *audientes intelligatis, ne pſeudoapoſtoli vos decipiant, qui hominum peccata non reprehendunt, ſed eleuant.* Preſbyteris *blandiuntur, populi peccata non oſtendũt, ſeipſos magnifaciunt, ſua opera prædicant, ij virtutem ſuam mirificè extollunt, ſed* Chriſtum *dominum in humilitate, inopia, cruce, & multifarijs afflictionibus imitari non dignantur.* De *quibus prædixit clementiſſimus* Saluator, *inquiens, Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, multóſque ſeducent.* Et *cùm dilectos ſuos præmonens, ait, Cauete vobis à pſeudoprophetis, qui veniũt ad vos in veſtitu ouium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces: à fructibus ipſorũ agnoſcetis eos.* Et *quidẽ valdè opus eſt* Chriſti *fidelib⁹, vt diligẽter ſibi caueãt ac proſpiciãt. nã vt* Saluator *ipſe dicit,* Etiã *electi, ſi fieri poſſet, in errorẽ inducentur.* Proinde *dilectiſſimi vigilate, ne diaboli inſidijs circunueniamini.* Eò *autem circunſpectiores vos eſſe oportet, quò magis vobis* Antichriſtus *negotium faceſſit.* Iudiciũ *extremum propè eſt, mors abſorbet multos: at electis* Dei *filijs appropinquat regnũ* Dei, *quia pro illis tradidit corpus ſuum.* Ne *timeatis mor-*

tem, diligite vos inuicem, perſeuerate in intelligentia bonæ voluntatis Dei, ſine intermiſſione, dies iudicij terribilis & horrendus ſemper vobis ob oculos verſetur, ne peccetis: deinde vitæ æternæ gaudium, ad quod vobis enitendum eſt. Præterea paſſio Saluatoris noſtri, vt cum ipſo & pro ipſo libenter, quicquid ſit, feratis. Nam ſi illius afflictiones & crucem animo reputabitis, nihil vobis graue accidet, & libenter locum dabitis tribulationibus, maledictis, conuicijs, verberibus & vinculis, vt ſi res poſtulet, vitam pro ſanctiſſima ipſius veritate impendere non dubitetis. Scitote chariſsimi, Antichriſtum in vos irritatum, varias excogitare perſecutiones: multis autem ne pilo quidē nocuit, quemadmodum meo exemplo docere poſſum, quantumuis vehemēter mihi ſit infenſus. Quapropter vos omnes rogo, vt precibus ueſtris apud Deum pro me intercedatis, quò mihi intelligentiam, tolerantiam, patientiam & conſtantiam, ne vnquam à diuina eius veritate deſciſcam, ſuppeditet. Ille me iam Conſtantiam perduxit. In toto autem itinere apertè & manifeſtè, vt Dei ſeruum decet, nomē meum profeſſus ſum, nullibi occultus egi: ſed non alio loco peſtilentiores ac manifeſtiores hoſtes offendi, quos nec ibi habuiſſem, niſi Bohemici nōnulli impoſtores, ob beneficia accepta, & auaritia capti, oſtentantes, perſuaſiſſent me populum à certa via ſeducere. Sed bona me ſpes habet, fore vt per miſericordiam Saluatoris noſtri, & veſtras orationes, in irrefragabili Dei veritate vſque ad extremum ſpiritum fortiter perdurem. Magiſter Ioannes Hus ſeruus Dei in ſpe.

Acta ſunt hæc anno Domini M.CCCC.XV. Conſtantiæ in carcere apud Minores.

HANC EPISTOLAM SCRIPSIT IOANNES HVS propria manu Conſtantiæ, in carcere, ad commonefaciendum & conſolandum Regem atque regnum Bohemiæ, ne deſerant veram doctrinam Euangelii.

Epiſtola plena adhortationū

MAgiſter Ioannes Huſsius, in ſpe ſeruus Dei, omnes fideles Bohemos, qui diligunt Deum, optat in gratia Dei eſſe & mori, tādémque peruenire ad vitam æternam, Amen.

Qui præeſtis alijs, diuitéſque & pauperes in Deo dilecti & fideles, obſecro vos & moneo, vt Deo obtemperetis, verbum eius magnificetis,

ficetis,& libenter audiendo, re ipſa præſtetis. Obſecro, vt adhæreatis veritati Dei,*quam ex lege eius & ſermonibus Sanctorum ſcripſi & concionatus ſum. Obſecro etiam, ſi quiſpiam, ſiue in publicis concionibus, ſiue in colloquutionibus priuatis, aliquid à me audiuerit, aut ſcriptum legerit, quod ſit contra veritatem* Dei,*ne id ſequatur. quanquam nihil vnquam huiuſmodi me vel loquutū eſſe, vel ſcripſiſſe mihi conſcius ſum. Obſecro præterea, ſi quis leuitatem, ſiue in ſermone meo, ſiue in moribus aliquando animaduerterit, ne illam imitetur, ſed oret pro me* Deū,*vt id peccatum leuitatis mihi condonet. Obſecro, vt ſacerdotes bonorum morū ametis, præferatis alijs & honoretis, præcipuè eos qui in verbo* Dei *deſudant. Obſecro, vt caueatis vobis à fraudulentis hominibus, maximéque à ſacerdotibus impijs, de quibus Saluator dicit, quòd ſint in veſtitu ouium, intrinſecus autē lupi rapaces. Obſecro dominos, vt ſuos ſubditos pauperes tractēt humaniter, regántque iuſté. Obſecro ciues, vt in ſuo genere vitæ, cū conſciētia bona verſentur. Obſecro opifices, vt ſua artificia diligenter exerceant, vt eis cum timore* Dei *vtantur. Obſecro ſeruos, ut ſuis heris fideliter ſeruiant. Obſecro magiſtros, vt ipſi honeſtè viuētes, diſcipulos ſuos bene & bona fide inſtituant, doceántque eos, primùm vt Deum timere diſcant, deinde propter gloriam* Dei *& vtilitatem rerū publicarū, propriámque ſalutem: non autem propter auaritiam & huius mundi honores, in honeſtas diſciplinas incumbant. Obſecro ſtudioſos ſcholæ publicæ, & omnes alios ſcholaſticos, vt in honeſtis rebus omnibus obtemperent ſuis magiſtris, eóſque imitentur, vtque cum magna diligētia ſtudeant, quò vtiles eſſe poßint ad gloriam* Dei *illuſtrandam, & ad ſalutem tum ſuam, tū aliorum hominum. Obſecro vos ſimul omnes, vt generoſis dominis, domino* Bohuſlao Dubenſi,*domino* Ioāni Chlumenſi,*domino* Henrico Plumlouio,*domino* Vylemo Zagecio, *domino* Nicolao,*& alijs dominis* Bohemis,Morauis *&* Polonis,*gratias agatis, vtque vobis omnibus grata ſit eorū ſedulitas: propterea quòd tāquam ſtrenui defenſores* Dei *veritatis, oppoſuerunt ſe ſæpius toti illi concilio, pro liberatione mea omnibus viribus cū eo cōtendentes, præſertim* D. wenceſlaus Dubenſis *&* Ioānes Chlumēſis. Illis,*quæcūque referent, fidem habete. illi nanque erant in concilio, quum reſponde-*

bam per plures dies. Illi *ſciunt, qui* Bohemi, *& quàm multa & indigna aduerſum me protulerint: quo pacto congregatio illa contra me vociferabatur.* Ego *autem, vt dabã reſponſa ad omnia de quibus interrogabar. Obſecro vos etiam, vt pro rege* Romanorum *& veſtro eiuſque vxore* Regina *veſtra,* Deum *oretis, vt miſericors* Deus *cum illis & vobiſcum maneat nunc, & deinde in vita æterna,* Amen.

Ante mortẽ hæc ſcripſit.

Hanc epiſtolam ſcripſi vobis ex carcere & in vinculis, expectans poſtridie huius diei, qua ſcripta eſt, concilij ſententiam de morte mea, habénſque plenam fiduciam in Deo, *quòd non deſeret me, neque ſinet me veritatem ſuam abnegare, & errores, quos contra me falſi teſtes malitioſè commenti ſunt, reuocare. Quàm clementer dominus* Deus *mecum agat, mecúmque ſit in mirabilibus tentationibus, cognoſcetis, cùm in gaudio futuri ſeculi, auxilio* Chriſti *vnà conueniemus.* De *magiſtro* Hieronymo, *dilecto ſocio meo, non aliud audio, quàm quòd in vinculis duris detineatur, expectans mortem, quemadmodum & ego, ídque propter fidem, quam gnauiter* Bohemis *oſtendebat.* Bohemi *verò crudeliſsimi noſtri hoſtes, tradiderunt nos in aliorum hoſtiũ poteſtatẽ & vincula. obſecro vt pro illis* Deũ *oretis.* Adhæc *obſecro vos, præcipuè* Pragẽſes, *vt templũ* Bethlemiticũ *ametis, detíſque operam, quãdiu* Deus *conceſſerit, vt in eo verbũ* Dei *concionetur.* Propter *illũ enim locum ſatanas iratus eſt, & contra illum parochos & canonicos concitauit, animaduertens quòd in eo regnum ſuum infirmaretur.* Spero *in* Deum, *quòd illam ædem ſacram ſeruabit, quandiu volet, faciétque in ea profectũ verbi ſui maiorem per alios, quàm fecit per me imbecillem.* Obſecro *etiã, vt vos mutuò diligatis, & neminẽ prohibẽtes à veritate* Dei, *curetis ne probi vi opprimantur.* Data *die* Lunæ, *noctu ante* Viti, *per bonum & fidum* Germanum.

De Hieronymo Pragenſi.

Cõmendat Bethlemiticum templum propter conciones verbi, quæ in eo fiebant.

Hac Epiſtola oſtendit ſuis, cur Deus non patiatur perire ſuos, afferens varia exémpla.

Epiſtola cõſolationis plena.

DEus *vobiſcum.* Multæ *cauſæ, chariſsimi in* Deo *dilecti amici, in eam opinionem me adduxerunt, vt literas, quas proximè ad vos dedi, poſtremas eſſe putarem, propter inſtantem mortem.* Nunc *autẽ cognita eius dilatione, ducens loco oblectationis, quòd licet mihi vobiſcum*

biſcum per literas colloqui, iterum vobis ſcribo, vt ſic ſaltem meā erga vos oſtendam gratitudinem. Quòd autem ad mortem attinet, Deus nouit cur differat & meam, & mei chariſsimi fratris magiſtri Hieronymi, quem ſpero ſanctè & ſine culpa moriturum: ſcióque nūc etiam magis ſtrenuè eum agere & pati, quàm me miſerum peccatorē. Conceſsit nobis Deus longum tempus, vt melius peccata noſtra nobis in memoriam reduceremus, & ageremus fortiori animo pœnitentiam. Conceſsit nobis tempus, vt longa & magna tentatio deleret grauia peccata, & adferet conſolationem. Conceſsit nobis tempus, in quo recoleremus noſtri regis, domini noſtri Ieſu Chriſti miſericordis horrenda opprobria, & penſitaremus crudelem mortem, ſícque æquiori animo mala perferremus: præterea, vt in memoria teneremus, non dari immediatè gaudia vitæ futuræ, poſt gaudia huius mundi: ſed quòd per multas tribulationes Sancti intrauerunt in regnum cæleſte. Quidam enim eorum ſunt fruſtatim conciſi, quidam terebrati, alij cocti, nonnulli aſſati, alij viui excoriati, viui terra obruti, lapidati, cruci affixi, triti inter molares lapides, huc atque illuc tracti vſque ad necē, in aquis ſubmerſi, combuſti, laqueo ſuffocati, fruſtatim decerpti, & ante mortem probris affecti, macerati in carceribus & vinculis: & quis poteſt omnia omniū Sanctorum tormēta ac ſupplicia deſcribere, quæ ſub veteri & nouo Teſtamento propter veritatem Dei pertulerunt, præcipuè, qui ſacerdotum malitiam exprobrauerunt, & contra illam ſunt concionati? mirúmque erit, ſi quis etiam nunc impunè feret, fortiter reſiſtendo peruerſitati, præſertim ſacerdotum, quæ non patitur reprehenſionem. Et gaudeo, quòd iam meos libros coacti ſunt legere, in quibus malitia eorum vtcunque depicta eſt. Scióque quòd eos perlegerunt accuratius, quàm ſacrum Euangelium, volentes inuenire errores. O piiſsime Chriſte, trahe nos debiles poſt te: da Spiritum promptum, cor impauidum, fidem certam, ſpem firmam, charitatem perfectam, vt pro te exponamus patientiſsimè & cum gaudio vitam noſtram, Amen. Scriptum in carcere. Ioannes Hus in ſpe ſeruus Ieſu Chriſti.

Cur De⁹ differat mortē eorum qui carcere detinentur.

Diuerſa tormenta Martyrum.

Oratio Huſsii.

Confirmat ſuos hac epiſtola, ne terreantur propterea quòd eius libros igni tradendos iudicauerit concilium.

Epiſtola hæc propheticum Huſsii ſpiritũ demonſtrat.

MOnendos vos eſſe duxi, chariſsimi, ne paueatis, néue terreamini, eò quòd aduerſarij libros meos cõburendos decreuerint. Sitis memores, quomodo Hieremiæ Prophetæ *conciones combuſſerint Iſraelitæ: non tamen quod in eis prophetatum erat, euitauerint. poſt combuſtionem enim illarum, præcepit* Deus *eandem prophetiam, imò auctiorem conſcribere. quod & factum eſt.* Nam Hieremias *in carcere ſedens, dictabat, &* Baruch, *qui ei erat à manibus, excipiebat.* Hoc *ſcriptum eſt aut* XXXV. *aut* XL. *capite viſionis* Hieremiæ. *Scriptũ eſt etiam in libris* Machabæorum, *quòd exurebant legem* Dei *impij, & eos, qui eam habuerant, trucidabant.*

Hieremiæ liber auctior factus poſt cõbuſtionem.

Pòſt *deinde ſub nouo* Teſtamento, *Sanctos comburebant, cum libris* Diuinæ *legis. Cardinales condemnauerunt, & igni tradiderunt quoſdã libros ſancti* Gregorij, *& omnes tradidiſſẽt, niſi à* Deo *per* Petrum, *Gregorij miniſtrum, eſſent defenſi. Sanctum Chryſoſtomum, licet duo concilia ſacerdotum hæreticum pronuntiauerint, tamen miſericros* Deus *eorum mendacium, poſt mortem illius aurei oris, fecit manifeſtum.* Hæc *habentes præ oculis, cauete ne præ timore meos libros non legatis, & tradatis eos aduerſarijs ad comburendum.* Mementote *dicti Saluatoris clemẽtis, quo nos præmunitos eſſe voluit.* Erit, *inquit, ante diem iudicij tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, ad hoc vſque tempus, neque fiet: ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poſſit, etiam electi* Dei. *ſed propter hos, decurtabũtur dies illi.* Horũ *memores, chariſsimi, ſitis imperterriti.* Confido *enim in* Deo, *quòd ſchola illa* Antichriſti *vos reformidabit, ſinétque eſſe quietos.* Neque *concilium* Conſtantienſe *ad* Bohemiã *proficiſcetur. nam puto multos ex illis, qui in eo ſunt, prius morituros eſſe, quàm à vobis libros meos extorſerint.* Et *ex concilio per partes mundi, huc atque illuc more ciconiarum diſpergentur, cognoſcéntque adueniente hyeme, quod egerunt in æſtate.* Conſiderate *quòd ſuum caput* Papã, *propter quædam horrenda ſcelera, dignum morte iudicauerunt.* Agitedum, *reſpondete ad hæc prædicatores, qui concionamini quòd* Papa *ſit deus terreſtris, quòd poſsit ſacra diuendere, vt dicunt iuriſperiti, quòd ſit caput totius* Eccleſiæ *ſanctæ, eam optimè adminiſtrando: quòd ſit cor* Eccleſiæ, *eam viuificando ſpiritualiter: quòd ſit fons ex quo promanat*

Matth. 24.

Papæ elógia.

manat omnis virtus & bonitas: quòd ſit ſol Eccleſiæ ſanctæ: quòd ſit refugium tutiſſimum, ad quod quemlibet Chriſtianum confugere oporteat. En *caput illud iam gladio amputatum, iam deus terreſtris vinctus, iam eius peccata palàm declarata, iam fons ille* Ioannis 23. papæ condemnatio. *ſiccatus, ſol obſcuratus, cor extractum abiectúmque, ne quiſpiam ad illud refugiat. Concilium caput illud huius etiam ſceleris condemnauit, quòd indulgentias, epiſcopatus, & id genus alia diuendebat. Sed illi eum condemnauerunt iudicio, quorum multi ab eo emptores talium rerum extiterant, & viciſſim alijs eas vendendo, mercaturam exercuerunt. Aderat ibi* Ioannes *epiſcopus* Litomyſlius, *qui bis epiſcopatum* Pragenſem *emere conabatur: ſed alij eum anteuerterunt. O homines perditos! cur prius trabem ex oculo ſuo non eiecerunt, cum ius eorum dicat, Quiſquis dignitatem aliquam argento conſecutus fuerit, ea priuetur? Venditor igitur & emptor, quique interponebat ſe illi contractui, palàm eſtote cõdemnati. Sic ſanctus* Petrus *condemnauit & fecit anathema Simonem, volentem emere virtutem Spiritus ſancti. Hi venditorem anathema fecerunt, & condemnauerunt, ipſi autem emptores & huius contractus aſſenſores ſunt ſine periculo. Quid, quòd domi ſuæ mercatum hunc exercent? Conſtantiæ enim eſt vnus* Epiſcopus, *qui emit, & alter qui vendidit.* P*apa autẽ, qui approbauit factum, ab vtroque munera accepit. ita fit, vt ſcitis, etiam in* Bohemia. *Vtinam dixiſſet* Deus *in concilio illo, Qui ex vobis eſt ſine peccato, is ferat ſententiam aduerſus* Papam Ioannem. *procul dubio, alius poſt aliũ exiuiſſet. Cur ante hunc iſtius caſum, genua ante eum flectebant, eius pedes oſculabantur, ſanctiſſimúmque nominabant, cùm viderent hæreticum eſſe, homicidam eſſe, perditum peccatorem eſſe, quæ omnia de eo iam palàm fecerunt? Cur* Cardinales *in* P*apam eum elegerunt, cùm ſcirent ipſum occidiſſe patrem ſanctiſſimum? Cur permiſerunt ei in ſacris negotiari tum, cùm iam* P*apæ officium ſuſtinebat? nam ideo ei à conſilijs ſunt, vt eum recta moneant. annon & ipſi horum criminum æquè rei ſunt ac ille? Quandoquidẽ hæc nonnulla vitia in eo ferebant, quorũdã autẽ participes erãt: cur priuſquã Conſtãtia profugerat, nemo quicquã auſus eſt ei obijcere, ſed omnes vt ſanctiſſimum patrem metuebãt? Cùm autẽ ſecularis po-*

teſtas, ſic permittente aut volente Deo,*cum comprehendiſſet,tũ primùm conſpirauerunt,ne vllo modo à morte liberaretur.* Iã *certè malitia,abominatio, & turpitudo* Antichriſti *reuelata eſt in* Papa , *& in alijs huius cõcilij.* Iam *fideles ſerui* Dei *poſſunt intelligere,verba quid ſibi velint* Saluatoris *,qui dicit,* Cùm *videritis abominationẽ deſolationis,quæ dicta eſt à* Daniele *,&c.qui poteſt capere capiat,certè abominatio maxima eſt ſuperbia , auaritia , ſimonia,in loco deſerto,hoc eſt, dignitate,quæ eſt deſerta à bonitate,ab humiliatate, & alijs virtutib°, vt nũc clarè videmus in illis,qui cõſtituti ſunt in aliquo magiſtratu & dignitate.* O *quàm gratum eſſet,ſi per tempus liceret mihi improbitates nũc cognitas patefacere,vt fideles ſerui* Dei *poſſent eas cauere!* Sed *ſpero in* Deũ,*quòd mittet poſt me magis ſtrenuos,& nũc ſunt,qui melius patefacient malitiã* Antichriſti,*& exponent animas ſuas ad mortem,propter veritatẽ domini noſtri* Ieſu Chriſti,*qui & vobis & mihi daturus eſt gaudium vitæ æternæ.* Scripta *epiſtola in die ſancti* Ioãnis Baptiſtæ *in carcere , in compedidus,in illa meditatione,quòd ſanctus* Ioannes *in vinculis carceris decollatus ſit propter verbum* Dei.

Abominatio quid ſit.

Prophetia Huſſii de Martyribus.

Recenſet terriculamenta ſomniorum , quibus varie affectus eſt,etiamſi euentus probauerit omnia ſomnia vera fuiſſe.

Epiſtola plena conſolationũ.

DOminus *vobiſcum. conſilium* Domini *diligo ſuper aurum & topaſium.vnde ſpero de miſericordia* Ieſu Chriſti,*quòd dabit mihi ſpiritum ſuum,ad ſtandum in veritate.*Oretis Dominum:*nam ſpiritus promptus eſt, caro autem infirma.* Dominus *omnipotens ſit merces æterna dominorum meorũ , qui conſtanter,firmiter & fideliter ſtant pro iuſtitia,quibus dabit dominus* Deus *in regno* Bohemiæ *cognoſcere veritatem,quam,vt ſequantur, neceſſe eſt eos redire in* Bohemiam,*poſtponendo vanam gloriam, & ſequendo regem , non mortalẽ , miſerum, ſed* Regem *gloriæ,qui dat vitam æternam.* O *quàm grata fuit manus porrectio domini* Ioannis *! qui non eſt verecundatus mihi miſero manũ porrigere,tam abiecto hæretico & inferrato , & quaſi ab omnibus inclamato.*Iam *fortè non multa loquar vibiſcum:ideo ſalutetis tempore quo videbitis omnes fideles* Bohemos.

Intellige hiſtoriam. nam Ioannes à Chlũ cũ Hus iterum ad carcerẽ deduceretur é concilio, porrexit ei manum.

Paletz *venit ad me in carcerem, eius ſalutatio in maxima mea infirmitate , fuit iſta coram commiſſarijs.,* Quòd *non ſurrexit periculoſior hæreticus à natiuitate* Chriſti, *quàm* wicleff *& ego.*Item *dixit,*

quòd

quòd omnes qui meum ſermonem viſitauerunt, ſunt infecti iſta hæreſi: Subſtantia panis materialis remanet in Sacramento altaris. Cui *dixi, O Magiſter, quàm grauiter me ſalutaſti, & quàm grauiter peccas! Ecce moriar, vel fortè comburendo comburar, quid ergo muneris dabitur tibi in* Bohemia? *Iſtud fortè nõ debui ſcribere, ne videar ipſum malè odiſſe. Sẽper habui in corde meo, Nolite cõfidere in Principibus, &c. & iterum, Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.*

Sciatis pro certo, quòd magnam pugnam habui cum ſomnijs, ne ad ipſa exclamarem. Nam euaſionem Papæ antea ſomniaueram. & poſt narrationem dominus Ioannes *ſtatim in nocte dixit, Vobis Papa redibit. Deinde etiam captiuitatem magiſtri* Hieronymi, *licet nõ in forma. Omnes carcerationes quò ducar, & qualiter patuerunt, licet non in forma. Serpentes multi ſæpius apparuerunt, habẽtes capita etiã in cauda, ſed nullus potuit me mordere: & multa alia. Iſta ſcribo, non quòd me æſtimem Prophetam, aut me extollam, ſed ad dicendum vobis, quòd habui tentationes in corpore & in mente, & maximum timorem, ne tranſgrederer mandatũ domini Ieſu Chriſti. Iam recogito verbum magiſtri* Hieronymi, *qui dixit, Si venero ad concilium, æſtimo quòd non reuertar.* Ad *me etiam dixit quidam bonus ſartor,* Andreas Polonus, *valedicendo mihi, Deus ſit tecum: vix enim, ſicut mihi videtur, redibis incolumis, chariſſime & conſtantiſſime in veritate domine* Ioãnes: *det tibi* Rex, *nõ Hungariæ, ſed cæleſtis, omnia bona, pro tua fideli & diligenti, quam à te didici, doctrina.*

Pugna cũ ſomniis.

Hieronimi Pragenſis de ſe prophetia.

Sartoris Poloni inſignis valedictio.

O *ſancte Deus, quàm latè potentiam & crudelitatem extendit Antichriſtus! Sed ſpero quòd abbreuiabitur potentia ſua, & amplius denudabitur iniquitas eius in fideli populo. Deus omnipotẽs confirmabit corda ſuorum fidelium, quos elegit ante mũdi conſtitutionem, vt accipiant immarceſſibilem gloriæ coronam.* Et *furat quantum velit Antichriſtus, tamen non præualebit contra Chriſtum, qui illum interficiet ſpiritu oris ſui, vt ait* Apoſtolus, *& tunc liberabitur creatura à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum* Dei, *ait* Apoſtolus, *ſubdens, Noſipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri. Valde me conſolatur*

Prophetia

Ardor ſpiritus.

illud verbum Saluatoris noſtri, Beati eritis cùm vos oderint homines & cùm ſeparauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen ve-
Lucæ.6. *ſtrum tanquam malũ, propter Filium hominis. Gaudete & exultate: ecce enim merces veſtra eſt multa in cælis.* Ioãnes Hus *in ſpe ſeruus Ieſu Chriſti: à cuius ſpe nunquam potuit me diabolus ſeparare, nec ſeparabit etiamſi ſim in vinculis & carcere, ſtãs in præſentis vitæ litore, expectans in craſtino diram mortẽ, quæ vt ſpero purgabit mea peccata per Chriſtum filium* Dei *viui, Amen.*

Hieronymus de Praga.

QVemadmodũ ratio vitæ ac ſtudiorũ, doctrinæque piæ, Ioannem Hus & Hieronymum de Praga ſumma familiaritate coniunxerat, ita ſanctiſsima ſocietas mortis pro Euangelio ſubeundæ, eos communi fidei confeſsione copulauit: neque vlla tanta afflictionis magnitudo eos vnquã ab ea cauſæ optimæ iuſtiſsimæque coniunctione diſiungere potuit. Poſſemus quidem hoc loco commemorare vitã anteactam Hieronymi de Praga, nati in ea ciuitatis Pragenſis parte quæ Noua dicitur: eius optima ſtudia, mores, naturam, ſi res ipſa poſtularet, ſed ratio ordóque huius libri inſtituti, eam commemorationem potius requirit, qua ſingularis eorũ conſtantia cognoſcatur, qui Martyres à Deo vocati, præclarum eius veritati teſtimonium dederũt, eámq; vſq; ad extremũ vitæ ſpiritũ nõ minus liberè, quã piè, defenderunt.

Anno itaque à Chriſto nato, M.CCCCXV. *vehementer anxius Hieronymus de Praga, quòd patriã audiret ab hoſtibus & domeſticis & vicinis, multis falſiſque premi calumnijs,* Ioãnẽ *quoq; Huſsiũ à cõcilio indignis modis vexari, venit ſumma cũ animi alacritate Cõſtantiã quarto Aprilis die. Ibi cũ ſibi ſtrui inſidias intellexit, poſtridie Iberlingam ſe recepit, ciuitatem Imperij, quæ ab vrbe diſtat non amplius vno miliari. ídque faciebat ne ſe ſciens ac prudens in periculum proijcere videretur. Inde literas ad Sigiſmundum Imperatorem, reliquóſque Bohemiæ proceres, qui tũ erant Cõnſtantiæ, ſcripſit: quibꝰ petebat à Rege totóque cõcilio, vt ab ipſis fide data publica, quam Saluũ cõductũ vo-*

cant

Hieron: Frag:

cant, liceret in vrbem ire: ac ſe, modò daretur audientia, reſpondere paratum eſſe, ad quaſcunque criminum prolationes. Verùm Imperator quòd ſibi ſuas literas Huſſio datas multū moleſtiæ exhibuiſſe diceret, id facturum negauit: collegium verò ſacerdotum, ſe facturos illi quidem poteſtatem veniendi, etiam dato diplomate, affirmabat, ſed recedendi, non item. His ad Hieronymū relatis, miſit cōplures epiſtolas, Latinè, Bohemicè, & Germanicè ſcriptas, quas delubrorum monaſteriorúmque valuis, atque Cardinalium ædibus affigi curauit. In his ſe declarabat Conſtantiā prōptiſſimo venturū eſſe animo, propter certos tam patriæ quàm ſuæ doctrinæ detractatores, vt ſi qui ibi aliquam aduerſus eum erroris aut hæreſeωs actionē haberent, illi nomina ſua vt proderēt rogabat: ſe præſto fore ut ipſis ſatiſfaceret. Quòd ſi criminis alicuius conuinceretur, quod minimè verebatur, doceri, ita vt par eſt, & demonſtrari errorē cupiebat, modò fide publica ab ipſis accepta tutus eſſe poſſit. ſin autem, quū culpa vacaret, per vim aut dolum ibi detineretur, notam omnibus poſtmodò fore illius concilij iniquitatē, quòd contra omnia diuina & humana iura, ipſum indicta cauſa condemnaret. Cæterùm quādo ne hac quidem ratione, quod volebat exprimeret ab Imperatore: impetratis ſaltē à Bohemiæ proceribꝰ, qui tum ibi aderāt, literis ipſorū ſigillo obſignatis, quibꝰ teſtabātur innocentiā Hieronymi, & quēadmodū in animo habuiſſet aduerſarijs ſatiſfaciēdi de calumnijs. cū ijs, inquā, acceptis ipſe in Bohemiā reuerti ſtatueret: in via per inſidias ceperunt eum officiales Ducis Ioānnis, filij Clemētis: ac Sultzbrachium ad eundem ducem reduxerunt, vbi detentus tantiſper fuit, dum ab Imperatore totóque cōcilio accerſeretur: mox verò acceptis dux Ioannes ab Imperatore & concilio literis, vinctū Hieronymum Conſtantiā remiſit, quem ibi excepit alter Clementis filius, cui Ludouico erat nomē, íſque ad maiorē contumeliam catenis conſtrictū poſt ſe deduci curauit (ipſe enim veluti triūphās præibat) ad cœnobium Minoritarum, quò principes ſacerdotum & reliqua Phariſæorū fex confluxerant. Poſtquā verò ad Minoritas ventū eſt, & Hieronymus corā Epiſcopis cōſtitit catenatus, lecta ſūt ei ſcripta, diuerſis nuper locis affixa, quibꝰ ipſe in ius vocatus erat, ob ſuas epiſtolas, quas paſſim antè, valuis apponi curarat: ibi quidā Epiſcopꝰ ipſum cōpellās: Cur, inquit, fugiſti, & in ius vocatꝰ nō veniſti?

Hoc est primum argumentum Pontificiorum, quo solent sibi adversantes convincere.

Egregia Hieronymi reſponſio.

Tum ille: Quando nec ab Imperatore*, nec à vobis extorquere potui fidē publicā, quemadmodū* Baronum *ad me ſcripta teſtātur: atque etiam hîc mihi infeſtiſſimos eſſe hoſtes ſēſi, cedere viſum fuit, ne temerè ſolus, & non vocatus tantum diſcrimen ſubijſſe viderer. Sed ſi mihi aliquid de veſtra citatione ſignificatum fuiſſet: proculdubio me haud piguiſſet vel è* Bohemia Conſtantiam *proficiſci.*

Ioannes de Gerſō Hieronymum accuſat.

Hieronymus fuit Pariſijs, Coloniæ & Heidelbergæ

His dictis magna ſacerdotum turba cōtra pium virū cōcitata, teſtimonia producūt, & crimina clamore ſummo (vt eorū eſt mos) obiectant. Eo *autem tumultu ſedato,* Doctor *quidam ſenior* Cancellarius Pariſienſis *dicere cœpit (is erat* Gerſon) Hieronyme *cùm* Pariſijs *ageres, diuinam quandam eloquētiam tibi arrogās, vniuerſam ibi turbabas* Academiam*, multis falſis concluſionibus in vulgus ſparſis.* Cui Hieronymus *viciſſim modeſtè admodum reſpondit:* Venerande Magiſter*, quo tēpore* Pariſiis *in publicis* Gymnaſiis *orationes habebam, & de thematis, ex more magiſtrorum, firmis rationibus diſſerebam, nulla tum erat huius criminis mentio, quod tu intendis: quinimo in catalogum* Magiſtrorū *ſcholæ* Pariſiēſis *relatus ſum, & quod tum tēporis aſtruebam, id etiamnum in hac frequenti cōcione repetere non grauabor: & ſi quod erratum inueneritis, libens corrigam, & ſaniori doctrinæ æquiſſimo animo auſcultabo.*

Adhuc Hieronymo *loquente, alter neſcio quis terræ filius (magiſter videtur fuiſſe* Colonieſis*) ſurrexit, & ad eū dixit:* Tua *oratio, meher culè, quam* Coloniæ *quondam habuiſti, multis erroribus ſcatebat, qui nondum ex hominum memoria effluxerūt.* Agedum*, inquit* Hieronymus*, vel vnum quæſo errorē palàm profer. At ille attonitus quodāmodo,* Nunc *non recordor (ait) cæterùm pòſt paulò contra te producētur.* Et *continuò ſurgens tertius* Heidelbergenſis*, hoc modò ſuā accuſationē inſtituit:* Cū *apud nos viueres, varias blaſphemias præſertim de ſancta* Triade *ſparſiſti, vbi & ſcutū pinxeras ſanctā* Trinitatē *aquæ, niui & glaciei cōparās.* Ad *hæc verba ſic reſpōdit* Hieronymus*, quæcūque ibi dixi, ſcripſi ſiue pinxi, eadē nūc etiā, ſi vultis, dicā, ſcribā & pingam: & ſi quæ deprehenſa fuerit falſitas, ſupplex retractabo, & meliori ſententiæ cedam.* Interea *ij qui circunſtabant, exclamauerunt:* Exurite, *exurite hominem:* Quòd *audiens* Hieronymus *ſic*

Crucifige, Crucifige

ſic eſt locutus, Quòd ſi meus interitus adeò inſedit cordi & mea mors vobis placet: fiat voluntas Dei. Archiepiſcopus verò Salisburgēſis, Neutiquā, ait, Hieronyme. Scriptum enim eſt, Nolo mortē peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.

Tandem fine aliquo calumniarū & tumultuū facto aduerſus Hieronymū, traditur ipſe lictoribus vrbis: cæteri ſe domū ſuā quiſque contulerūt. lictores eū in certas quaſdā ædes duxerūt: quò accurrēs quidā de familia Huſſij Petrus Notarius, per feneſtrā ei eſt locutus, Mi præceptor, inquiēs, bono & firmo animo ſis, nec dubites veritatis cauſa mortē intrepidus ſubire: de qua multa liber olim ſapiēter diſputaſti. Cui Hieronymus, Mi frater ait, gratias tibi ago, quòd me inuiſeris, méque mortē nō pertimeſcere ſcito, de qua cùm multis verbis quōdam diſſeruerim, nunc re ipſa experiri opus eſt quid poſſit. Hoc ſermone ad feneſtram conuerſi cuſtodes, Petrū cū minis abegerunt. Hieronymū verò arreptū in turrim quandā ad cœmiteriū S. Pauli, cōiecerūt, manibus vinctis, & pedibus præalto carcere cōcluſis, vt cōſidere non poſſet, ſed capite tantùm pendulus terram attingere: atque ita cō plures dies excruciabatur, pane ſolo & aqua vitā trahens. Sed iā ex tantis cruciatibus graui quoque morbo confectus, petebat ſibi dari confeſſorem, ſperans mitius ſecū actum iri, quia ſe ritibus ipſorū accōmodaret. Quæ ſpes aliquandiu illū lactauit: nā remiſſiore deinceps vſus eſt cuſtodia, in qua annum manſit, exceptis diebus ſeptem.

Petrus Notarius Hieronymum hortatur.

Interea Ioannes Huſſius à tyrannis illis iniuſtè condemnatus, cōburitur octauo à ferijs Petri & Pauli die: ac circiter feſtum natiuitatis Mariæ Virginis eodē āno, Hieronymū diuturnis vinculis cōfectū ad ſe euocari iuſſerūt, eiq; multis minis propoſitis perſuadere conati ſunt vt decederet à ſentētia, & cōdēnationi Ioannis Huſſij iure, vt aiebāt, cōbuſti ſubſcriberet. Ibi ille per infirmitatē lapſus, partī horrore ſupplicij, partim ſpe euadēdi ex ipſorū crudeliſſimis manib⁹, formulā abiurationis ſibi datā ex ſcripto publicè recitauit: addidit præterea in gratiā illorū, Huſſiū iure igni abſumptū. Quo quidē facto nō euadebat, ſed ad eādē turrī deductus, min⁹ ſeuerè quā ātea tractabatur.

Iam verò ſequenti anno M.CCCC. XVI. acceſſerunt noui hoſtes Carmelitæ ex Bohemia, qui nouas accuſationes habebant aduerſus

Hieron: de Praga.

Hieronymum. Horum aduẽtu gauiſi, peſtilẽtiſsimi nebulones Michael de cauſis & magiſter Paletz apoſtatæ, pergũt vrgere cauſã aduerſus Hieronymum, quem ipſi certis indicijs collegerant non ex animo renuntiaſſe ſuæ doctrinæ, ſed id tãtùm formidine pœnæ feciſſe, atque ſpe liberationis: inſtãt apud Cardinales, qui in eo cõcilio iudicijs præſidebant, vt reũ ad crimina à prioribus diuerſa reſpõdere cogãt. Verùm illi perſpecta inimicorũ malitia, & iniuria, qua miſerum hominẽ afficerent, ſedulò de eo liberando egerunt. Hoſtes contrà ſumma ope contendebant, ne quo modo illi parceretur, clamantes indignum facinus patrocinari tam ſcelerato hæretico: atque præ cæteris egregius Doctor, Naſo dictus, Cardinales his ipſiſſimis verbis compellauit:

Oratio digna Naſone.

Miramur de vobis patres reuerẽdiſſimi, quòd veſtræ paternitates pro tali peſſimo hæretico intercedunt, propter quem nos in Bohemia cum toto clero multa mala paſſi ſumus, & veſtræ paternitates patientur. Et timeo quòd forſitan ab illis hæreticis vel à Rege Bohemiæ munera accepiſtis. Cardinales autem, huius ac cæterorũ furioſis clamoribus labefactati, cauſam Hieronymi deſerunt, & ſe iudicandi officio abdicarunt: in quorum locum, impulſu maleuolorũ, & veritatis infeſtiſſimorum hoſtium, quos modò nominaui, inſtinctu, ſucceſſerũt Patriarcha titulo tenus Conſtantinopolitanus, & quidam doctor Teutonicus: qui iudices nuper pium virum Ioannem Hus mortis damnauerãt. At Hieronymus hos nouos iudices repudiabat, coram quibus in vinculis ne verbum quidẽ priuatim eloqui volebat: ſed ſubinde cupiebat ſibi fieri poteſtatem publicè in frequenti concione animi ſui ſentẽtiam explicandi. in quo præſides & ſeniores concilij facilè ipſi aſſenſerunt, rati Hieronymum palinodiam paulò antè factã iteraturum, atque magis confirmaturum. Itaque anno eodem XXV. die Maij, qui erat dies Sabbathi ante Aſcenſionem, Hieronymus ad ampliſſimũ tẽplum ducitur palàm audiendus, vbi centum & ſeptem accuſationis capita lecta ſunt, de quibus etiam teſtibus euictum clamabant, atque adeo condemnatum. Attamẽ reo defendendi ſeſe copia, quã petierat, facta eſt. Hic Hieronymus, mirum bone Deus, quanta animi ſolertia & alacritate, ac ſi nullos cruciatus diuturnæ cuſtodiæ ſenſiſſet, à diluculo vſque ad meridiẽ, plus minꝰ quadraginta articulos refellebat:

quorum

quorum autem ſibi non erat conſcius, quæque à falſis teſtibus ementita agnouit crimina, ſimplici negatione ſeſe purgans præterijt. Cæterùm quoniam eo die non poſſet abſoluere ſuam cauſam propter horã meridianam, reiectus eſt in diem martis, quo quidem die ſummo mane ad eundem locum ductus, ad reliqua accuſationis capita non minori conſtantia & ingenij dexteritate reſpondit, & commodè ſupra modum criminationes in ipſos aduerſarios retorſit, adeò vt oratione qua ipſorum teſtimonia eleuabat, pudefacti, turpiſſimè obmutuerint.

In hoc quoque conſeſſu, mirùm quanta differendi ſolertia de varijs Philoſophorũ diſciplinis, & diuinis ſcriptis cum ſumma auditorũ admiratione ad pomeridianũ vſque tempus dixerit: demonſtrabat enim quemadmodum omnibus ſeculis odioſa mundo fuiſſet veritas, ídque probabat virorum ſapientũ exemplis, nec non Prophetarum & Apoſtolorũ & poſt eos martyrum, qui omnes veritatis cauſa tãquam ſeditioſi & publicæ trãquillitatis perturbatores aut in Deum blaſphemi, iniuria condemnati, varijs ſuppliciorũ generibus affecti fuere. Tũ oratione ad ſuum negotium reflexa: nonnulla de vitæ ſuæ curſu dicere cœpit, perſtringens obiter quæ in Germaniæ, Galliæ & Bohemiæ Academijs celeberrimis geſſerat, caſus etiam & labores enarrãs quos in diuerſis profectionibus paſſus erat, neque id ſilẽtio præteribat, quo pacto regnante wenceſlao, ipſe cum reliquis ſuæ gentis magiſtris, in adminiſtrãdo Pragæ gymnaſio, expulſis Germanis, qui Bohemis inuidebant, primas obtinuiſſet. Adhæc venit ad laudes Iohãnis Huſſij quẽ ſibi à paruulo cognitum aiebat, nec tamen in eo vnquam vel libidinis, vel ebrietatis vitia perſpexiſſe, ſed ſummũ ſemper honeſtatis & temperantiæ ſtudium, ardentem veritatis amorem, vt qui fideliter & piè ſynceram doctrinam, in qua diligenter verſatus erat, docuiſſet. Proinde huius & Ioannis wicleffi conciones, quibus illi inſolentiam, malitiam, ſcortationes, & auaritiã ſacerdotũ (his enim hoc genus hominũ ſcatebat) inſectati fuerant, valdè probare: nec latum quidem vnguẽ (vt aiunt) ab his diſceſſurum. Quod autem ad ſymbolũ fidei attinet, ea omnia ſe credere affirmabat & aſſerere cum ſancta Eccleſia catholica, hæreſes omnes deteſtari. Poſtremò hoc adiecit, ex omnibus peccatis, quibus hactenus maieſtatem diuinam offenderat, nullo tantùm

Veritas ſemper od[...]

laudes Huſſij

Hieron: Praga.

ſuam conſcientiam premi & grauari, atque eo, quod in execranda & peſtifera cathedra admiſerat, vbi infirmitate lapſus & horrore mortis retractare coactus, condemnationi Ioannis Huſſij *ſubſcripſit, multáque in gratiam aduerſariorũ contra tam pij viri doctrinã locutus eſt: quare ſe in eodem ſuggeſtu, dei beneficio conſtitutum, iam tanti ſceleris pœnitere, & irritam habere ſuam ſubſcriptionem, quoniam bonus ille vir ſumma iniuria raptus eſſet ad ſuppliciũ.* Hactenus Hieronymus.

Priore huius orationis parte mirificè auditores commouit, vt hominẽ liberari omnes percuperent, tanta ille dicendi ſuauitate animos eorũ cepit, atque in ſuam ſententiam pertraxit. Sed epilogo, vbi multa de laudibus Ioannis wicleff, & Hus *inſerebat exacerbati, dixerũt quòd iam ſeſe ipſe condemnauerit. Itaque ſtatim in carcerẽ rapitur, vbi crudeliſsimè, manibus pedibúſque & media corporis ſui parte catenis conſtrictus iacuit: donec die Sabbati poſt* Aſcenſionem, *magna armatorum militum cinctus caterua, ad idem templum ducitur. Hîc enim eo die frequens erat ſacerdotum & monachorum conſeſſus, ad ferendã aduerſus* Hieronymum *ſententiam: ac primò hortãtur vt in priori illa reuocatione perſtet, wiclefi &* Huſſij *doctrinam apertè contemnat. Contrà ille, ſine metu fortíque pectore multis in eum ordinẽ inuectus:* Teſtor, *inquit,* Dominũ Deum meum, *& vos omnes, nihil me hæreticum ſentire. Atqui omnes fidei articulos & credo & aſſero, quemadmodũ ſancta* Eccleſia *catholica facit. Cæterùm ſentẽtiæ veſtræ, qua ſãctos illos &* Chriſtianos, *ſpiritu vertiginis acti, dãnaſtis, quod vitã veſtrã perditiſſimam & verbis detexerãt & in ſuis libris, aptis coloribus depinxerãt, neutiquam accedo. Quãuis enim nullã ob rem aliam mihi à vobis certum ſupplicium decretum eſſe ſciam: nihil tamẽ cõtra conſciẽtiam aduerſus eos proferã, quos rectè de flagitijs veſtris & traditionibus prauis ſcripſiſſe, & locutos eſſe non ignoro.*

Hæc poſtquam intrepidè palàm confeſsus eſſet, tandem Epiſcopus Londenſis *conſcendens ſuggeſtum, concionem, ad ferendam aduerſus* Hieronymum *mortis ſententiam, concitauit. Hoc autem themate ſuæ concionis ſumpto ex* Marco: *Corripuit* Chriſtus *infidelitatem eorum, & duritiam cordis. Quemadmodum, inquit, nuper ſacrũ iſtud concilium, peßimorum hæreticorum* wiclefi & Hußij *vltum*

eſt

Hieron: Praga.

eſt infidelitatem, doctrinam eorum reijciens, vt errorum plenam, hæreſi infectam, ſanctæ Eccleſiæ *pernicioſam: ita in* Hieronymum *eorũ ſectatorem, hominẽ duræ ceruicis, arrogantem, & in ſua malitia pertinacem, animaduertat, vt cæteris exemplo ſit, ne tale quid vnquam audeant. Si verò qui poſthac emerſerint eius ſectæ homines, tũ omnibus promiſcuè datur authoritas contra eos dicendi teſtimonium, quãuis infamia etiã notatis, ganeonibus, latronibus, ſcortatoribꝰ, meretricibus, denique peſſimi quique teſtes audientur, & ſi opus fuerit diris etiã tormentis ab ipſis confeſſio extorquebitur, & mox è medio tollentur, neq; vllus erit veniæ locus, niſi cedant & palinodiã canant.* T*ui verò* Hieronyme, *quis miſereatur? quãdoquidẽ reuocationẽ quam antea euomuiſti, iam canis in morem reſorbere non es veritus, neq; id feciſti ſine offẽdiculo & ſummo ſacri huius cõcilij dedecore. Quapropter quæcunque condemnationis ſentẽtia de te feretur ab hoc cõcilio, iuſta & te digna erit.* Idonei ſane teſtes.

Abſoluta huius Epiſcopi *concione,* Hieronymus *iterum non minus ſapiẽti quã forti & præſenti animo apertè oſtẽdere cœpit ſummã ſibi fieri iniuriam, nullius ſe criminis, quod errorẽ, hæreſimue ſaperet, vel cũ fide* Chriſtiana *pugnaret, reũ eſſe: niſi fortè peccatum, inquit, ducatis maximũ, quia impios ſacerdotes, & perditæ vitæ ſacrificos reprehẽdi: malè ſanè me habuit, quòd ſuo munere abuterẽtur, nec vita ipſorũ cũ profeſſione & officio congrueret. Nũc ſi ſolis teſtibus innixi, me quoque nõ audiatis: teſtor* Deũ *& homines, vos iniquos eſſe iudices, qui in me ſolùm inuidẽtia ducti ſæuiatis.* H*ac oratione audita, quidã aduerſariorum ſubmonebant, vt iãiamque iterùm retractaret, alioqui de ipſo actũ eſſe.* Is *verò mortẽ propinquã cernens, ſic contra eos liberè eſt locutus & vaticinatus. Vos ſtatuiſtis nũc me innocẽtẽ ad pœnam rapere: at ego poſt meum obitũ veſtris conſciẽtijs aculeos & ſcrupulos relinquo, atque appello ad celſiſſimũ ſimul & æquiſſimũ* Iudicẽ *Deum omnipotentem, vt coram eo, centum annis elapſis, reſpõdeatis mihi.* Illi *autẽ hãc vocẽ riſu exceperũt, ac ſtatĩ iuſſerũt ſentẽtiã cõtra eũ multis verbis perſcriptã, recitari: cuius hæc ſumma erat.* Vaticiniũ Hieronymi Pragenſis.

Sacrũ Conſtantienſe *conciliũ,* Hieronymũ Pragenſem *ob eius errores, temerarios auſus, atque pertinaciam: & maximè, quòd priorem*

Hieron: Prag:

retractationem violauit cum magno ſacri concilij probro, iam hunc tanquam ramum putridum & marcidum ab radice exſcindit, & dãnat vt hæreticum execrandum & maledictum: traditque eum magiſtratui politico, vt de eo dignum impietate ipſius ſumat ſupplicium.

Lata itaque in hanc fere rationem ſententia: Ecce Hieronymo *corona chartacea affertur, depictis circumcirca cacodæmonibus decora: quam ſimulátque vidit abiecto ſuo pileo in turbam ſacerdotum, capiti ſuo impoſuit, dicens,* Dominus *meus* Ieſus Chriſtus, *pro me miſero moriturus, ſpineam coronam in capite ſuo geſtabat, longè quidẽ grauiorem: ego quoque viciſſim ipſius gratiæ & amoris nomine cũ hac libens in ignem accedam.* His *dictis mox à lictoribus tẽplo educitur & inter eundum, fidem catholicam, vt vulgò in templo cãtari ſolet, defixis in cælum oculis, magna voce lætus canebat: & deinceps alios hymnos donec extra portam venit ad eum locum, in quo nuper* Ioannes H*us trucidatus fuerat.* Ibi *ad ſtipitem ad quem exurendus erat, in genua procidens, diu tacitè ſecũ orabat: carnifices deinde erectũ veſtibus exuunt, atque ſordido in humeros iniecto linteo, cùm ſtaret ad palum catenis deligatus: pyram vndique ſtraminibus miſtã conſtruunt.* Interea Hieronymus *ſublata rurſus voce hymnũ paſchalem cecinit:*

Salue feſta dies, toto venerabilis æuo,
Qua Deus *infernum vicit, & aſtra tenet, &c.*

Abſoluto hoc hymno, iterum fidem catholicam carmine profeſſus, circunſtantem turbã, teutonico idiomate ſic allocutus eſt: Scitote chariſſimi viri, me non aliter credere quàm modò cecini, méque de fidei noſtræ ſymbolo ſentire vt Chriſtianum *decet: nunc autem morti addictus ſum, quòd huic ſacerdotum concilio in condemnando* Huſſio *non conſenſerim, qui (vt de vitæ integritate, & morum ſuauitate quam in eo viro ab incunabulis perſpexi, nihil dicã) fidus diuinæ* Legis & Euangelij *Ieſu Chriſti concionator extitit.* Poſtquam *verò à calce vſque ad verticem vndique lignis ſepſerant, veſte ipſius in rogum iniecta, face ſtruem accendunt carnifices.* Tum *ipſe altiſſimè hæc cecinit:* In *manus tuas* Domine, *commendo ſpiritum meum.* Adhæc *flãma præpeditus, ſic poſtremò* Bohemicè *vociferatus eſt:* Domine Deus, *pater omnipo-*

omnipotens, miſerere mei, & remitte mihi peccata mea: tu enim noſti me tuæ veritatis amatorem fuiſſe. Tandem igne obrutus, viſus eſt motis labijs apud ſe orare, dum expiraret. Interea lectus cum reliqua ipſius ſupellectili ex carcere apportãtur, omnibuſq; rebus igne cũ eo penitus cõſumptis, cineres in Rhenum proiecti ſunt. Sic eruditus iuxta ac pius vir à Pontificia factione, propter nomen Ieſu Christi, in puluerem eſt redactus:

Subſequuta ſunt hæc mortẽ Ioannis Hus & Hieronymi Pragenſis.

P*Oſteaquàm nuntium in Bohemiam allatum eſt, de crudelitate eorum, qui Conſtantiæ Ioannem Hus & Hieronymum Pragenſem acerbiſſima morte mulctauerant, ij qui eos duos viros amauerant, eorúmque opera & diſciplina aliquem verbi Dei guſtum perceperãt, à wenceſlao Bohemiæ rege impetrarunt, vt haberent certa templa, in quibus liberè & verbũ Dei annũtiari, & ſacramẽta adminiſtrari poſſent. Deinde ad deteſtandam eam rem, eo in concilio actam, contra omnem rationem, ius gentium, æquitatem, à barbaris etiam nationibus populiſque ſemper conſeruatam, tum verò ad memoriam ſingularis fidei ac virtutis Ioannis Hus perpetuandam, monetam argẽteam curauerunt conficiendam, quam nomine illius inſcriptam, Huſsiticam nominauerunt: cuius in ora vndique hæc verba inciſa fuerunt, Poſt centum annos vos Deo & mihi reſpondebitis: quibus quidem verbis vſus Ioannes Hus, certiſſimum Dei iudicium ijs denũtiauit, à quibus iniuſta morte afficeretur, vnumquenque eorum ad certum definitúmque vitæ ſpatium reuocans: vel potius in ſpiritu prophetiæ prædicens eam rerum commutationem, quæ centum poſt eius mortem annis, in eccleſia eſt conſecuta. Vir quidem beatiſſimæ memoriæ Martinus Lutherus, cuius opera Deus Euangelium eccleſiæ reſtituit, ea verba Hus accommodat ad illud tempus, quo ipſe impias Papæ indulgentias aggreſſus eſt, qui fuit ãnus* M. D. XVII. *centeſimus propè ab eo, quo Ioan. Hus Conſtantiæ crematus eſt, qui fuit* M. CCCC. XVI.

Itaque idem Lutherus aliud eiuſdem vaticinium commemorat de anſere, id eſt, Hus, qui lingua Bohemorum anſerem ſignificat: quem illi quidem tum torrerent, ſed non cygnum, qui venturus poſt ipſum,

F.

vſtulationē illorum effugeret. Quibus verbis, quū genus mortis ſuæ, tum etiam exitum Lutheri *quietum, atque ab illorum ſæuitia tutū, videtur ſignificaſſe.*

GVILIELMVS TAYLER.

Perſecutio in Anglia.

Poſt mortem Ioannis Hus *&* Hieronymi Pragenſis,*acerrima in* Anglia *perſecutio aduerſus pios ac fideles* Dei *miniſtros fuit excitata*. Homines *non vulgari authoritate & fide, diligenter quaſdam hiſtorias collegerunt, quas nos in hoc libro intexuimus, vt intelligatur, ſi memoria omnium eorum, qui* Martyres *ac teſtes* Chriſti *fuerunt, diligēter fuiſſet conſeruata & literis mandata, nullam fuiſſe vnquam ætatem, in qua maximus non extiterit numerus eorum, qui veritatē* Dei *ſuæ vitæ antepoſuerunt*. Ex *eorum numero fuit quidam literatus, magiſterio artium ornatus,* Guilielmus Taylerus Anglus, *doctrinæ* Euangelicæ *perſtudioſus*. Cauſam *autem ſummi odij ac furoris aduerſus eum incitati, attulit liber quidam, quem is contra inuocationem* Sanctorum *defunctorum ſcripſerat.* Itaque Londini *ob illud ſcriptum combuſtus fuit, anno* M.CCCC.XXII, *ſummáque conſtantia illud ignis ſupplicium perpeſſus.*

GVILIELMVS VVIGET.

G*Vilielmus wigetus, cùm in legendis wiclefi concionibus diligenter verſatus fuiſſet, inſtitutum vitæ ſuæ commutauit, eiúſque inquinamenta cognoſcens, opimum reliquit prouentum, quem ex ſacerdotio capiebat.* Ex *ſententia & voluntate* Dei *puellam,* Ioannam *nominatam, in matrimonium duxit.* Qua *vitæ ſocietate nunquam impeditus fuit, quo minus incumberet in opus inſtitutum ac ſuſceptum, vt & ſtuderet diligenter, & tum publicè tum priuatim homines in vera* Dei *agnitione ac pietate inſtitueret, omnémq; ſuam cogitationē, ſtudium, operam, in communem aliorum vtilitatem, ſalutémque conferret.* Itaque *captus in vrbe* Noruicenſi,*cùm triginta articuli ei propoſiti obiectíque fuiſſent, crudeliſsimè eo in oppido combuſtus fuit,* Guilielmo *epiſcopo eum perſequente, menſe* Septembri, *anno* M. CCCC. XXVIII. E*ius autem vxor, ſanctum mariti exemplum*

ſequens

ſequens, quantum quidem poterat, homines in timore Dei *inſtituebat: quam ob cauſam maximis moleſtijs iniuriiſque ab epiſcopo affecta & afflicta fuit.*

RICHARDVS HOVENDENVS.

ANno M.CCCC. XXX. *poſt inaugurationẽ regis* Hẽrici *ſexti, fuit quidã lanæ carminandæ ac pectendæ artifex* , Richardus Houendenus *nominatus, ciuis* Londinenſis, *qui nullis rationibus, quibus ab alijs tentatus ac ſolicitatus eſt, vnquam à* Chriſtiana *veritatis confeſſione abduci potuit.* Itaque *magiſtratus eius vrbis ac iudices, eum vt hæreticum condemnauerunt, ac prope turrem* Londinenſem *vſtulandum curauerunt.*

THOMAS BVGLVS.

THomas Buglus *natione quoq;* Anglus, *& vicarius parœciæ* Mauendenſis, *ab inimicis veritatis in crimen hæreſis, ac prauæ opinionis vocatus eſt, anno* M. CCCC. XXXI. *Is circa tempus medium quadrageſimæ, de gradu ac ordine ſacerdotij motus, & mox crematus fuit.*

PAVLVS CRAVS.

EOdem etiam anno M. CCCC. XXI. Paulus Craus, *propè oppidum ſancti* Andreæ, *per quendam* Epiſcopum, *qui* Hẽricus *dicebatur, captus eſt, & ab eodem in manum* Magiſtratus *ciuilis traditus, vt in ignem coniiceretur. Cauſa autem eius ſupplicij hæc fuit, quòd impias* Papiſtarum *opiniones de euchariſtia, de inuocatione* Sanctorum, *qui mortui ſunt, de auriculari confeſſione, aliiſque rebus nefarie ab illis in* Eccleſiam *introductis, liberè & conſtanter repellebat.*

THOMAS RHEDONENSIS.

THomas Rhedonenſis, *monachus ex eorum inſtituto, qui* Carmelitæ *appellantur, natione* Gallus, *in* Italiam *cum legatis* Venetorum *profectus eſt. qui quidem etſi ex illo impuro atque impio*

mendicantium eſſet ordine, tamen in ea vitæ profeßione, cognitionem veritatis non mediocrem habebat. Quòd autem Galliam *relinqueret, vt ſe conferret in* Italiam, *cauſa eum illa impulit, quòd ſperabat ſe illic aliquos homines pios,* Deúmque *metuentes reperturum, quibuſcum poſſet ſanctè atque honeſtè viuere.* Hanc *verò ſpem ſuam ea ratione confirmabat, quòd vbi homines profitebantur omnem ſanctitatem, ibi etiã omnia virtutum genera vigere florereque deberent.*

It*aque ea religionis ac pietatis lumina ante oculos ſibi proponens,* R*omam eſt profectus, cum ea optima ſpe, quòd multis ſanctißimorum hominum exemplis, quibus eam vrbem abundare arbitrabatur, rationem piè modeſtéque viuendi diſceret. Sed res in contrariam vitæ rationem planè inſtituta, eius opinionem atque ſpem longè fefellit.* N*am pro ſanctitate, hypocriſin, id eſt, affictam pietatis ſpeciem, ſanctitatémque fucoſam ea in vrbe offendit: pro gratijs ſpiritualibus ac cæleſtibus, magnificos apparatus faſtúſque: pro puro* Dei *timore, ſummum eius contemptum, in omni libidinis intemperantia impudentiáque effuſum: pro ſana ſalutaríque doctrina, ſuperſtitiones, otium, abominationes: pro manſuetudine* A*poſtolica, inhumanitatem & huiuſmodi tyrannidem, quæ omnem* Barbarorum *immanitatem ſuperaret: ita vt non modò id quod quis ignoraret, diſcere non liceret, ſed ne id quidem docere quod ſciret.* I*mprimis verò & vehemẽter eum offendit ambitio ſuperbiáque intolerabilis, quam perſpiciebat in ijs, in quibus ſumma modeſtia relucere debebat.* Itaq; *his tot vitijs flagitijſque offenſus, eos publicè admonere in concionibus conſtituit, atque ad aliam vitæ magis* Chriſtianæ *rationem reuocare: quanquam eos inſanabiles & planè deploratos, qui nec libris* wiclefi, *nec recenti* Ioannis Hußij, Hieronymique *ſanguine, eos quodãmodo admonente, nec tot piorum hominum* Deúmque *timentium, non ſolùm emendaſſent mores ſuos, verumetiam in omni malitia atque impietate obfirmati, deteriores atque impudentiores effeciſſent.* His *tamen tot ac tantis vitijs, difficultatibus, periculis,* Thomas *non eſt impeditus neque territus, quo minus, id quod propoſuerat agere, perſonam præceptoris, monitoris, obiurgatoriſque ſuſciperet, quoniam ex illorum diſciplina & ſchola omnium vitiorum, errorum, flagitiorúmque pleniſsima,*

Romanæ vrbis ſãcti-tas.

Superbia Romanenſium.

nihil

nihil diſcere poterat, quod cum doctrina Dei *&* *ſua conſcientia non pugnaret.* Itaque *cùm ad ſanam doctrinam, ſummam vitæ integritatem, modeſtiam, ſanctitatem adiunxiſſet, acriter vehementérque in mores hominum vitioſos inuehi cœpit, nemini parcere, imprimis verò* Cardinalium *ſcelera &* *flagitia, ſumma cum libertate inſectari.* Hac *autem orationis veritate atque acerbitate magnoperè offenſi reuerendi homines, ſtatim ad ſuam confugerunt conſuetudinem, vt ea cõfingerent hæreſis crimina, quibus monitorem ſuum cricunuenirent atque opprimerent.* Nam *quemadmodum ſuis quæque animalia armis inſtructa ſunt, quibus ad iuſtam defenſionem ſui vtuntur, ita iſtæ beſtiæ, alioqui ſemper otioſæ, crimina, calumnias, mendacia in ore, quaſi arma in manu parata, habent, cùm in periculum ventris ignauiſſimi à ſeruis* Dei *fidelibus ſe vocari arbitrantur.* Ad *hãc malitiam atq; impudentiam, adiungunt etiam armorum vim, vt hoc modo nõ ſolùm vocem cuiuſquam in eccleſia, ſed ne ſpiritum quidem liberum eſſe patiantur.* Itaq; *vt eſſent ſui ſimiles,* Thomã Romæ *iiſdem artibus rationibúſque circunuenerunt, quibus antea* Conſtantiæ Ioannẽ Hus, *atq;* Hieronymũ Pragenſem *oppreſſerãt.* Namq; *eum comprehenderunt, ſuſpicionibus criminibúſq; obruerunt, importunis perturbarunt quæſtionibus, articulos fidei ei propoſuerunt. denique accuſatum hæreſeωs, conuictum &* *condemnatũ, de gradu ſacerdotali ordinéq; primũ demouerunt: deinde ſummo vſitatóq; ignis ſupplicio affecerunt.* Hæc *eſt iuſtitia, manſuetudo, integritas eorũ, qui ſe* Apoſtolorum *ſucceſſores eſſe dicunt, quorum corda, maleuolentia, acerbitate inuidiáque infecta ſunt, linguæ fallaces, omniáque doli, periurij, mendacij plena: manus verò cruentæ eorum ſanguine, quorum iuſtam &* *ſanctam libertatem, nullo modo ferre poſſunt.* Sed *articuli, quos conflarunt aduerſus* Thomam, *&* *quorũ nomine eũ cremandũ curauerunt, hi ſunt.*

Integritas vitæ huius Martyris.

Quibus armis inſtructi ſint hoſtes veritatis.

Eccleſia *reformatione opus habet, eáque affligetur ac reformabitur.*

Quòd *his nouiſsimis temporibus infideles ad* Chriſtum Ieſum *conuertentur.*

Roma *abominationibus referta eſt.*

Excõmunicatio Papæ, *quæ non poteſt eſſe niſi iniqua, nõ eſt me-*

tuenda: & qui eam non obſeruant, non peccant.

Ita Eugenius, qui tum erat pontifex, Thomam accerſitum, in carcerem includendum curauit: vbi ſummas tormentorum acerbitates perpeſſus eſt. Poſt ea cruciamenta, ad iudicem, vt manſuetiſsimus agnus in maximum luporum rabidiſſimorum ac ſæuiſſimorum cœtum, adductus eſt. Itaq; cùm homo non minus modeſtus quàm pius malitiæ beſtiarum immaniſsimarum reſiſtere non poſſet, primũ ignominiam, vel potius ſummam gloriam commutati ordinis ſacerdotalis, deinde acerbã ignis pœnam ſuſtinuit.

RENAVDVS PECOLZ.

Hiſtoria Renaudi Pecolz, epiſcopi Ciceſtrenſis, ob pietatẽ ac profeſsionem Euãgelii à pſeudepiſcopis afflicti ac vexati, atque in carcere tandem necati.

QVòd ſcripſit Paulus, Deum velle ſaluos omnes homines fieri, dededucíque ad agnitionem veritatis, id hoc tẽpore videmus bonitate eius admirabili re præſtari. Nam ex omni hominum genere atque ordine, Deus ad cognitionem ſui vocauit, & vocat quotidie, etiam ex ijs qui deſperati planè atque à ſancta eius vocatione maximè omnium abalienati eſse videbantur. Hoc in numero ſunt monachi, ſacerdotes, Epiſcopi, quorum rationem vitæ conſiderare non poſſúmus, quin ſimul bonitatem ac veritatem Dei, eorum tenebras illuminantis admiremur atque omni laude & beneuolentia proſequamur. Epiſcoporum quidem huiuſmodi eſt difficultas & raritas, vt cùm extat aliquod exemplum miſericordiæ Dei, in vnum eorum aliquem collatæ, beneficiũ eius ſingulare, in primíſque memorabile eſſe videatur. Quo in genere Renaud⁹ Pecolzus Anglus, epiſcopus Ciceſtrenſis, meritò ponendus eſt: qui cùm puram Euangelij doctrinam cognouiſſet, eam tamen palàm ſtatim profiteri, apertéque teſtificari noluit: ſed hominum exiſtimationem, periculum terrorémque veritus, aliquandiu cognitæ veritatis profeſſionem occultauit. Sed is nõ diu in obſcuro occultóque illo pietatis ſtudio latere potuit, nec cæterorum Epiſcoporũ ac ſacerdotum ſuſpiciones euitare, tot notas, oculos, cõiecturas ſuſpicioſas illi habent, vt nulla ſit, aut tã infima hominũ cõditio, aut tã ſumma dignitatis amplitudo, quam illi cogitatione, animo, poteſtate ſua non cõprehẽdãt, tyrãnidíq; ſuæ ſubijciãt. Cõprehẽſus igitur ab his Pecolz⁹ Labetum

bi'etum deductus eſt: vbi in frequentiſsimo aduerſariorum conuentu conſeſſúque, Thomas archiepiſcopus Cantuarienſis præſidebat. nam eò maximus doctorum, atque Epiſcoporum numerus confluxerat. Eo etiam in conſilio dux Buchyngamiæ adeſſe voluit, epiſcopo Roffenſi ac Lincolinenſi comitatus. Tum verò inter multos alios articulos, hunc Pecolzo propoſuerunt, An ſubſtantia panis maneret in ſacramento. Quibus quidē ille commodè veréq; reſpondit, planéq; ſatisfeciſſet, ſi æquos nactus fuiſſet iudices, quibus aliqua ratione ſatisfieri potuiſſet. Is tamen vt cauſam & vitā ſuam tueretur, omnibus quibus poterat rationibus, ſententiam ſuam propugnabat. Aduerſarij verò atque inimici, vt faſtus apparatúſque ſuos tuerētur, contrà omnibus conatibus ac viribus eū oppugnabāt. Atq; vt nihil illis planè deeſſet, quod aut ad dominatum ſuum tuendū, aut ad opprimendū Epiſcopū pertinere videretur, vndiq; & ſophiſtas peracutos, & oratores excellentes, & philoſophos ac theologos in huiuſmodi quæſtionibus ac diſputationibus verſatos atq; exercitatos conuocarunt. neq; verò homines legum & canonum peritiſsimos prætermiſerunt.

Sed primùm non incommodum illis eſt viſum, vt priuato familiarique colloquio cū illo ageretur: in quo nihil planè eſt prætermiſſum, quod aut blandam vitæ ac dignitatis retinendæ atque etiam augēdæ ſpem, aut horrendam mortis infamiæque comminationē habere videretur. Quibus quidem rebus Epiſcopus variè tentatus atq; agitatus, in eam ſententiā & voluntatē adductus eſt, vt palàm apud populum, quæ profeſſus fuerat, ſe retractaturum eſſe promitteret. In hac tamen veritate animi atque iudicij, quam promiſerat, exitus ipſe ſatis oſtendit, cum quod piè ſentiebat, populo etiam apertè declaraſſe. Nā cùm aduerſariorum voluntati, vel potius libidini, non ſatisfeciſſet, in carcerem reductus eſt, ibíque mortuus, non ſine graui coniectura necis, ab inimicis iniuſtiſsimè allatæ.

NOBILIS CANDIENSIS.

De quodam Candienſi, illuſtri nato genere, Euangeliique nomine combuſto.

FAuentinus hiſtoricus eſt author, quendam vxoris ducis Candiæ propinquum, nomine Euangelij, ea in inſula accuſatum fuiſſe, & à

Petro Thomaſio, qui in Candia Pontificis Romani legatus erat, hæreſeωs condemnatum, conſtãter pœnam ignis perpeſſum eſſe: cùm cæteri, qui in eadem fuiſſent cauſa, quod erant profeſſi, renuntiaſſẽt, anno M. CCCC. XC.

Idem ſcribit, eundem legatum oſſa cuiuſdam mortui, poſt mortẽ hæreſeωs accuſati, effodienda atque exhumanda curauiſſe.

MATER DOMINAE YONG.

AD teſtimonium Euangelij illuſtrandum maximoperè pertinet, quòd nullus ſexus eſt prætermiſſus, quem Deus ad martyrium non vocauerit. Exempla multa præclaráque ſunt hodie fideliſsimarum fœminarum, quæ cum viris in hanc Euangelij communionem ac ſocietatem veniunt: vt cum eis multa grauia & opprobria & tormenta patiantur. Sed olim in Anglia inſignis & commemorabilis exempli fuit lectiſsima fœmina, dominæ Yongæ mater, quæ propter religionem virili conſtantia virtutéque cremata eſt, anno M. CCCC. XC.

ROGERIVS DVLE.

ROgerius Dulus, homo nobili genere ortus & profeſsione militari, pro vetitate defendenda & propugnanda in Anglia ſuſpenſus atque ſtrangulatus fuit, anno M.CCCC.XC.

EX eo tempore verbum Dei maximum accepit incrementum, fructúſque admirabiles protulit. Nam Spiritus ſanctus animos tum eorum qui doctrinam Euangelij annũciabant, tum etiam eorũ qui audiebant, ita feliciter tetigit, vt numerus fidelium ac piorum in dies ſingulos vehementer augeretur. Huiuſmodi autem virtus conſtantiáque diuinitus eis dabatur, vt quidã ex illis moleſtias & ærumnas carcerũ, ſũma cum volũtate ſuſciperent ac ſubirent: alij amiſſionẽ bonorum æquo ferrẽt animo: multi verò ne mortem quidem, eámque acerbã, pertimeſcerent. Ex quo facilè intelligi poteſt, ac verè dici, perſecutiones eccleſiæ Chriſtianæ per Apoſtolos natæ, repetitas renouatáſque fuiſſe, Chriſtúmque dominum eam operum admirabilem virtutem, quam primis illis temporibus exhibuit, his noſtris quoque nouiſſimis exhibuiſſe ac declaraſſe, cùm tantam gratiam in mundũ protulit atque effudit,

dit, tandiu ſumma ingratitudine hominum obſcuratã & propè deletam. E*am*D*ominus obſignare voluit morte teſtiũ fidelium, qui pro defendenda* Dei *veritate, ſanguinem ſuum profuderũt, præclarè* Ieſ*um* C*hriſtum imitati, qui coram* Pontio Pilato*, pro eadem cõfirmanda & obſignanda, teſtimonium non minus ſalutare quàm graue dedit.* Et*ſi hæc mors* S*anctorum pro* E*uãgelio ſuſcepta, iudicio mundi ignominioſa ſit & deteſtanda, apud* D*eum tamen eã gratiam & honorem habet, quem* S*piritus ſanctus in quodam* P*ſalmo declarauit.*

HENRICVS SVPPHEN, ab Diethmar.

I*Nter cæteros fuit* Henric*us* S*upphenus, vir præſtanti virtute, qui in vrbe* Diet*hmar, pro confitenda & tuenda* E*uangelij veritate grauiſsimo ſupplicio affectus, neque vlla aduerſariorũ crudelitate ac doloris acerbitate paſſus eſt ſibi eripi eam fidei confeſsionem, quam* C*hriſtus dominus ab eo poſtulabat.* I*s itaque anno* M.D.XXII. M*eldorffo cum contumelia expulſus eſt, propter* E*uangeliũ, quod ea in vrbe vſque ad annum* M.D.XXIIII. *prædicauerat. nam ob eam cauſam,* C*urio* Meldor*ffenſis, & cum eo aliqui fideles homines eum vocauerant, vt purum ipſis* Dei *verbum annunciaret, eóſque liberaret grauiſſima* A*ntichriſti ſeruitute, qua oppreſſi tenebantur.*

Eò *autem venit* S*upphenus ad aduentum* D*omini, vt vocant: quem* C*urio ipſe, aliíque fideles magna cum lætitia exceperũt.* I*s concionabatur bis diebus ſingulis, cum maximo fidei fructu, & piorum cõſolatione.* I*taque cum is ita integrè ac diligenter in eo munere verſaretur,* D*ominicani grauiter offenſi, & maximo in eum odio affecti fuerunt, multáque & grauia aduerſus eum machinati, tandem cum quadraginta & octo regionis* Diet*hmarenſis gubernatoribus conſilium cœperunt, vt virum pium & fidelem* C*hriſti miniſtrum comprehenderẽt & ſine vlla mora cremarent, antequàm incolæ ipſius regionis intelligere aliquid poſſent.* I*mprimis autem* F*ranciſcanis hoc conſilium gratum, & magnoperè iucundum accidit.* I*nterea dum hæc malitioſè ab illis parantur, quingenti ruſtici, coacti ad dimidium miliare ab vrbe* M*eldorffi, conuenerunt, atque omnes viarum aditus occuparunt, ne quis ad vrbem nuncium conſilij ipſorum adferre poſſet.* P*opulus id*

quidem tum inuitus agebat. quia tamen duces, ac totius eius negotij gubernatores, graue tum fortunarum omnium, tum etiam vitæ periculum comminantes, id iubebant, eorum imperium recuſare ac detrectare non audebant. Atque vt animum eis maiorem adderent, curauerunt, vt ante ſuum in vrbem aduentum, tria dolia ceruiſiæ Hamelburgenſis *biberent. Ita poſtremò* Meldorffum *cum copijs armatis circiter mediam noctem peruenerunt, quibus* Dominicani, *vt in tenebris noctis eis prælucerent, tædas ac faces antea paratas atque adornatas, illis attulerunt. Cùm igitur veniſſent in vrbem, ilico cum magno impetu ac vi in domum curionis irruerunt: & vt eſt conſuetudo iſtorum latronum ac prædonum, cùm huiuſmodi furore agitantur, totam domum compilarunt ac diripuerunt, vaſa, lectos, lintea, vtenſilia omnia domeſtica, veſtes etiam, quibus quotidie induebatur, aurum, argentúmque eius abſtulerunt.* Neque *verò prædonibus his ſatis fuit, latrocinium huiuſmodi in bonis fortunïſque illius exercere: ſed ab ea præda & rapina, ad vim corpori eius cum omni petulantia & ſæuitia inferendam, ſe conuerterunt. Alius petulanter illum cædebat, alius ſica pungebat & gladio: omnes verò vt occideretur, maximis clamoribus iubebant.* Quidam *etiam ex illis, hominem pium ex lecto nudum comprehenderunt, eúmque ita in plateas vrbis protraxerunt, vt per lutum incederet. Alij verò idem egerunt in* Henricum, *quem nudum ex lecto arripuerunt, eum cædentes atque impellentes, manibus illius ad dorſum arctiſſimè colligatis, pedibus nudis ſuper glaciem ita inambulare cogebant, vt pedes eius rigore frigoris læſi, ſanguinem emitterent.* Ita *eum inhumaniter tractantes, vſque ad domum cuiuſdam ſacerdotis pertraxerunt, atque ei in ima cauea poſitum, aſſeruandum tradiderunt.* Poſtridie *manè illi carnifices in forum conuenerunt, vt quid de* Henrico *agendum eſſet, ipſi inter ſe ſtatuerēt* Neque *interea deſinebant, maxima vociferatione eum ad ſupplicium ignis vocare.* Ne *longior ſit oratio, vir pius atque innocens Supphenus, cauſa indicta & inaudita fuit condēnatus, vt igni cremaretur, ab iis qui eius & iudices & tortores cōſtituti erant.* Qua *ex re monachi inprimis maximā voluptatem*

ptatem acceperunt: eóſque iudices ac gubernatores reipublicæ maximoperè laudauerunt, quòd iuſtitiam tum colerent, tuerentur & conſeruarent. Tum verò eum comprehenſum, & manibus, collo, pedibúſque vinctum & conſtrictum, eum in locum adduxerunt, vbi erat ſupplicio afficiendus. Ibi ſententia fuit pronuntiata à quodam præfecto, id eſt, eo qui maleficijs in regione aliqua, aut prohibendis, aut cùm ſunt commiſſa, puniendis, præpoſitus eſt: à quo hæc ſententia nummis numeratis empta fuit. Ea autem continebat, impium hominem Henri*cum, contra fidem* Chriſtianam *matrémque* Dei *concionatum fuiſſe: & ob eam cauſam ſe illum ex authoritate reuerendiſſimi epiſcopi* Bremenſis*, domini ſui obſeruandiſſimi, illum condemnare, vt viuus combureretur. Sententia pronuntiata, improbi homines eum in plateam protraxerunt, in qua magna ſtrues lignorum facta erat, vt in ea viuus cremaretur, pedibus eum appetentes, vexantéſque, neque vllum iniuriarum & contumeliarum genus prætermittentes, quod ab illis excogitari aut adhiberi poterat. Quidam ex illis ſica in ſumma capitis parte eum percuſſit: alius hallebarda eandem corporis partem violauit. Denique vnuſquiſque certatim propius ad illum accedebat, vt eum cæderet. Atque in hac quidem tanta ſæuitia & crudelitate, ad populum magnis clamoribus vociferabantur:* Deum *à ſe ea in re ſtare, inſolenter affirmantes. Sed quum omnem darent operam, vt ignem accenderent, non tamen id poterãt: atque ita incerti quid agerent, fuſtibus & hallebardis eum cædere non deſiſtebant, omniáque & tormenta & opprobria adhibere, quæ ab illorum petulantia proficiſci poterant. Atque huiuſmodi quaſi quædam proluſio ante ſupplicium, duas propè horas facta fuit. Interea vir pius erat conſtitutus coram hominibus temulentis, furioſè in eum debacchantibus, ſuóſque in* Deum *oculos habens conuerſos & intentos, eius opem implorabat. Poſtea eum in valida quadam ſcala ligauerunt, in qua cùm verus* Ieſu Chriſti *ſeruus confeſſionem fidei ſuæ edere cœpit, quidam ex ruſticis eum in os percuſſit, cum huiuſmodi verborum petulantia, qua illum prius vſtulandum eſſe dicebat, deinde quantum vellet murmuraturum. Alius etiam pectus eius pede preſſit, collúmque eius in vno ſcalæ gradu alligauit cũ vi tanta, vt ſanguis per os & na-*

Vulgus rusticorum semper truculentissimum in veros Dei ministros.

res effluerct: quem videret nullis adhibitis tormentis doloribúſque mori poſſe, eum ſuffocare conabatur. Poſtremò ita alligatum in ſcala, cum hallebardis elatum ad paratam ſtruem lignorum detulerunt. Nã tum quidem in ea regione nullus erat, qui in eo ſupplicij genere exequendo expertus eſſet. Vna ex hallebardis, quibus ſcala cum eo nixa ferebatur, delapſa, ita in hominem incidit, vt eum medium perfoderit. Ita, in paratam lignorum congeriem iniectus fuit. Sed quum ſcala in latus eius inclinaſſet, quidam celeriter accurrens, ſecuri militari tot ictus pectori eius inflixit, vt confectus expirarit. Mortui corpus ardentibus carbonibus vſtulauerunt, propterea quòd nulla ratione efficere vnquam potuerunt, vt ignis in parata lignorum ſtrue accenderetur. Atque hic quidem illius viri ac ſerui Chriſti exitus fuit, opinione mundi calamitoſus atque horrendus, ſed Spiritus iudicio glorioſus ac perbeatus. Eodem autem tempore multi homines pij Deúmque metuentes, propter teſtimonium Euangelij coniecti fuerunt in profluentem Rheni, aliorúmque fluminum, in quibus corpora eorum ſubmerſa, poſtea inuenta fuerunt. Inter cæteros fuit quidam Magiſter Georgius, qui Halæ concionabatur, quem quia Cœnam vtraque in ſpecie exhibebat, latrones quidam & ſicarij, à monachis parati ac ſubornati, inuaſerunt, & fœdum in modum prope oppidum Aſchemburgum trucidarunt. Quoniam autem ſumma Dei gratia ad agnitionem ipſius vocati fuimus, ſine maximo ſcelere atque impietate reticere ac diſsimulare non poſſumus eorum confeſſionem, qui virtute Spiritus ſancti impulſi, ſuo teſtimonio, quum gloriam Dei, tum Eccleſiæ ſalutem tueri voluerunt, eáque in re plurimum, gratia Dei, profuerunt.

Rustici carnifices.

NB

Diuerſi Martyres tum in Germania, tum in Auſtria & aliis locis pro Euangelio morti traditi.

FVit præterea alius, Ioannes nominatus, qui eadem in vrbe Diethmar, pro Chriſti nomine, non ſolùm maxima opprobria, verumetiam mortem conſtanter pertulit. Ita hi duo boni ac pii homines, veríque teſtes, qui ad cognoſcendam veritatem, quaſi duo accenſa lumina diuinitus adhibebantur, in ſuauem Deo odorem, ſacrificium confeſsionis, ſanguine ſuo commendatum, obtulerunt. Neque in hoc Martyrũ

numero

numero prætereundus eſt Gaſpar Tamberus,*qui pro teſtimonio* Euangelij,Viennæ *in Auſtria crematus eſt*. *Quo etiam in loco*, Georgius *quidam librarius, acerbiſſimam editæ confeſsionis pœnam igne ſuſtinuit.* Præterea Pragæ *in* Bohemia,*alius fuit combuſtus,quòd genus vitæ monaſticæ impium,infamémque cœlibatum reliquiſſet,atque ad honeſtam & Deo probatam coniugij ſocietatē ſe contuliſſet. Certum autem eſt,eos quos memorauimus,& alios, qui pro Chriſti nomine moriuntur, aliam ob cauſam hæc tormenta perpeti, quàm fures, ſicarios,latrones,alióſque facinoroſos homines, qui iuſtas maleficiorū ſuorū pœnas luunt.*Iuſtitia,*æquitas,& veritas,fideles Chriſtianóſq; homines,ad hæc ferenda,pro gloria* Dei *ſalutéque hominum adducit. ſed mundus, qua eſt ingratitudine atque impietate,claudit oculos, ne hanc* Dei *tam excellentem vocationem,ac fidei in* Martyribus *cōfeſſionem intueatur: &, quod eſt grauius,arbitratur ſe ſacrificiū præſtare* Deo, *ſi in fideles Chriſti ſeruos tantam crudelitatem exerceat. Hæc tamen hominum infidelitas, veritatem* Dei *nunquam abolere poterit,neque pios homines priuare ea iuſtitiæ corona,quæ in cælo parata eſt ijs omnibus, qui cauſam veritatis, & gloriam Chriſti fortiter tutati fuerint:qui quidem exemplo* Moſis, *cum populo* Dei *malūt affligi,atque in omni paupertate ignominiáque verſari, quàm frui ijs commodis,honoribus & gaudijs, quæ cū impijs ac ſuperbis hominibus in hac vita conſequi poſſent.*

Gaſpar Tamber.

HENRIC. VOES & IOAN. ESCH.

ANno M.D.XXIII.*Bruxellis in* Brabantia,*duo iuuenes cremati fuerunt,quorū alter* Hēricus Voeſus,*viginti & quatuor natus annos, alter* Ioannes Eſchus *vocabatur, vterque monachus ordinis* Auguſtiani.*Hi menſe* Iulio *ineunte poſt editam* Euangelij *Chriſti confeſsionem, primùm de gradu ordinéque ſacerdotij expuncti fuerunt,monaſticíſq; veſtimentis ſpoliati, ídq; inſtigatione inquiſitoris fidei* Egmondani *eos perſequentis, atq; authoritate theologorū* Louanienſium *:quòd illos ab opinione & ſentētia nunquā reuocare potuiſſent.* Tū *lætantes, gratias* Deo *patri cæleſti agere cœperūt,quòd ſe illo falſo & abominando ſacerdotij genere atq; ordine ſolutos &*

Duo Martyres Bruxellis exuſti, 1523.

liberatos, in alium meliorem cooptaret ſacerdotũ ordinẽ, in quo etiam ſeipſos in ſacrificium odoris ſuauiſſimi offerrẽt. Scriptũ eis eſt datum, quod recitarent, ac palàm omni populo declararẽt, quid de religione ſentirent ac crederent. Summum erroris crimen, quod eis obiectum eſt: hoc erat, quòd in vnum Deum *credendum eſſet, quoniam homo vanus & mendax in omnibus ſuis verbis atque operibus, & ipſe falleretur & alios falleret: eam ob cauſam non eſſe fiduciam in vllo homine ponendam. Cùm autem ducerentur ad ſupplicium, læti hilaréſque accedebant, cum huiuſmodi teſtificatione perpetua, quòd pro gloria* Chriſti, *& doctrina* Euangelij Apoſtolorúmque, *vt* Chriſtiani *morerentur, non vt hæretici gentiléſque increduli, & quòd eccleſiã* Filij Dei *ſanctam crederent, affirmantes illum diem, quo ita morerentur, eum eſſe diem, quem tantoperè optaſſent.* Cùm *autem veniſſent ad locũ, in quo vſtulandi erant, denudati, ſatis diu ibi cum induſio ſteterunt, palum ad quem exurendi erant, animo magno amplectentes, nec ſolùm patienter: ſed etiam lubenter atque hilariter ferẽtes omnes moleſtias & contumelias, quæ ab aduerſarijs in ipſos proficiſcebãtur:* Pſalmis *& canticis* Dei *gloriam celebrabant, formulámque ſymboli ab* Apoſtolis *relicti, teſtem fidei ſuæ ac confeſſionis pronuntiabant. Quidam ex doctoribus, qui ibi aderant, videns animi lætitiam & hilaritatem* Henrici, *eum monuit, ne ita ineptè ac ſtultè gloriaretur,* Abſit, *inquit ille, mihi gloriari, niſi in cruce* Domini *mei* Ieſu Chriſti. *Alius, cùm eum quoque monuiſſet, vt* Deum *ante oculos haberet,* Ego *verò, inquit ille, in meo animo verè habeo ac fero.* Alter *verò eorum, cùm ignis pedibus eius ſubijceretur, flammas huiuſmodi, quaſi roſas ſuaues ſpargi ſibi videri dixit.* Poſtremò *fumus & flamma, cùm iam altius vultum inuaſiſſet, eos ſuffocauit.* Dixerat *inter alia* Henricus, *contra ius* Diuinum *eſſe, quòd cleri ac ſacerdotes, poteſtate magiſtratus ciuilis, eiúſque iuriſdictione à* Deo *conſtituta ſoluti eſſent. nam* Epiſcopos *quidem nullam poteſtatem habere aliam, quàm verbi* Dei *fideliter integréque annuntiandi, ac paſcendi ea doctrina oues* Chriſti *in* Eccleſia.

IOANNES

IOANNES CASTELLANVS.

ANno M.D.XXIIII.M. Ioannes Caſtellanus Tornacenſis, doctórque theologus, profeſſus eſt inſtitutum eorum, qui Eremitæ diui Auguſtini appellantur: poſtea vocatus ad cognitionem Dei, verus doctor ac præco Euangelii eius extitit. Is cùm in Gallia Euangelium annuntiaſſet, eo in loco qui Bar le Duc dicitur, apud Vitriacum oppidum in Partẽſi regione, Cabilloni in Campania, atque in Lotharingia in vrbe Vicenſi, ſede epiſcopi Metẽſis: poſtquàm etiam in ipſa vrbe Meti, aliqua doctrinæ Euangelicæ fundamenta poſuiſſet, diſcedens inde, à miniſtris Cardinalis Lotharingi Gorſæ captus fuit. quo ex oppido deinde ad caſtellum Nommenium per eoſdem Cardinalis adminiſtros traductus fuit. Hoc autem ita factum eſt, non ſine magna offenſione perturbationéque Metenſium, qui grauiter indignéque ferentes, miniſtrum ſuum ac virum pium, ita captum in ea arce detineri, quoſdam certos homines Cardinali ſubditos comprehenderunt, eóſque diu apud ſe captiuos in cuſtodia habuerunt. Itaque Abbas ſancti Antonij Viennenſis, Theodorus Caumontius nominatus, vicarius Cardinalis, in omnibus tum ſpiritualibus, tum corporalibus, in epiſcopatu Metenſi, Tullenſi, ac Verdunenſi, cum literis ac mandato Pontificis Romani Metim venit, conſuléſque vrbis & magiſtratus ſenatoréſque monitos atque placatos, in eam ſentẽtiam voluntatémque adduxit, vt captiuos Cardinali ſubditos dimiſerint. Ioannes autẽ Caſtellanus fuit in cuſtodia habitus, & crudeliter tractatus in arce Nõmenienſi, à quarto die Maij, vſque ad XII. Ianuarij, anno ſuprà notato M. D. XXIIII. in omnibus quæ ab eo quæſita fuerunt, cauſam doctrinámque filij Dei Ieſu Chriſti, conſtantiſſimè tutatus eſt. Quæ fuit cauſa, vt à caſtello Nommenio, in vrbem arcémque Vicenſem deductus fuerit, ſumma cum conſtantia in confeſſione propoſitæ doctrinæ perſeuerans, ita vt aduerſarij ad eam ſententiæ formã ſint progreſsi, qua illum à gradu ordinéque ſacerdotali, priſtinam eius vnctionem eradentes, demouerent, vt eum ſacra ſolutum profeſſione, in manum ſecularem ac poteſtatem traderent.

Quoniam forma ſententiæ pronuntiatæ, ratióque tota degradatio-

nis,vt vocant,notabilis eſt,nõ indigna viſa eſt,quã huic loco inte xeremus ad demonſtrandas horribiles blaſphemias,cum ſtolida & planè belluina ſubtilitate coniunctas maximorum myſteriorum, quæ cõtinentur in ea formula degradationis,qua inimici veritatis, aduerſus ſanctos homines & filios Dei *vti ſolent:ex qua omnes , etiam ij qui omnium maximè ignari ſunt & imperiti , quaſi manibus palpare poterunt horrendam cæcitatem , qua huiuſmodi cornutæ beſtiæ percuſſæ fuerunt.*

Forma ſententiæ in cauſa Ioannis Caſtellani pronuntiatæ, & ratio ac via degradationis,ex eo iudicio ad verbum tranſlata.

*Cognita cauſa tua cũ inquiſitione informata & inſtructa accuſatoria ratione,contra te,*Ioannes Ca*ſtellane,ſacerdotem ac religioſũ ex fratribus eremitis* S. A*uguſtini:intellecta pariter cõfeßione tua, quam tua ſponte ac voluntate falſam erroneámque doctrinam defendens edidiſti:perſpectis etiam pijs admonitionibus , atque amantiſsimis exhortationibus,quibus ad te in vrbe* Metenſi *vſi ſumus,quibus tu inſtar aſpidis ſerpẽtis,aures omni ſurditate affectas,atque ad omnem audiendam veritatem clauſas,nunquã adhibere voluiſti: cognitis reſpõſis tuis,quæ tu iuratus ad interrogata noſtra,nõ ſemel ſed ſæpius repetiiſti,in quibus quidem arte diabolica inductus, nõ ſolùm reticuiſti atque occultaſti veritatem, verùm exemplo* Cain *confeßionẽ tuorum peccatorum & maleficiorum ſuppreßiſti:auditis poſtremò teſtimonijs eorum,qui maximo numero contra te ea dixerunt:quorum genera,perſonæ,crimina contra te delata, cæteráque omnia non indigna iuris cognitione ac diſceptatione,diligenter collata & conſiderata fuerunt:poſt,inquam, hæc omnia cognita & perſpecta,venerabilis magiſter* Nicolaus *Sauinus,in theologiã doctor ac fidei exquiſitor nobis adſiſtens , cauſam iam tuam inſtituit , ac plenè perfectéque informauit.* Accedit *hic conſeſſus communicato conſilio cum multis hominibus literatis, magiſtris doctoribus , in ſcientia vtriuſque iuris, tum* Diuini,*tum humani præſtantißimis, imprimíſque cum ijs, qui in cauſa nomen ſuum ſubſcripſerunt ac ſubſignarunt .* Nam *ex ijs quæ in cauſa continentur,nobis euidenter apparuit,& nunc etiam apparet,te,*Ioannes Ca*ſtellane,ſæpius diuerſisque in locis diuulgaſſe,& quaſi dogmata*

ta quædam tradidiſſe, ac prædicaſſe multas propoſitiones erroneas & falſas, hæreſisque Lutheranæ *pleniſſimas, planè fidei catholicæ & ve ritati* Euangelicæ*, ſedique Apoſtolicæ derogantes ac repugnantes.* Itaq; *cùm ita miſerè, vt apoſtata defeceris, à tergóque reſpexeris, ſatis conuictus es, te non eam fidem præſtitiſſe* Deo*, quam debebas, ſed ei mentitum fuiſſe.* Etiam *per ſacras iuris canonici regulas eſt conſtitutum, æquum eſſe, vt qui mortiferis linguæ venenatæ telis* Diui*nas ſcripturas peruertũt, atque animos moréſque fidelium inficiũt, atque corrumpunt, grauiſſimis ſupplicijs afficiantur, vt cæteri metu pœnarum in officio contineantur, omnes* Chriſtiana *lætentur concordia, exempláque huiuſmodi tum ſeueritatis, tum bonitatis, propoſita intueantur.* His *de cauſis & alijs, quæ ex ipſa cauſa colliguntur, de authoritate* Apoſtolica*, ac reuerendi* Cardinalis *domini, qua hac in parte vtimur, hac noſtra ſententia, quam pro tribunali ſedentes decernimus, atque in his ſcriptis pronunciamus,* Deum *ante oculos ſolùm habẽtes, atque illud rectè conſiderantes, quòd qua mẽſura alijs mẽſi fuerimus, eadem remetietur nobis: nos igitur dicimus, pronunciamus, declaramus, atque etiam ſententialiter ac definitiuè iudicamus, te* Iohannem Caſtellanum *propter merita tua fuiſſe excommunicatum, & eſſe nũc maxima excõmunicatione, ſimúlque etiam reum læſæ maieſtatis diuinæ, criminoſum atque aduerſariũ fidei catholicæ,* Euangelicæque *veritatis, præterea hæreticum manifeſtum, ſectatorem ac participem impiæ crudelitatis* Martini Lutheri*, hominis turbulenti, à quo veteres hæreſes, & iam antea condemnatæ ſuſcitantur.* Quam *ob rem te omni honore ſacerdotali, omnibus ordinibus, etiam tonſura, veſtitúque religioſo, atque etiam eccleſiaſtico beneficio tuo, ſi vllum habes, omnique priuilegio clericali iudicamus deiectum priuatúmque fuiſſe: quemadmodum etiam nunc deijcimus ac priuamus, & vt membrum putridum, à communione fidelium ſegregamus: atq; ita priuatum ac ſegregatum, iudicamus actualiter degradandum eſſe, vt ita deformatum ſpoliatúmque, curiæ ſeculari relinquamus: cõmittentes hanc degradationem actualémque ſententiæ noſtræ executionem, huic reuerendo* Domino *& epiſcopo præſenti, propter authoritates mandatáque ſuprà memorata.*

Hæc degradationum ſacra propterea fuſius in huius martyrio recitauimus, ne amplius poſthac in aliis martyribus repetere ſit neceſſe.

O impudẽtem ſecuritatem.

Hac ſententia ita pronunciata, perfectáque concione, quæ de fide catholica eorum haberi ſolet, epiſcopus Nicopolenſis, *cuius paulò antè mētio facta eſt, ciuitatis* Metenſis *ſuffraganeus pro tribunali ſedens, cū authoritate ac poteſtate pontificia, cū clero, nobilibus, ac populo, degradationem* Ioannis Caſtellani *ita cœpit peragere*. Primùm *enim* Caſtellanus *iam degradandus, per officiarios eius epiſcopi omnibus ſacerdotalibus veſtimentis indutus fuit: deinde ex ſacello per ſacerdotes ad eam rem conſtitutos, cum omni ſacerdotali apparatu ornatúque deductus, manibus iunctis flexíſque genibus coram* Epiſcopo *eſt collocatus.* Ilicò *officiarij calicem cū vino & aqua, præterea patenam hoſtiámque ei in manū tradiderūt. Quæ omnia* Epiſcopus *degradator, de manibus eius cum huiuſmodi verbis abſtulit,* Nos *auferimus, aut iubemus auferri tibi poteſtatem ſacrificij* Deo *offerēdi,* Miſ*ſæque tam pro mortuis quàm pro viuis celebrandæ.* Deinde Epi*ſcopus ſacros vtriuſque manus digitos lamina vitrea eraſit, dicens,* Nos *hac raſura poteſtatem ſacrificandi, conſecrandi benedicendíque tibi auferimus, quam tu* ex *vnctione manuum, pollicíſque accepiſti.*

Mysteria degradationis.

Sacrificādi poteſtas

Deinde *ſummo illo indumento atque ornamento, quod caſulā appellant, à tergo cum caputio detracto, eum exuit, his vtens verbis,* Nos *iure optimo exuimus te veſte ſacerdotali, quæ charitatem ſignificat. nam tu eam quidem atque omnem innocentiam exuiſti.* Poſtea *ſtolam ei detrahens, dixit,* T*u turpiter abieciſti & poſt tergum reieciſti ſignum* Domini *noſtri, qui hac ſtola repræſentatur. Quamobrem nos eam tibi auferimus inhabilémque reddimus, ad vllum officium ſacerdotale exercendum, aut aliam rem, quæ ad ſacerdotium pertineat. Sed reliqua eius generis nugamēta cognoſci poſſunt ex eorum libris, quibus ineptiſſima tota hæc diſciplina continetur.* Eorum *quidem nunc guſtum nos hîc dare voluimus, vt omnes homines intelligant, quàm ſcelerata audacia* Papiſtæ *ſua execrāda myſteria peragant & quàm impunè verbis ſacræ Scripturæ abutantur.*

Nempe ex eo libro, qui Pōtificale inſcribitur.

Perfecta *degradatione, procurator fiſcalis curiæ ciuitatíſque* Metenſis, *ab* Actuario *ſeu notario cauſæ poſtulauit, vt ad perpetuam rei memoriam, vnum aut etiam plura inſtrumenta peractæ degradationis conſcribe-*

conſcriberentur. T*um miniſtri* E*piſcopi* I*oannem* C*aſtellanum veſtitu habitúque clericali exuerunt, eúmque amictu ſeculari induerunt. hoc autem propterea ita fit, quoniam is qui loco gradúque ſacerdotali eſt demotus, poteſtati magiſtratus ciuilis eſt tradendus, ſecundum conſtitutiones* P*apæ* I*nnocentij tertij, qui ea in re ſacram vnctionē, ſanctiſſimíque ſacerdotij religionem violari noluit.* E*piſcopus igitur degradator non vlterius progreſſus, hoc modo locutus eſt,* N*os pronuntiamus vt curia ſecularis, te ita degradatū ſpoliatúmque omni ordine ac priuilegio clericali, in ſuā curā ſuſcipiat.* I*d aūt cùm factū eſſet, idē* E*piſcopus vſitato more, ſpecie quadā officij ſimulationéq; humanitatis, ſe pro eo deprecatorē apud iudicē præbēs,* D*omine iudex (inquit) nos te omni quo poſſumus ſtudio rogamus, cùm propter* D*eū, tū etiam propter dona pietatis ac miſericordiæ noſtráſque preces, ne in hunc miſerum atque infelicem hominem aliquid mali conſtituas, quod ad mortem, aut mutilationē corporis eius pertineat.* H*is ita actis, magiſtratus ſecularis vrbis* V*icenſis, confirmans ſententiam antè pronūtiatam, condemnauit* I*oannem* C*aſtellanum, vt viuus cremaretur.* Q*uam quidem pœnam tanta conſtantia atque animi magnitudine ſuſtinuit, vt non ſolùm ignari homines maximo numero ad cognitionē veritatis conuerſi fuerint, verumetiam cæteri, qui non pauci aliquem pietatis guſtum ſenſúmque habebant, hoc genere mortis tam prætioſæ, in oblata gratiâ* D*ei confirmati maximam vtilitatem perceperint.*

Iuxta illud Nolite tāgere Chriſtos meos.

Homicidium mēdacio & hypocriſi tegunt Papicolæ.

IOANNES CLERIC.

IO*annes* C*lericus* M*eldenſis, frater fuit natu maior* P*etri* C*lerici, eius qui cū quatuordecim (quorum memoria poſtea in hoc libro reperietur conſeruata) ſupplicio affectus eſt.* I*s* I*oannes in vrbe* M*eldenſi captus eſt, anno* M. D. XIII. *quòd ſchedulam affixerat valuis ſummi tēpli eius vrbis, contra indulgentias à* P*apa miſſas, in qua ſcripſerat eum eſſe* A*ntichriſtum.* Q*uamobrem eo quidem tempore fuit condemnatus, vt tribus diebus certo ſpatio intermiſſis, verberibus cæderetur, atque impreſſa in fronte nota ignominioſè afficeretur.* E*ius autem mater, mulier verè* C*hriſtiana, tametſi maritum hàberet aduerſarium, quum videret filium virgis verberari, atque ea nota*

Clericus Meldis ob Euangeliū virgis cæſus.

Egregia matris cõſtantia.

compungi ac deformari, animum ei addidit, & in hanc vocem exclamauit, Viuat Chriſtus, eiúſque inſignia. Poſtea Ioannes *ea pœna ignominiáque affectus,* Roſoium *in* Briam *profectus eſt, inde* Metim *in* Lotharingiam*: quo in loco aliquandiu eſt commoratus, artificio vtens lanæ carminandæ ac pectendæ. Is pridie eius diei, quo cultus quorundam idolorum exiguo in ſacello extra vrbem celebrãdus erat, permotus eo* Dei *ſtudio quod exitus poſtea rectiſsimum ſanctiſsimúmque eſſe declarauit, vrbe egreſſus, venit eum in locum, eáque ſimulachra fregit, quæ poſtero die homines ſuperſtitioſi adoraturi erant.* Itaque *canonici, ſacerdotes, ac monachi, cùm eò omnem populum ſolenni proceſsionis pompa conduxiſſent, omniáque ſimulachra fracta aut mutilata offendiſſent, totam ciuitatem concitarunt ad authorem eius facinoris quærendum. qui non multò pòſt repertus eſt.* Nam *præter ſiniſtram opinionem, quam de eo iam ſuſceptam habebant, viſus fuerat à quibuſdam ab eodem loco reuertens in vrbem in ipſo diei crepuſculo.* Itaque *comprehenſus factum ſtatim confeſſus, coram populo rationem cur id feciſſet, reddidit, cum tanta populi offenſione ac furore, vt ad grauiſsimum mortis ſupplicium mox poſceretur.* Cauſa *eius informata, poſtquàm puram filij* Dei Ieſu Chriſti *doctrinam, tum perpaucis in ea vrbe cognitam, conſtanter aſſeruit, ad locum extremo ſupplicio conſtitutum ductus eſt, in eóque atrox atque horribile genus mortis perpeſſus. nã primùm manus dextra ei amputata fuit. deinde naſus forcipibus tenaciſsimis auulſus, duóque eius brachia cũ mamma vtraque eodem inſtrumento dilaniata fuerunt.* Nemo *ſanè erat in eo tam atroci ſpectaculo, qui nõ commoueretur attonitus: præſertim cùm videret eximiam virtutem, inuictámque conſtantiam, qua* Deus *hunc* Martyrem *muniuerat & roborauerat. qui quidem in maximis atque acerbiſsimis tormentis, pronuntiauit illos verſus* Pſalmi 115, *Simulachra eorum ſunt argentum & aurum, opus manuum hominum.* Reliquum *autem vitæ, quod in eius corpore tam crudeliter affecto ſupererat, paulò pòſt igni conſumptum fuit.*

Id genus homines ea quidem in vrbe ſũt plurimi.

Mutilatione idolorũ, corporis humani dilaniatione compẽſant Metenſes.

M. NICOLAVS ANTVERPIANVS.

C*Irciter annum* M.D.XXIIII. Antuerpiæ*(quod eſt celeberrimũ emporiũ in ducatu* Brabãtino*) atque in locis finitimis, magnus*

erat

erat numerus hominũ omnis generis, qui tũ primùm aliquẽ verbi Dei *guſtũ capiebant.* Eo *tempore quidam* Parochus *fuit* Melzæ,*qui locus ab* Antuerpia *duo propè milliaria abeſt. is ad ſuas conciones tantam hominum multitudinem vndique attrahebat, vt ſæpius in patentibus locis campíſque concionari cogeretur. Cùm autem liberè annuntiabat verbum* Dei, *tum non obſcurè ac timidè falſas & impias hominũ doctrinas arguebat.* In *quadam verò nouiſsima concione ſua audiente populo iucundè ac grauiter & ſeipſum & alios ſacrificulos accuſauit, ac loquens de Miſſa, dixit,* Nos *quidem* Iuda *proditore ſumus deteriores, atque improbiores. is enim Chriſtum dominum vendidit & tradidit: nos verò eum vobis vendimus, nec tamen tradimus.* Non *multo pòſt tempore, ſacerdotes ac monachi, hoc felici* Euangelij *ſucceſſu offenſi, metuentes ne præda de manibus ac faucibus extorqueretur, mandatum ab aulà* Brabantica *cõtra hunc* Paſtorem *& quẽdam* Auguſtinenſem,*qui tum etiam* Antuerpiæ *magno populi cõcurſu concionabatur, impetrarunt.* Illud *verò mandatum poteſtatem dabat vi auferendi ſummum corporis indumentum(vt veſtem aut pallium) ijs qui in huiuſmodi eorum conuentibus atque concionibus deprehenſi eſſent.* Qui *verò eos cõcionatores comprehendiſſent, ijs præmium triginta* Caroleorum *aureorum eodem edicto propoſitum fuit & conſtitutum.* Hoc *tamen edictum* Imperatoris Caroli V. *nomine promulgatũ, impedire non potuit quò minus poſtea populus quadam die* Dominica *ad audiendum* Dei *verbum conueniret eũ in locum, vbi ſcaphæ atq; naues ſubducuntur ac conficiuntur.* In *eo conuentu ac cœtu aderat quidã iuuenis,* Nicolaus *nominatus, in doctrina verbi* Dei *apprimè inſtitutus. qui cùm videret* Auguſtinenſem *illũ, cuius concio tã auidè expectabatur, non venire: dixit minimè æquum eſſe eã multitudinem ita congregatam, famelicã ſine vllo paſtu verbi* Dei *diſcedere.* Itaq; *nauẽ quæ litori erat proxima, vnde melius audiri poſsit, aſcẽdit, & multo plura ex ſynceræ pietatis doctrina eis ãnũtiauit ac declarauit, quàm vnquã antea audierant.* Expoſuit *ea concione illam ab omnibus* Euãgeliſtis *deſcriptã de quinq; panibus & duobus piſcibus parabolã: oſtendítq;* Dominũ *nõ aliquot hominũ millia diuina ſua doctrina nũc paſcere: verũetiã per totũ mundũ ſpargendã doctrinã hãc,*

Quid diffe rât ſacrifi- culi à Iuda.

éxque ea infinitam hominũ turbam alendam eſſe. Poſt concionem, duo ſerui cuiuſdam lanij ſpe præmij, cum detulerũt atque in poteſtatẽ magiſtratus tradiderũt. Is verò Nicolaus poſteaquàm purã Euãgelij doctrinam conſtanter defendiſſet, poſtero die, qui fuit dies Lunæ, ſacco inſutus, propter metum populi, ſubitò in profluẽtem cõiectus eſt, iuxta cranam vulgò portus Antuerpienſis, eo ipſo anno M.D.XXIIII.

Ex tribus hiſtoriis quas OEcolampadius ſcripſiſſe dicitur, nos eam huic libro Martyrum intexuimus, quæ cauſam & rationem propriam eius, qui propter Euangelii teſtimonium mortuus deſcribitur, habere videbatur.

N. PASTOR BRISGOIVS.

IN quodam Briſgoiæ pago, paſtor erat vigilans, ac homo in diuinis literis eruditus, ſanctimonia vitæ clarus, humanitate & comitate inſignis, paſtoris officio multos annos egregiè functus. in ſynodis compresbyterorum doctrina excellebat, ac etiam epiſcopo Canſtantienſi gratus, authoritatéque valens apud omnes, quibuſcum negotij aliquid habebat, amans pacis, tragœdias inter fratres ortas mira prudẽtia ſopiebat, ad mutuam charitatem inuitans: honeſtatem vitæ & morum emendationem in omnibus conuentibus, quibus præerat, ſummè extollebat: ſeipſum ſæpe exempli gratia, quum lites ſubnatæ erant, adducebat. Hic quum Euangelij Chriſti ſermo purior in lucem diuulgaretur, adiectis vbique ex patribus ſcholiis, cœpit mira auiditate Euangelicos libros euoluere, deuoraréque, quos iam olim etiã legerat, ſed nullo intellectu, nulla attentione verborum & ſententiarum. Iudicio & intelligentia accedente ex continua lectione, homo ſenex, apud ſeipſum cœpit cogitare, in quantis tenebris, in quantis erroribus totum ſacerdotale genus inuolutum iam longo tempore fuiſſet. Deum immortalem, dicebat, quis vnquam cogitaſſet, tam doctos, tam ſanctos viros, tot annis ita potuiſſe à ſcopo veræ doctrinæ aberrare, tot erroribus implicari Scripturam ſacram, ſitu & ſqualore humanæ ſcreationis ac ſaliuæ obductam conſpurcatámque, & à pauciſſimis cognitam? Se enim id Euangelium, ordine quo ſcriptum eſt, nunquã crediſſe veritatem eſſe, quum multa de cruce, de perſecutione, de turpiſſima morte, in eo continerentur, & ſacerdotibus omnia quàm feliciſſimè ſuccederent

Deploratio calamitatis temporũ.

cederent, nemóque contra eos ſine damno maximo cauſam iuſtam agere, aut publica vitia emendare auſus fuiſſet. Iam autem palàm E-*uangelium vim ſuam exerere, crucem in foribus eſſe, aduerſarios verbi inſanire, impios caput tollere, ac ad omnia facinora in pios deſignanda, audaciſsimos.* Epiſcopos, *quorum erat* Verbi *potentiam aſſerere, crudeliores eſſe, quàm vllos vnquã tyrannos. ſe igitur omnem dubitationem, cùm præſens ſeculum conſideret, abieciſſe, iam manibus tenere, oculis videre* Chriſtum *vera prædixiſſe, quum tot* Sanctorũ *corpora quotidie virgis cædantur, in exilium proſcribantur, lanientur nõ dicendis pœnis, igne tradantur comburenda, aquis ſuffocentur, laqueo ſuſpendantur.* Quis *enim enumeret pœnas, quas pij homines hoc anno, apud eos qui ſe dicunt* Chriſtianos *pertulerunt ob* Chriſti *liberam confeſsionem?* Quinetiam *cùm tumultus ruſticus, nõ dicendo furore erũperet, ſurſúmque & deorſum omnia ferrentur, pius paſtor (nam hoc temporis nemo audebat contra* Euangelij *prædicationem mutire) ne perpetuò ſcortationis peccato inficeretur, duxit famulam, quam domi habebat, in vxorem, ex qua etiam libèros procrearat.* In-*ſania ruſticorum augmentum quotidie & vires ſumebat.* Cœnobia *& ſacerdotum domos, diligentiſsimè inuiſebant: quicquid edulij inuẽtum, hoc mox deuorabant.* Quod *abſumere nõ poterant, hoc perdebãt, aut ſecum auehebant.* Cohors *quædam illorum etiã in illius pij paſtoris ædes ſeſe ingeſsit. nullum enim diſcrimen habebant inter pium ſacerdotem & impium: & quæ inueniebant, aut abſumebant, aut furto auferebant: quod illis lubitum erat, inſtar beſtiarum inſanientium agebant.* Abitum *parantibus, non potuit paſtor fidelis à lachrymis temperare & eos hac admonitione proſequi,* Heus, *inquit, boni viri, futurã calamitatem, exitiumque ineuitabile vobis denuntio.* Quid *ſibi volunt hi tumultus, atque hæc turba?* Nullam *æquitatem, nullam iuſtitiam ſeruatis? quid agitis? quem conſultorem habetis? ad quem finem reſpicitis? rapitis quicquid ſeſe offert, more latronum.* Annon *in mentẽ venit omnia tandem, quæ iam rapitis, deſtruitis, euertitis, reſtituenda eſſe veſtro maximo malo?* Quæ *ſeditio vnquam felicem habuit exitum? quæ & pios & honeſtos inuoluit viros, vt fortunis omnibus & ipſa vita periclitẽtur.* Euangeliũ *prætexitis, & nihil* Euãgelij *ha-*

Variis pœnis affecti fideles.

Tumultus ruſticorũ in Germania.

Prophetica concio de infelici exitu tumultus ruſticorum.

betis neque in ore neque in corde. Satanæ eſt Euangelium, *quod omnia turbat, per fas & nefas proximo ſua rapit & deſtruit. ſed* Chriſti Euangelium *docet bene omnibus facere, ſeditionem fugere, periuria vitare.* Dico vobis, *Deum iuſtum iudicem hoc veſtro facto offenditis, ad iracundiã prouocatis, qui malum impunitum non ſinet.* Videte *& perſpicite, qua defenſione ſitis vſuri: intelligetis abſq; dubio, hoc quod dixi de vobis fatendum eſſe. Contra ſecũdam* Moſis *tabulam ſtrenuè pergitis, quæ quidem proximi curam deſcribit, ad quã quiſque* Chriſtianus *obligatur. Scriptum eſt in* Euãgelio, *quod in ore veſtro natat, Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Offenditis inſuper mirum in modum totam nobilitatem, magiſtratum veſtrum legitimũ, cui iuramento obſtricti eſtis, quorúmque ſerui. Clades imminet: perfidiã enim* Deus *punire ſolet. Annon ſæpe audiſtis à me, fidem iuramenti eſſe ſoluendam? vinculũ enim eſt totius humanæ ſocietatis. & legitima iuramẽta violare ſemper fuit nefas apud omnes homines ſobrios, etiam apud ipſos* Gentiles. Ioſue *iuramentum præſtitũ* Gabaonitis *ſeruauit, licet dolo hoc eſſet obtentum.* Saul *hoc fœdus iuramento ſancitum inter* Iſraelem & Gabaonitas, *poſtea rupit, diſſolutíque fœderis & violati iuramenti pœnas dedit, fame & filiorum ſuorum nece. Perpendite, obſecro per* Chriſtum Ieſum, *quid agatis, qualem inuidiam ſuper caput veſtrum confletis. Nõ eſt parua res, ſed capitalis, ſeditionem mouere, excitare alios, turbare reipublicæ tranquillum ſtatum.* Non *quieſcent nobiles veſtri, quos deturbare è ſuis poſſeſsionibus conamini, plus æquo crudeles erga innocentes, cenſu veſtro lacunã rei familiaris explebunt, & in tributis imperandis tantum oneris vobis imponent, vt etiam liberi veſtri ſatis pecuniarum dare non poßint, ob delictum veſtrum: quod facillimè intelligi re ipſa poterit. poſtquàm furor ſemel conceptus, extinctus fuerit, alius aliũ prodet.* Hæc *ipſo loquẽte mœſto vultu, inermis coram illis ſtans, abierunt nebulones, vocantes ſenẽ delirum & ſtolidum.* Vnus *ex ÿs nequitia præſtantior, dixit,* Iam *ſæpe à vobis per* Miſſarum *nundinationes, per purgatorÿ terrorem, per exequias defunctorum, decepti ſumus ſpoliatique: iam iterum repetimus profuſam pecuniam. tace itaque ſacrificule, ſat bonorum adhuc habes.* Chriſtus *pauper fuit, nõ habẽs quò caput ſuũ reclinaret: adhuc*

multa

Concio pii paſtoris ad Ruſticos.

Matth. 7 b. 12

Ioſue c. 9. & 2. Samuelis 21

Hæc vti prædixerat euenerunt.

multa habes. aut totam domum tuam euacuabimus, incendemúſque.

Sedato partim ruſtico tumultu, & agricolis in gratiam (abiectis videlicet armis) aſſumptis: quum multi ex coryphæis ſeditionis caperentur paſſim in agris, ſine delectu, ſine miſericordia: etiã pius hic paſtor, nihil tale timens, ob Euangelij *liberam prædicationem, quòd multos peſſimè habebat, noctu à militibus in hoc ordinatis, crudeliſſimè captus eſt. qui eum reuinctis in tergum manibus, constrictiſque pedibus magno fune, præſente vxore & liberis, equo abduxerunt: & ſcõmata in captiuum iaciebant, nihilque crudelitatis omittebant.* Tales *tyrãnos habet ſeculum noſtrum, tales adminiſtros, quibus accenſus eſt animus aduerſus electos* Dei. *Strepitu audito (nox enim pauorẽ addit) fit concurſus maximus, non virorum, ſed mulierecularum: quidnam ſibi hic clamor & ploratus, & equorũ multitudo velit, ſummè expectantium. Viri latitabant in tutis locis, ne deprehenderentur. permulti nõ ſolùm agros, vineas, prata, vxores & liberos, ſed etiã ſedes ſuas patrias, iſtorum hominum iniurijs exagitati, reliquerant. Abite, inquiũt milites, & ſecurè ſomnum capite. nihil periculi hîc vobis imminet: cum ſacerdote nobis res eſt. viros adducite veſtros, ſi domi ſunt, & cum illis colloquium habituri ſumus. eorum intereſt noctu vigilare, pagũ armis cuſtodire, ab incurſionibus latronum & prædonũ defendere.* Verùm *poſt longum carceris tetri ſqualorem, poſt quæſtiones crudeles & non dicendas, tam in pudendis, quàm in alijs corporis partibus, morti tandem eſt adiudicatus.* Quid *facinoris impegerunt huic tam inſigni viro? nempe, quòd vxorem duxerat, non publicè coram eccleſia, ſed domi ſuæ, paucis præſentibus:* Dei *ſcilicet iuſſum ſequens, ne à regno* Dei *propter ſcortationem excluderetur, iuxta dictum* Pauli. Eam, *inquam, ob cauſam, aqua ſubmergendum ac ſuffocandum exiſtimarunt.* Neque *enim vllam ſeditionis aut ſceleris notam impingere potuerunt, tametſi diligentiſſimè illius conciones, vitam & mores per quoſdam maleuolos homines expiſcati ſint. Quum autem abduceretur per tortorem ad locum ſupplicij, placidè omnibus, qui eum conſolandi gratia compellabant, reſpondebat.* Verùm *cùm ſacrificuli quidam & monachi cũ eũ morte luctantẽ, oratione interna* Deũ *orantẽ, ac iã paradiſum cogitãtẽ, obtunderẽt ſuis nænijs, quibus eũ à ſano verborũ*

Capitur Briſgoius paſtor.

Chriſti intellectu auocare ſtudebāt, eos nō ſemel rogabat, vt ſilerent, ſe Chriſto Ieſu domino cæli & terræ ſua peccata quotidie cōfeſſum eſſe, abſolutionē accepiſſe, & ſe hac in re dubitare minimè. Chriſto ſaluatori meo, inquit dulci voce, victima hodie ero grata. nihil deſignaui, quod Domino hac in re, propter quā damnatus ſum, diſpliceat: quietā conſcientiā Dominus dedit. videāt hi qui innocētē ſanguinē ſitiunt & effundunt, quid incœptent, quē offendāt, cuius eſt verè iudicare corda hominum: quia dicit, Mihi vindictam & ego vlciſcar. Pellem hanc oßibus vix hærentem, breui aliâs abiecturus eram (macilento enim erat corpore) Noui me mortalem, vermem, corruptibilem, & in hoc natum. Etiam olim diem extremum exoptaui, petiique diſſolui & eſſe cum Chriſto, cruce dignus ob varia peccata, quæ in Dominum commiſi immaniſsima. & Chriſtus meus ſaluator crucem ſuſtulit, in cruce mortuus eſt. Volo igitur & ego gloriari in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Hanc nebulones quidam cygnæam cantionem ferre nō poterant. Carnifici itaque annuerunt, vt ſenem deturbaret è loco, in quo ſedebat conſtrictus, paratúſque ad lanienam. In aquis diu ſe mouit, adeò vt ſanguinolentus fieret fluuiolus. Indicium fuit, quòd iuſti ſanguis hoc die effuſus eſſet. Omnes qui aderant, viſo hoc ſpectaculo, mœſti apud ſe, quidnam ſibi ſanguineus iſte aquæ rubor velit, admirantur, ſtupidi adſtant attractis crebris ſingultibus: domum reuertuntur tacito corde, conſiderantes ea quæ acta eſſent: licet nemo quicquā diceret, ob metum qui illis incuſſus, eò quòd omnia tyrannorum more exercerentur cum ruſticanis hominibus. O crudelia pectora! ô perfidum factum! Hæc ab illo hauſi, qui ſuis oculis vidit hoc horrendum ſpectaculum.

Conſolatio digna homine Chriſtiano.

Sanguineus aquæ rubor.

Hæc de inſigni Chriſti martyre, ab ipſo Ioanne Oecolampadio memoriæ & ſcriptis mandata feruntur: quæ his inſeruimus.

VVOLFGANGVS SCHVCH GERMANVS.

M.D. XXV.

INter eos, qui tunc temporis in Germania cognitionem Euāgelij habuerant, in primis non immeritò numerandus eſt wolfgangus Scuchus Germanus. qui cùm veniſſet in oppidū Lotharingiæ, nomine S. Hippoliti appellatum, paſtórq; eccleſiæ recept⁹ fuiſſet, in primis ei

curæ

curæ fuit, vt ſuperſtitiones, & idolomanias, quæ iã altè in animis populi radices egerant, funditus euelleret. Exigui *itaque temporis ſpatio & quadrageſimæ obſeruationem, imagines atque idola, ipſam denique* Miſſæ *abominationem aboleuit. id quod non admodum fuit difficile: quoniam populum ibi reperit ad diſciplinam* Euangelij*, obedientiamque accommodatum & paratum, & qui ſtatim ſingulari quadam opinione ac voluntate in ipſum wolfgangum affectus eſt.* Rumor *autem defectionis à doctrina* Papali *factæ, aduerſarijs veritatis facilè dedit materiam falſæ & iniquæ criminationis apud* Antonium Lotharingiæ *ducem, quaſi populus vellet omnem* Principum *& ſuperiorum, authoritatem ac poteſtatem repudiare: ita vt iniuſtiſſima calumnia ad eam offenſionem atque indignationem* Principem *impulerit, vt ipſam vrbem flamma ac ferro ſe vaſtaturum eſſe minaretur.* Quòd *periculum, cùm optimus ac fideliſſimus paſtor intellexiſſet, ad ducem* Lotharingiæ *ſcripſit epiſtolam, in qua ſui officij rationẽ reddit, & falſis premi calumnijs populum demonſtrat, quáque is erga* Principẽ *eſſet voluntate, & obedientia apertè declarat. Scripta autem fuit in hanc ſententiam.* Antonius dux Lothringiæ.

Illuſtriſsimo Principi D. Domino Antonio Lothoringiæ Duci. &c, Domino ſuo Clemẽtiſsimo VVolfgangus Scuch, miniſter Chriſti felicitatem per Ieſum Chriſtum optat.

P*Oſteaquam ad hanc tuam* S. Hippoliti *ciuitatem, clementiſſime* Princeps, Deo *diſponente perueni: repperi turbam, velut oues errantes abſque paſtore, vagabundam, multis errorum ſuperſtitionúmque abomniationibus miſerabiliter perditam: cœpi mox iuxta miniſterium à* Domino *mihi commiſſum in viam reuocare errantes, hortari prioris vitæ pœnitentiam. nam eſſe in propinquo regnum* Dei, *comminari ſecurim ad arboris radicem poſitam, haud longè abeſſe vt præſcindatur, qua ſterili inuenta in ignem conijci: tempus eſſe quo* Dominus *angelis ſuis, id eſt verbi ſui nuncijs miſsis, colligat omnia ſcandala è* Regno *ſuo,* Matthæi 13. *Cœpi, inquam, mox vt boni agricolæ eſt, euellere quidquid ſpinarum atque errorum cõtra* Dominum, *eiúſque verbum ſuccreuerat, demo-*

Marginal notes: Matth. 9. — Matth. 3. — Hier. 1

2.Cor.10. *liri, diſſipare ac deſtruere omnem altitudinem, machinam ac munitionem aduerſus ſcientiam* Dei *erectam: plantare arbores, fructum ſuum in tempore ſuo reddere non tardantes: edificare domicilium non* (Pſal.1.) *tranſitorium & terreſtre, ſed æternum in cælis, ſuperedificatum* (2.Cor.5.) *fundamento* Apoſtolorum *&* Prophetarum*, ipſo ſummo angulari* (Epheſ.2.) *lapide* Chriſto Ieſu, *in quo omnis ſtructura coagmentata, creſcit in templum ſanctum* Domino, *in quo nos omnes coedificari oportet in tabernaculum* Dei *in* Spiritu *ſancto. & vt apertius loquar,* Miſſus *ſum ad tuæ Clementiæ populum, prædicare* Euangelium Dei*, quod* (Rom.1.) *ante promiſerat per* Prophetas *ſuos in ſcripturis ſanctis de* Filio *ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine* Dauid *ſecundum carnem. virtus enim* Dei *eſt ad ſalutem omni credenti, in quo* Dei *iuſtitia reuelatur ex* (Abac.2. Heb.10) *fide in fidem. ſicut ſcriptum eſt,* Iuſtus *autem ex fide viuit. iuſtitia* Dei *(qua coram* Deo *iuſti reputamur) per fidem eſt* Ieſu Chriſti *in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum.* Gratis *nanque per* (Rom.3.) *gratiam ipſius iuſtificamur per fidem, in ſanguine ipſius, ſine ope-* (Rom.5.) *ribus* Legis. Iuſtificati *per fidem, pacem habemus ad* Deum *per* Dominum *noſtrum* Ieſum Chriſtum. Ipſe *enim factus nobis à* Deo*, ſa-* (1.Cor.1.) *pientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio, vt non glorietur ſa-* (Hier.9.) *piens in ſapientia ſua, fortis in fortitudine ſua, diues in diuitijs ſuis, ſed qui gloriatur, in* Domino *glorietur.* Hæc *fides in* Ieſum Chriſtum (Ioan.1. Rom.8.) *pro nobis mortuum, filios* Dei *nos facit: hæredes* Dei*, cohæredes* Chriſti. Ob *hanc in nobis inſtaurandam, vnigenitus* Dei *filius, è* (Ioan.3.) *ſinu* Patris *ad nos emiſſus. ſic enim* Deus *dilexit mundum vt* Filium *ſuum vnigenitũ daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Non *enim miſit* Deus Filium *ſuũ in mundum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per eum.* Qui *credit in eum non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus eſt.* Porrò *quid aliud vſpiam docuit* Chriſtus*, quàm vt in eum credentes ſalui fiant? quærentibus enim turbis quid facientes operarentur opera* Dei. (Ioan.6.) Reſpondit, Hoc *eſt opus* Dei *vt credatis in eum quem miſit ille. hic clamat dicens,* Si *quis ſitit veniat ad me & bibat. qui credit in* (Ioan.6.) *me (ſicut dicit* Scriptura *) flumina de ventre eius fluẽt aquæ viuæ.* Ad *hãc fidẽ nemo venit niſi cæleſtis* Patris *tractu: vt ne quis ſe fallat, quaſi*

proprijs

proprijs hãc viribus paraturus: gratia (ait Paulus) eſtis ſaluati per fi- Epheſ.2.
dem & hoc nõ ex vobis, Dei enim donũ eſt, nõ ex operibus, vt ne quis Epheſi.1.
glorietur. Nec alia aut minor virtꝰ eſt hanc in nobis creare, quàm qua
Chriſtus ex mortuis ſuſcitatꝰ & ad patris dextrã in cæleſtibus eſt
collocatus. Hæc nõ otioſa quædam ac ſtertens in anima hominis qua-
litas eſt, vt finxerunt quidam, ſed ſpiritu Dei in cordibus noſtris ef- Roman. 5.
fuſo, efficax & operoſa quædam virtus, plena operibus bonis, & ijs
non à nobis aut noſtra prudentia excogitatis, ſed à Deo electis &
mandatis. hæc ſunt charitatis non fictæ opera: ſic ait Apoſtolus, In
Chriſto Ieſu neque circuncíſio aliquid valet neque præputium, ſed Galat. 5.
fides quæ per charitatem operatur: hæc ſola veros à falſis Chriſtianis
diſcernunt. ait enim Saluator, In hoc cognoſent omnes quia diſcipuli Ioan.13.
mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem, & quid aliud mandat
tot dulciſſimis verbis toto ſermone vltima Cœna facto? De his ſolis in Ioan.14. &.15.
die nouiſſimo exiget rationem dicens, Eſuriui & dediſtis mihi quo ve- Matth. 25.
ſcerer &c. ſplendentem verò operum quæ ipſi facimus laruam reijcit
Dominus, cum ait: Quis hæc petijt à vobis?

Proſequitur deinceps Schucus eadem epiſtola ad Principem Antonium pluribus hunc de vera fide, quam boni fructus ſequuntur, ſermonem: commendat & verbi Dei authoritatem quod à Chriſto eiúſque Apoſtolis acceptum, ſe quoque ſine fuco concionatum fatetur. Principi ante oculos ponit, atque eleganti ſeruorum Dei, ac mercenariorum Papæ antitheſi facta, ſe aduerſariorũ impudentiſſimis impoſturis inductũ fuiſſe vt cõtra eos loqueretur, atque in eos inueheretur qui nihil præter traditiones humanas prædicarẽt, & vẽtris cauſa, nõ quæ Chriſti, ſed ſua quærerẽt. Deĩde refellit calũnias aduerſariorũ qui eũ cũ toto populo S. Hippoliti iugũ obediẽtiæ, quæ magiſtratui debetur, excutere velle obiectabãt: idq; validis argumẽtis è Scriptura petitis facit. non eſſe cur tale quid de ſe aut ſuis Princeps cogitet, cùm illa moneat paſſim, omni poteſtati à Deo cõſtitutæ parendũ: Cæſari dandũ quod ſit Cæſaris. Poſtremò ſupplicat Duci, cúmque per Deũ obteſtatur, vt ipſum audiat, admonens eum (zelo, quo vir erat, ardenti atque prophetico ſpiritu) ſui officii, quia in cauſa ſalutis, inquit, ἀπροσωπολήπτως cum quibuſuis ſit agẽdum. à Deo enim omnẽ principatũ ſtabiliri:

proinde illius, vtpote ſupremi Regis *, habendam præcipuè rationem, ne quid temere aut credat aut iudicet.* Atque ita *humilem ſuam conditionem agnoſcens, excuſat ſe, quòd hanc epiſtolã humili quoque ſtylo ſcriptã, de materia quæ per ſe ſatis eſt ornata, ipſius* Maieſtati *obtulerit.* T*andem ſummam & perpetuam optans* Principi *felicitatem finem epiſtolæ imponit.*

Q*uum verò* wolfgangus *nihil hac epiſtola effeciſſet, vel quòd intercepta fuiſſet, vel potius quòd improbæ calumniæ, quas contra ipſum excogitarant* Romani Antichriſti *aſſeclæ, plus apud* Principem *valerent (qui in ea ſententia manebat de vaſtanda penitus vrbe* S. Hippoliti:) *ipſemet ſua ſponte ſe* Nanceium *metropolim* Lotharingiæ, *in qua* D*ux præcipuam habebat ſedem, contulit, tum vt fidei confeßionẽ ac doctrinæ rationem palàm ederet, tum etiam vt ciues* S. Hippoliti *tanto periculo liberaret, atque in ſe omne odium totúmque onus deriuaret.* Eò *cùm primùm perueniſſet, protinus in carcerem durum ac graueolentem, pro more regionis, detruſus, inhumaniſsimorúmque hominum cuſtodiæ traditus fuit, quorum ipſe linguam non nouerat.* Id *tamen viri conſtantiam non fregit, ſed in vinculis per annum manſit, neque vllis interea minis aut precibus, aut vxoris, liberorúmque quos habebat ſex vel ſeptem, commiſeratione à ſententia deduci potuit.* D*uctus autem ſubinde ad* Franciſcanorum *cœnobium, vt fidem ſuam profiteretur, ſumma ingenij dexteritate, quotquot aduerſus eum diſputabant, confutauit.* T*um temporis quidam monachus, nomine* Bonauentura, Prouincialis, *homo tam ipſo vultu & vẽtre horridus atque deformis, quàm in ſumma ignorãtia omnis etiam ciuilitatis atque honeſtatis contemptor, magnæ erat authoritatis in aula* Lotharinga, *quæ ſanè iam à multis annis & nouerca & hoſtis virtutis extitit.* Ille *(inquam) homo perfrictæ frõtis, præcipuas* Confeſſoris *partes apud* Ducem Antonium *tum obtinebat, à quo etiam amabatur, quòd ei liberam omnis libidinis ac voluptatis licentiam faceret.* T*rux autem iſta bellua nihil magis perſuadere* Principi *conabatur, quàm vt doctos omnes ab aula, ſuiſque regionibus eiiceret, neque quenquam ſineret qui plus conſueto ſapere vellet.* H*æc enim erat ſumma doctrinæ quã habebat, Satis eſſe ad ſalutem ſcire,* P*ater noſter, &* Aue Maria: *háncque*

hâncque adeò inculcauerat Principis animo, vt ipſe Dux Antonius, melioribus annis natus, non erubeſceret eandem ſuis aulicis in familiaribus colloquijs commendare & ſæpius repetere. Hoc igitur *monſtro hominis præſide, interrogabatur de ſua fide Scuchus: neque quicquam in diſputando aliud eructabat, præterquam, Tu heretice, Iuda, Beelzubub. at bonus Scuchus ad iniurias nequicquam reſpondebat, ſed potentia verbi diuini quaſi fulmine, ita luſcioſos eorum oculos perſtringebat, vt prorſus attoniti aut ringentes diſcederent. Tandem ægre ferentes non ſine arbitris & ſe auditos & conuictos, ne nihil feciſſe viderentur, Biblia ipſius Scuchi, quæ marginalibus notationibus referta erant, veluti mordicus arripientes in ſuo monaſterio combuſſerunt. Quum verò poſtrema haberetur diſputatio, Antonius dux mutato nonnihil, vt minus agnoſceretur, habitu, interfuiſſe dicitur: qui tametſi minimè intelligeret ipſius wolfgangi ſermonem, qui Latinus erat, videns tamen hominis intrepidam conſtantiam, diſcedens è diſputatione, cenſuit exurendum eſſe, quandoquidem eccleſiam (ſic illi videbatur) & ſacramentum Miſſæ negaret. Paulò itaque pòſt condemnatus fuit, vt viuus ignis ſupplicio afficeretur: audita ille ſententia, orſus eſt Pſalmũ CXXII. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domũ Domini ibimus. &c, Dũ verò ad ſupplicium duceretur, prætcribat cœnobiũ Franciſcanorũ, qui pro foribus expectabant. Cyclops autem ille Bonauentura exclamans, dixit Scucho, Heus Heretice, exhibe honorem Deo, ipſiúſque matri, & ſanctis eius, oſtendens ei idola, quæ iſtiuſmodi ferarum luſtris in veſtibulo præponi ſolent. Scuchus verò illi reſpondit, Hypocrita, paries dealbate, perdet te Dominus, téque tuaſque fallacias & impoſturas palàm faciet. Cùm iam ad locum ſupplicij perueniſſet, primùm ipſius libri conburebantur, & rogabatur ipſe num vellet ſibi mitigari pœnam. negauit velle ſe. addebat enim, Deum ſibi ſemper affuiſſe, proinde ne tunc quidem defuturum, cùm eo maximè omnium opus haberet: orationẽ ſuã his verbis cõcludens, Mãdetur executioni ſentẽtia. Deinceps incipiẽs canere Pſal. LI. ſubiuit locũ faſcibus & lignis vndiq; ſeptũ, proſecutúſq; eſt eundẽ Pſalmũ, donec fumo flãmáq; præfocatus, obijt 19 die Aug. M.D.XXV. Præclara autẽ virtus*

atque conſtantia, magnáque eruditio ſancti iſtius hominis, multas pias animas refecit atque ædificauit: veritatis verò hoſtes, contrà, mirum in modũ attonitos reddidit. Etenim *cõtinuò pòſt, ſubitanea morte correptus eſt* Commendator S. Antonij Viennenſis, *qui fuerat eccleſiaſticus, vt vocant, iudex eiuſdem Schuci. Aſſecla quoque ipſius* Abbas Clariloci, *ſuffraganeꝰ* Metẽſis, *in illa populari aggratulatione ob aduẽtũ* Duciſſæ Chriſtianæ *Danicæ in vrbẽ* Nãcciẽſem, *repẽtino timore ob fragorẽ bombardarũ perculſus expiraſſe dicitur: quemadmodũ viri fide pleni hæc ita eueniſſe luculento teſtimonio declararunt.*

IACOBVS PAVANE.

Briçonnetus *ille epiſcopus* Meldenſis, *initiò quidem in ſua Diœceſi ſcholam aperuerat* Euangelio, *ac fouebat pios omnes & doctos viros: inter quos fuit* Iacobus Pauaneus *patria* Bolonienſis, *quæ ad oceanum* Britannicum *ſpectat, qui propter doctrinam* Euangelij Chriſti *captus, in carcerem coniectus eſt, anno* M. D. XXIIII. Eo *captiuitatis tempore, cùm à quibuſdam hominibus in fide* Chriſtiana *dubijs ac frigidis ſolicitatus fuiſſet, eò tãdẽ adductus eſt, vt quæ antè piè profeſſus erat, indignè abnegaret, cum ea ignominia, quam* Emẽdationem *honorariam vocant.* Ex *his fidei ſubornatoribus atque euerſoribus, fuit quidam doctor* Martialis, *qui pœnitentiarius* Pariſienſis *mortuus eſt: qui cum* Pauaneo *diſputans, dicebat,* Erras Iacobe: *neq; enim profundũ maris, ſed tãtùm ſummã aquarum & vndarum ſuperficiem aſpexiſti. innuere volẽs profundũ illud* Theologiæ *pelagus nondũ vidiſſe aut expertũ eſſe. Hæc vox,* Erras Iacobe, *adhuc in communi apud* Meldenſes *ſermone verſatur, atque ab eo tempore pro prouerbio vſurpata & iactata fuit.*

Martialis Pœnitẽtiarius Pariſienſis.

Is igitur Pauaneus *in ſua fide perturbatus, à pióque animi propoſito abductus ab eo hominũ genere, vt vitam conſeruaret ſuam, eã emendationem quam vocant honorariam (infamẽ videlicet &* Chriſtiano *homine indignam veritatis abiurationẽ) paſſus eſt, ſolẽni pompa & aggratulatione aduerſariorũ, poſtridie* Natalis Chriſti, Anno M. D. XXIIII. *Qua quidem ex re tanto poſtea dolore ac pœnitentia* Pauaneus *affectus fuit, vt ad conſpectum amicorum, qui eum in*

carcere

carcere (ad quem per ſententiam illam ſuperiorem damnatus erat) inuiſebant, non niſi gemere ac deteſtari miſeram illam conditionem redemptæ tam fœda abiuratione vitæ, viſus ſit. Ad mortem itaque tanti dedecoris reparatricē deuoto animo ferebatur: ab eóq; tēpore & verbis & ſcriptis purā religionis Chriſtianæ fidē profiteri nō deſtitit. in primis verò illam doctrinam de Cœna Domini, quæ tum temporis noua pleriſque atque inaudita videbatur. Poſt illam itaque carceris detentionem, anno ſequenti M.D.XXV. *condemnationis optatam ſententiam accepit, ac viuus crematus eſt Lutetiæ in eo celebri loco, qui à Greua nomen habet, cum ſumma alacritate atque animi conſtantia.*

Liber ſecundus Actionū

MARTYRVM.

GEORGIVS CARPENTARIVS.

Acta Georgii Carpentarii Emeringenſis, qui vſtulatus fuit pro tuendo Euangelio Monychi Bauariæ.

COmplures viri primarij in Germania extiterunt qui inſtinctu inflatúque diuino, non modò maximè illuſtrem atque inſignem reddiderūt Euangelij veritatem, ſed etiam effuſo ſanguine ſuo, veluti chirographo quodam, confirmarunt & obſignarunt. In quorum ordine Georgius Carpentarius Emeringenſis prætereundus non eſt, propterea quòd admirabili virtute & conſtantia in defenſione Euangelij ſuſcepta permanſit. Cum enim anno Domini M. D. XXVII, *Monychi Bauariæ, veritatis Euangelicæ nomine in carcerē coniectus eſſet, nullis vnquam minis, nullo barbaro atq; immani terrore, nulla denique vi tormentorum abduci potuit à vera doctrina: adeò vt iudices nihil efficere valentes, capitis hominem innocentiſſimū damnarint. Ita q; eiuſdem anni die Februarij 8, poſt latam mortis ſententiam duo carnifices eum in carcere, quæ Falcoturris appellatur, cōprehenderunt, vt ad locum ſupplicio deſtinatū ducerent. Et ecce Franciſcani aliquot monachi ſeſe obtruſerunt, qui cupiebant Georgium in* M.D. XXVIII.

itinere proficiſcentem ad ſupplicium comitari atque inſtruere & erudire ſuo vſitato more. At verò rogauit, ne in ea re elaborarent, ſed ſe in clauſtra ſua reciperent, quando eorum doctrina & inſtitutione nihil ei prorſus opus eſſet. Carnifices igitur eum perduxerunt vſque ad gradus ædis publicæ, vbi cauſæ ſuæ quatuor capita confeſſa & defenſa publicè fuerunt recitata. Primū autem fuit, quòd non crederet ſacrificum poſſe homini peccata remittere in confeßione auriculari. Alterum quòd non adduceretur vt crederet hominem poſſe Deum cœlo euocare. Tertium, quod non perſuaderetur Deum incluſum eſſe in pane, quem ſacerdos cōtrectat & verſat multis modis in altari. Quartum verò fuit, quod non crederet Baptiſmum aquæ per ſe poſſe hominem facere beatum. Aduerſarij contrà etiam atque etiam vrgebant & inſtabant vt iſtam opinionem reuocaret: verum in ſua ſententia conſtantißimè perſtitit. Tum acceßit ad eum ludimagiſter quidam eius vrbis, his cum verbis alloquens, Mi Georgi, nunquid horres & reformidas mortem quæ tibi mox obeunda eſt? Si nunc liber eſſes, númnam ſumma voluntate & egregia animi alacritate redires domum ad vxorem & liberos? Cui ille, Si iudices à ſe me dimitterent, ad quos quæſo libentius me reciperem quàm ad vxorem & charißimos filios? Te igitur reuocato, inquit ludimagiſter, & in libertatem vindicaberis. Ad quæ Georgius, Vxor quidem & liberi chariores mihi ſunt quàm vt vllo pretio, aut vel ſuo prouētu Dux Bauariæ redimere queat, ſed tamen libenti animo pro ſummo meo erga Deum amore eos relinquo. Cùm verò ipſe iam ad ſupplicium duceretur, ludimagiſter rurſum eſt eum allocutus in medio foro, in hanc ferè ſententiam, Mi Georgi, crede ſacramentum altaris, nec tantùm ipſum eſſe ſignum affirma. Fateor, ait ille, ſacramentum
" *hoc eſſe ſignum & teſſeram corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti,*
" *qui pro noſtrorum peccatorum expiatione mortem crucis vltro pertulit. Ludimagiſter haud ita multò pòſt addidit, Georgi, quid cogitas, dum tu nihili facis Baptiſmum, quo tamen ablutum fuiſſe Ieſum Chriſtum in Iordane non ignoras? Ad id ille, vt par erat, reſpondit, oſtendítque quis fuit Baptiſmi finis in Iordane, & quàm neceſſe fuit pro hominum ſalute comparanda Chriſtum mori in cruce quæ*

ce, quæ quidem res ſalutis noſtræ ſcopus eſt. Ille ipſe ergo Chriſtus, inquit Georgius, ſeruator meus eſt, in cuius fidem me totum trado, atque eum hodie clara cõfeſſione celebrabo in omnium conſpectu. Interea Magiſter Conradus Sceitther, *vicarius & eccleſiaſtes primarij templi, ad illũ acceſsit & dixit,* Mi Georgi, *niſi fidem adhibere vis ſacramento, ſaltem tuam ſpem in* Deo collocato, *& palàm dicito,* Nihil *quidem de cauſæ meæ æquitate & bonitate dubito, ſed tamen ſi fortè peccarem, me erroris & inſcitiæ maximè pœniteret.* Ad *quæ* Georgius, *Deus nequaquam permittat vt in errore verſer.* Cui *ludimagiſter,* Ne *ſcis feſtinantior: delige tibi quendam bonum virum nempe* Magiſtrum *Conradum aut alterum quenpiam, cui animi ſenſum indices & ſententiam tuam aperias: non vt ad aurem eius confitearis, ſed ex re & tempore conſilium capias. Ille reſpondit ſe id nequaquam commiſſurum, quippe qui ea re non egeret.* Poſtea *aliquantò, quum* Magiſter *Conradus clara voce orationem* Dominicam *recitare cœpiſſet,* Pater *noſter qui es in cælis: interiecit* Georgius: Mi Deus, *reuera* Pater *noſter es, neque vllus alius eſt, vehementer cupio hodie tecum habitare.* Magiſter *Conradus incœpta perſequebatur, Sanctificetur nomen tuum: tum intermiſcuit* Georgius, Mi Deus, *quàm exiguè & frigidè nomen tuum ſanctificatur. Conradus progrediebatur longius,* Veniat *regnum tuum.* Ad *eum orationis locum Georgius addidit,* Equidem *ſpero me hodie in illud magno gaudio intraturum. Conradus orationem proſequebatur,* Fiat *voluntas tua ſicut in cælo, etiam in terra: Georgius dixit,* P*ræſto hîc ſum, mi* Pater, *vt tua voluntas fiat, non autem mea.* Cõ*radus orare perrexit,* Panem *noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Georgius *ad id ita reſpondit,* Ieſus *Chriſtus verus & cæleſtis panis, ſit mihi hodie in cibum. Conradus progrediebatur,* Et *remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Georgius ad hunc ferè modum locutus eſt,* Ego *omnibus tum amicis, tum inimicis quicquid in me deſignarunt ex animo remitto & condono. Conradus orandi finem fecit dicens,* Et *ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Georgius interpoſuit,* Deus *bone, proculdubio tu me hodie liberaturus es: repoſui enim*

ſpem meam in te ſolo. T*um poſtea* Conradus *ſymbolum fidei recitare aggreſſus eſt,* Credo in Deum *patrem omnipotentem: cui mox addidit* Georgius, *Etſi hoſtes omnibus viribus conati ſunt me abs te longiſſimè diſiungere, ego tamẽ in te vno ſpem omnem meam poſitam habeo, non autem in vllis rebus creatis.* I*ta ferè* G. *reſpondebat ad ſingula capita: quæ ſi commemorare pergeremus, longior eſſet ſermo.* His *verò peractis* Ludimagiſter *eum nominatim compellauit dicens,* Credíſne *corde tam aſſeueranter in* Deum *Dominum tuum, quàm alacriter ore profiteris?* Cui Georgius, Mihi *quidem res admodum difficilis & ardua eſſet, crudelem mortem tam acri præſentíque animo perferre, niſi quod ore profiteor, ex animi mei quodam intimo ſenſu prodiret.* Ego *ſanè longè antè certum habebam quid mihi ferendum eſſet pro* Chriſto, *ſi modò afflictionum eius ſocius ac particeps eſſe vellem.* O Deus! *vbi eſt hominis theſaurus repoſitus, ibi quoque illius animum eſſe oportet.* Tum M. Conradus *ei dixit:* Credíſne Georgi, *neceſſe eſſe pro te mortuo preces concipi: quod ſi credis, ſpondeo me celebraturum* Miſſæ *ſacrificium tua cauſa.* Cui Georgius, *tãtiſper dum animus hoc corpore, tanquam ergaſtulo concluditur, precamini vt mihi* Deus *patientiam, veram animi deiectionem &* Chriſtianam *fidem largiatur: quibus quidem virtutibus munitus & inſtructus ſupplicium mortis mihi conſtitutum præſenti animo ferre queam.* Poſtea *verò quàm animus à ſocietate & contagione corporis ſeparatus fuerit, tum mihi nihil opus erit precationibus.* Iam *verò cùm à carnifice conſtantiſſimus martyr ad ſcalam alligaretur, pleraque doctrinæ* Chriſtianæ *capita populo ſpectanti exponebat.* Tum *nonnulli pij &* Chriſtiani *fratres, qui illi triſti ſpectaculo fortè aderant, eum rogarunt vt ſimul atque in ignem coniectus eſſet, ſignum aliquod daret ſuæ firmæ & conſtantis fidei: quibus ille reſpondit,* Hoc *ſignum fidei meæ in* Ieſum Chriſtum *certiſſimum vobis eſto: quód vſque dum os aperire aut certè hiſcere licebit,* Deum *laudibus celebrare &* Seruatoris *noſtri nomẽ profiteri nunquam intermittam.* Perſpice *quæſo,* Lector, *quã incredibili conſtantia paratus fuit hic nobilis* Chriſti *matyr ad acerbiſſimam mortem ſubeundam. vix enim vnquam par animi virtus audita eſt aut perſpecta.* Etenim *in eo ſemper idem vultus fuit, neque vlla*

vlla mentis & ſenſuum facta eſt mutatio. Perrexit *igitur in ignem hilari animo & prompto: dúmque teſtis ille tã patiẽs atque tã fortis ad lanienam duceretur, dixit in medio vrbis,* Hodie Dei *nomen* palàm *in ore atque oculis omnium profitebor. Quod reuera ſtrenuè præſtitit iam extentus & ad ſcalam alligatus.* Nam *cùm duo carnifices ſacculum puluere tormentario plenum circa collum alligarent, ita locutus eſt, Sit hoc in nomine* Patris & Filij & Spiritus *ſancti. Cùm autẽ duo illi carnifices eum ſcalæ aſtrictum & alligatum attollerent in ſublime, circunſtantem ibi fratrem quendam valere iuſſit, petita ab eo exporrecta fronte cuiuſdã errati venia.* Porrò *ſimulac in flammas à carnificibus cõtruſus eſt, ſublata voce exclamauit,* Ieſu, Ieſu. *Deinde carnifex eum crudeliſſimè verſauit.* Tum *demum poſt repetitum clara voce* Ieſu *nomen, ita vitam felici fine concluſit.*

LEONHARDVS KEYSER, Germanus

NEque *obliuioni mandanda aut ſilentio prætereunda eſt conſtãtia* Leõhardi Cæſaris *cognominati, ex* Bauariæ *ducatu, qui propter teſtimoniũ* Euangelio *datum combuſtus fuit.* Is Cæſar, *erat ex* Raubo *oppido quatuor milliaribus à* Paſſawo, *illuſtri genere ac domo natus. Quo tempore* wittenbergæ *literis optimiſque diſciplinis operã dabat, certior factus à fratribus, de patris valetudine, vt ſi eũ vellet vnquam viuũ videre, quamprimùm reuerteretur, ilico ſe in patriã domúmque ſuam pio patris ac fratrum videndi deſiderio recepit.* Sed *ſimulatq; eò is venit,* Paſſawienſis *epiſcopi, qui* Euãgelij *ſtudioſos ſummo odio inſectabatur, mandato captus eſt. Qua in re non incõmodum erit hoc loco exponere articulos fidei, quos liberè confeſſus eſt, & propter quos ab inimicis inhumaniter extinctus, ſanguine ſuo teſtimonium doctrinæ* Filij Dei *debitum ac redditum obſignauit.* Primùm *aſſeruit nos ſola fide ſaluos fieri. deinde ipſa opera eſſe fructus fidei.* Miſſam *non eſſe oblationem aut ſacrificium, neque prodeſſe viuis, multò minus mortuis.* Poſtremò *tria genera confeſſionis affirmabat, vnum & præcipuum fidei, nobis quidem quotidie perpetuóque neceſſariũ: alterum charitatis, quod ad proximũ offenſum alienatumque reconciliandum adhibere oportcat, de quo*

M D. XXVII.

Confeſſio fidei Leonhardi Cæſaris.

genere Matth. X V III. à Chriſto domino præceptum. tertium ad gra-
ues ac prudentes viros miniſtróſque Eccleſiæ referri, à quibus in ma-
gnis ac perplexis conſcientiæ vitæque rationibus, conſilium ſæpe
petendum & accipiendum eſt. Itaque quoniã hæc omnia erant aduer-
ſaria bullæ Leonis X. Papæ Rom. atque edicto decretóque Imperato-
ris facto wormaciæ, ſententia fuit pronuntiata, vt pius vir Leonhar-
dus Cæſar, degradatus, in manum & poteſtatem ciuilis magiſtratus
traderetur. A quo quidem acceptus ac tonſus, indutúſque diploide, pi-
leúmque in capite habens diſſectũ, carnifici ciuitatis traditus eſt. Por-
rò cùm extra vrbem duceretur, eum in locum, vbi morte mulctandus
erat, liberè & conſtanter Germanico ſermone loqui cœpit, nunc in
hanc, nunc in illam partem caput conuertens. Ita autẽ dicebat, O Do-
mine Ieſu, patere mecum, ſuſtenta me, da mihi robur. Tum ligna iam
parata erant, vt accenderentur, cùm ille magna voce exclamare cœpit,
O Domine Ieſu, ego ſum tuus, conſerua me. Hoc autem dicebat, cùm
iam ignẽ accenſum ſub pedibus haberet, atque etiam vim eius, non in
pedibus ſolùm, ſed etiam in manibus & capite, acerbiſſimo cum dolo-
re ſentiret. Et quoniam ignis nõ ita erat magnus, vt corpus eius citò
poſſet abſumere, carnifex pertica biſulca illud tantũmodo ſemiuſtu-
latum attraxit, ac ſuper ligna vndique impoſuit. Deinde perforato
corpore, perticã illam traiecit: atque ita illud repoſuit in ignẽ, & om-
nino exuſſit. Hic exitus Cæſaris, pij hominis, pro cauſa & doctrina
filij Dei Ieſu Chriſti morientis, decimo ſexto die Auguſti, anno M.
D. XXVII.

Edictum VVormacienſe.

HENRICVS FLANDER.

M. D. XXVIII.

Magiſter Hẽricꝰ (hoc enim nomine notior erat quàm cognomine)
natione Flander, cùm inſtitutum ordinis Auguſtinienſis diu ſe-
quutus ac profeſſus fuiſſet, poſtea abiecto eo vitæ genere, melioré-
que ſuſcepto, captus fuit propter verbum Dei in ciuitate Cortracenſi
oppido Flandriæ, habitu indutus mercatorio, atque inde Tornacũ de-
ductus. Qua in vrbe cum ſeptem menſes in profundo ac tetro carce-
ris loco adſeruatus fuiſſet, tandem ei oblata eſt conditio, per quen-
dam M. Baltazarem à Cordis, qui tum erat Officialis Epiſcopi Tor-
nancen-

nacēſis, vt ſi vellet confiteri eā quā vxorē duxerat, eſſe meretricē ſuam, vita ei conſeruaretur. Hoc *autem ille vt diceret, nunquam potuit adduci: ſed in ea fidei confeßione, quam initiò coram eis fecerat, conſtanter perſtitit: ita vt ab aduerſarijs priſtino illo turpis ſacerdotii gradu atque ordine deiectus aut eraſus, cum ſumma animi lætitia & gratiarum actione canere cœperit,* Te Deum *laudamus, te* Dominum *confitemur: cæteróſque verſus eius* Cantici, *qui* Ambroſio *&* Auguſtino *vulgò tribuitur.* Poſtea *fuit condemnatus, vt viuus cremaretur: quod ſuppliciū admirabili virtute & animi magnitudine pertulit, circiter menſem* Maium, *anno* M.D. XXVIII.

DIONYSIVS DE RIEVX.

Dionyſius *ab* Rieux, *fuit vnus ex ijs qui primi pro pura* Euāgelij Chriſti *doctrina,* Meldis *mortem magno animo pertulerunt.* Is *inter primos in* Gallia *palàm aſſeruit,* Miſſam *certißimam eſſe abnegationem mortis & paßionis* Ieſu Chriſti: *à qua* Miſſæ *opinione* Briçonnentus *epiſcopus* Meldenſis, *de quo ſuprà mētio eſt habita, modis omnibus abducere voluit, promittens ſe eum liberaturū, eique pēſionem annuam atque alia commoda daturum.* Cui *ille fortiter ſemper reſtitit, & grauiter obiurgans, dixit,* Itáne, *domine, in eam animi mollitiem ignauiámque delapſus es, vt me nunc quidem ad huiuſmodi abnegationē* Dei *mei, renuntiationémq; inducas?* Hic *autē pius vir ſententiam illam* Ieſu Chriſti, Qui *me negauerit coram hominibus, &c. vehementer in animo ſuo infixam habebat, ita vt eam ſæpe cum pondere & grauitate eius vſurparet ac repeteret, atque etiam ad mentionem eius perhorreſceret.* Is *igitur damnatus, vt viuus combureretur, crate ad ſupplicium tractus fuit, perpetuò loquens, ac populum exhortans, vt ad ſuſcipiendam veram vitæ ſalutíſque doctrinam conuerteretur.* Eius *manibus crux lignea fuit illigata, quam excußit magna vi, abiecitque in quendam locum, qui aquas fluentes recipiebat: atque eo quidem die valde pluerat, ita vt crux vnà cum aqua auferretur. quæ res ſacerdotes ac monachos ita vehementer irritauit, vt ab contumelijs iniuriíſque ei inferendis, continere ſe non poſſent.* Itaque *is viuus fuit vſtulatus, ſumma voluntate ac volu-*

M.D. XXVIII.

Sententia, Qui me negauerit, &c.

ptate inimicorum veritatis, id eſt, cum lento magnóque tormento ac dolore. Nam *ter in ſublime fuit ſublatus, ignem ſub ſe habens exiguum, perpetuò vſque ad vltimum ſpiritum vitæ,* Deum *inuocans.* Hunc *vitæ finem, vir probus &* Deum *timens habuit, tertio die* Iulij, *anno* M. D. XXVIII.

PETRVS FLYSTEDEN ET ADOLPHVS CLAREBACH, Germani.

Hi duo Martyres morte ſua magnum fecerunt fructum apud inferiores Germanos.

ANno M. D. XXVIII, *Petrus* Flyſtedius & Adolphus Clarebachus *homines literis perpoliti & præclara eruditione atq; doctrina ornati, Coloniæ ad* Rhenū *ſitæ vincti tenebātur, quòd de Cœna* Domini *cæteriſque religionis Chriſtianæ capitibus à* Pontificijs *diſſentirent. Senatus quidē vrbis poteſt iure ſuo cōtrudere in carcerē, ſed damnandi aut abſoluendi poteſtas eſt penes* Archiepiſcopum: *adeò vt contingere queat, vt qui in locum & vicem* Archiepiſcopi *ſubſtitutus ſit, emittat è cacere eum & in integrum reſtituat, qui capitis damnatus fuerit à ſenatu. Illi igitur duo in cuſtodia incluſi fuerunt plus ſeſquianno. tandem verò anni eiuſdem menſe Septembri ad ignē damnati ſunt iniquiſsimo iudicio ſenatus & vicarij* Archiepiſcopi: *quorum ſententiam, carnifices poſtea ad extremum vſque ſunt executi cum acerbiſſimo plurimorum dolore & commiſeratione.* Tantæ *crudelitatis cauſa in* Theologaſtros Colonienſes *tranſſerebatur, qui in ſuis publicis concionibus vociferabantur, oportere placare ac lenire iram* Dei, *qui tum nouo & inuſitato morbi genere,* Germaniam *afflictabat.* Etenim *præter famem quæ ſæuiebat, inſolens quidam morbus ſudoris nomine appellatus ſic graſſabatur, vt qui eo exitiali ſudore opprimerētur, intra quatuor & viginti horarum ſpatium morerentur. Cuius quidē rei cauſa hominū numerus propè infinitus morte interceptus interijt ante inuentū remediū.* Vulgus *morbū* Anglicū *appellabat quòd anno* M. CCCC. LXXXVI, *hac impura lue afflictata fuiſſet* Anglia. Deinde *verò vt* Deus *omnia ſua flagella in* Germaniam *ſemel explicaret, potentiſsimus ille* Turcarū *rex* Solymanus (Vayuoda *ex parte aliqua* Hūgariæ *rege, &* Hieronymo *à* Laſco Polono *inſtigantibus) obſeſſam tenebat* Viennam Auſtriæ. Porrò *cū duo illi*

Morbus ſudoriferus.

illi ſanctiſsimi homines ad mortẽ ducerẽtur, ſuæ fidei rationẽ omnibus publicè reddebant, ſeque mutuò cohortabantur & incitabant præclaris verbi diuini teſtimonijs ad tolerantiam: adeò vt omnes qui aſtabant admiratione obſtupefacti, vtriuſque conſtantem vultum motúmque corporis intuerentur: præſertim verò Adolphi, *qui adoleſcens erat egregia forma, doctrina atque optimarum artium ſtudijs maximè eruditus.*

LVDOVICVS BERQVINVS.

Ludouicus du Berquin, *nobili* Berquinorum *apud* Artheſienſes *familia ortus, ea* Artheſiæ *parte quæ ab oppido* S. Audomari *denominatur, adſcitus in aulam* Franciſci.I, Galliarum *Regis, in eorũ numerum qui aulæ* Regis *nobiles cenſentur, cooptatus fuit eo tempore cùm adhuc ſuprema poteſtas* Artheſiæ & Flandriæ *ad regem* Galliæ *pertinebat. Annos natus plus minus quadraginta cælibem vitã egerat, ea morũ integritate vt ne ſuſpicio quidem vlla impudicitiæ (quod rarum eſt in homine aulico) aduerſus eum, dum vixit, exorta fuerit: mirè benignus in amicos & egenos. Antequàm* Dominus *illum ad cognitionem* Euangelij *vocaſſet, conſtitutionum ac rituum papiſticorum, nempe præſcriptorum ieiuniorum, dierum ſacrorum, ciborum,* Miſſarum, *concionum, quemadmodum ab ineunte ætate edoctus fuerat, obſeruantiſsimus fuit: alieniſsimus verò ab omni fuco, ingenio aperto ac libero: quòd iniuriam nec cuiquam facere vellet, neque etiam à quoquam perpeti poſſet. A doctrina* Lutheri *quæ tunc in* Gallia *cœperat increbreſcere ita abhorrebat vt qui maximè.* Nihilominus *tamen, vt erat vir ingenuè doctus, oderat grauiſsimè inſulſos illos & moroſos* Sorbonicos *theologos ac monachos. in hos etiam aliquando palàm debacchabatur: nec ſtomachum ſuum diſſimulare poterat.* Fuerat *illi ſermonis conflictatio cum quodam primi nominis inter* Theologos Pariſienſes *doctore* Gulielmo *videlicet à* Quercu. Ex *eo ſanè odio cœpit vir pius propius applicare animum ad ſtudium veræ pietatis: neque defuit* Dominus *qui multis modis ác medijs ſolet ſuos ad* Chriſti Filij *vnigeniti cognitionem trahere.* Ab *eo tempore nullum intermittebat tempus, quod aut lectio-*

ni aut ſcriptioni aut vertendis in linguam Gallicam pijs libellis, non impertiret. Ex *ijs qui ferè ſparſi erant, decerptæ ſunt ab inimicis ſententiæ, quæ* Theologi *ad ſuam cognitionem & cenſuram pertinere exiſtimabant.* Huius *ferè generis erant illæ ſententiæ,* In *concionibus non rectè* Virginem Mariam *inuocari pro Spiritu ſancto.* Non *rectè vocari* Theſaurariam *gratiæ.* Item *in* Salutatione *illa veſpertina quæ illi exhibetur, contra omnem veritatem* Spem & Vitam *noſtram vocari, quum ea omnino ad* Chriſtum *pertineant.*

Ob *huiuſmodi ſententias à* Theologis *annotatas hereſeωs reus delatus eſt, ac in carcerem coniectus.* Iudices *qui ingenium hominis nouerant, parui momenti eas concluſiones exiſtimauerunt, abſolueruntque* Berquinum. Qui *detulerant, vulgò iactabant eum elapſum fauore* Regis: *ipſe verò prædicabat ſe iure atque æquitate cauſæ victorem, adeò vt ſeriò de ijs triumphum appararet.* Interea *alios etiam libellos vertit, inter quos etiam* Enchiridion *militis* Chriſtiani Eraſmi *Gallicè emiſit, additis pleriſque atque intermixtis, quæ propius ad veritatis* Euangelicæ *lucē pertinebāt.* Eraſmus *ille, qui ſe ſuo more* ἀλλοπρόσαλλον *ſemper oſtendit, acriter expoſtulauit cum eo per literas quòd non prudenter ageret, eiuſmodi grauem vtrique conflans inuidiam nullo, vt dicebat, fructu pietatis: proinde ſuā cauſam ſic ageret, ne* Eraſmum *admiſceret.* Interea Natalis Bedda Sorbonicus *doctor & ipſius aſſeclæ, collectis multò pluribus articulis aduerſus* Berquinum, *curarunt eum rurſus pertrahendum in carcerem.* Beddæ *ſe adiunxerant* Prior Cartuſianorum & Prior Celeſtinorum *vrbis* Pariſienſis *ac nonnulli alij vt multitudine obruerent hominis conſtantiam.* Cohors *illa* Beddaica *adeò præiudicijs* Berquinum *grauarat, vt nihil in cauſa ſupereſſe videretur, niſi vt exuſtis libellis ac honoraria emēdatione facta reciperet præſcriptam à* Magiſtris *illis ſatiſfactionem, aut ſi id recuſaret, iret ad ignem.* Berquinus *ne in vno quidē illis ceſſit: & ſanè actum erat tum de ipſo, niſi quidam è* Senatu *cordatiores, perſpicientes rem calidis* Monachorum *ac* Beddaicorum *odijs geri, reſpondiſſent ſe totā cauſam à capite vſq; ad calcē denuò velle cognoſcere. ídque non ſine fremitu illorum qui iam eum morti adiudicauerant.*

rasmus.

rant. Id *quidem fauore* Ludouicæ *matris* Franciſci *regis, quæ tunc regni habenas moderabatur, procuratum fuiſſe pleriquè exiſtimauerunt*. D*um hæc aguntur* Rex *ex vinculis* Hiſpanicis *commodùm reuerſus, admonitus fuit* Berquinum *inter monachos &* Theologaſtros *periclitari. itaque per literas denunciauit ſenatui* Pariſienſi, *ne quid temere pateretur fieri in perſona ſui* Berquini: *ſe breui adfuturum, ac diligētius velle de toto negocio cognoſcere*. Aliquantò *pòſt exemptus è carcere, ſeruatus eſt in aula ſatis commodè, attamen ſub cuſtodia*. Tandem *ſuæ libertati redditus eſt, quò poſſet facilius ſuæ cauſæ cōſulere*. Mirum *dictu quantum fiduciæ tum conceperit animo* Berquinus. *non enim ſolùm promittebat ſibi abſolutionem, verumetiam victoriam & quidem ſpecioſam*. Aiebat *victoriā eſſe in manibus, ſed malle ſerius aliquanto finiri cauſam, quò magnificentius de ijs triūpharet*. Iam *itaque mutatis vicibus ſacram illam facultatem*, Theologos *videlicet &* Monachos *reos peragebat impietatis. dicebat enim ſe arcana quædā deprehendiſſe in eorū actis*. Pleriq; *eū amici hortabantur, ſineret crabrones, extricaret ſe ab ea cauſa quàm quiret minimò, vel prætextu* Regiæ *alicuiꝰ legationis aliquò proficiſceretur, vel in* Germaniam *iret, dum cauſa hæc tempore euaneſceret*. Cogitaret *etiam atque etiam qualis excetra eſſet* Bedda, *acerrimus ipſius aduerſarius, quótque capitibus venenum efflaret*. Expenderet *cum immortali hoſte rem eſſe*, Facultas *enim non moritur*. Facultatis *phalanges non conquieturas donec ei exitium procuraſſent*. Principum *ac magnatū fauores eſſe temporarios, ac delatorum artibus facilè in diuerſum trahi illorum affectus*. Denique, *vt nihil eorum accidat*, Reges *etiam ipſos vel delaſſari talium improbitate, vel etiam metu nonnunquàm cogi vt cedant*. Tot *modis deterrentes amici, tantum abeſt vt* Berquinum *ab incœpto abſtraherent, vt potius animum adderent. ingenium enim ipſius quiddam habebat cum palma commune: nanque aduerſus deterrentem tollebat animos*. Pergebat *itaque in cauſa aduerſus* Theologos *ac* Monachos, *maximè verò in* Beddam, *impetrauítq; à rege* Franciſco *literas ad* Theologicam *facultatē, vt duodecim articulos, qui in* Beddæ *libris viderētur habere manifeſtā impietatē, atq; adeò blaſphemiā, aut damnarēt omniū ſuffragijs*

alias hydra, quã non Hercules capitibꝰ truncavit.

aut ſacrarum ſcripturarum teſtimonijs comprobarent. Hæc Berquino *polliceri certam victoriam videbantur, ſed progreſſus cauſæ demonſtrauit irritamenta hæc tantùm fuiſſe ad acuendam magis ac magis inſanam aduerſariorum rabiem.* Frigida *enim ſunt, vt plurimùm edicta aut diplomata* Regia, *præſertim in cauſis eorum qui ſe pro veritate opponunt. Sic itaque excitati crabrones, omni malarum artium genere inſtructiſſimi nunquam conquieuerunt, donec* Berquino *procuraſſent exitium.* Iudicibus *duodecim à ſummo* Parlamenti Pariſienſis *Senatu lectis, tandem delegata fuit tota cauſæ cognitio & ſuprema in ea pronunciandi authoritas.* Quum *inſtaret dies,* Berquinus *carceri traditus eſt. ſententia ab ijs* Iudicibus *areſto lata eſt, vt exuſtis* Berquini *libellis & abiuratis articulis perpetuo carcere incluſus vitam degeret: re tamen tota arbitrio* Regis *reſeruata.* Is *audita præter expectationem hac ſententia,* Regem *appellauit.* Iudices *illi delegati indignè ferentes appellandi verbum, Si non recipis, inquiunt, hanc ſententiam, efficiemus ne poſthac quóquam appelles.* Magnus *ille* Gulielmus Budæus *tunc ſupplicum libellorum in Curia magiſter, vnus erat è* Iudicum *illorum numero. is pro ea beneuolentia qua omnes humanitatis ſtudioſos complectebatur, hunc quoque* Berquinum *amabat: ac paulò antequam grauior ſententia mortis in eum ferretur, multis hortatus eſt, vt à veſanis illis erroribus reſipiſceret, & palinodiam præſcriptam non grauatim amplecteretur, conſuleret vitæ, ac melioribus ſtudijs ſe ſeruaret: néue ſuo (quod aiunt) indicio ſibi exitium accerſeret: quod quidẽ affirmabat ex ſententia* Iudicum *omnino decretum, niſi priori illi tam æquabili ſẽtẽtiæ mox acquieſceret.* Hac *graui monitione, atq; obteſtatione tãti viri eo adductus eſt* Berquin⁹, *vt polliceretur ſe ea facturũ quæ ille multis ſuaſerat.* Domum *reuerſus* Budæus, *præſagire illi cœpit animus non præſtiturum ea* Berquinum, *quæ ſe facturum receperat:* Noui *enim, aiebat, hominis ingenium, imponet illi ſua fiducia atque ingenuitas.* Hæc *cũ antemeridianis horis acta fuiſſent, pomeridianis* Berquinus *eadem confirmabat quæ prius.* Itaque Iudices *non multò pòſt, ſententiam aliam tulerunt, nempe vt laqueo præfocatus, crema-*

Iudices XII delegati in cauſa Berquini.

retur in loco celebri Lutetiæ*, Greua appellato.*Huius *poſterioris ſententiæ exequendæ occaſionem omnem captabant aduerſarij: quum primùm ſemotius rex* Franciſcus *excurreret, quæ ſanè mox vt cupiebant oblata eſt. nam* Rex Bleſiacum *petebat, quum ad ſupplicij locum deductus eſt* Berquinus*, qui adeò præſenti animo tum maximè viſus fuit, vt nec vultu, nec vllo corporis geſtu dederit vllum perturbati animi ſpecimen: ne tum quidem, cùm carnifex in egreſſu carceris, truculenta voce crimen ac ſupplicium pronunciaret. Quum ad plateam Greuenſem ventum eſt, verba fecit ad populum, ſed vix quiſquã potuit aliquid percipere. tãtus erat ſatellitum fremitus, tã magna corũ, qui à Sorbonicis mercede conducti dicebantur, vociferatio dedita opera excitata fuit. Sic animos omnium in illum excitarant* Monachi *ac Sorbonici, qui nuſquàm non adſunt, vt etiã pueros initio cauſæ munuſculis illexerint vt vicatim dicerẽt,* Berquinum *hæreticũ eſſe. Quũ itaque ad palum præfocaretur, vix vnus aut alter è turba acclamauit nomen* Ieſu*, quod parricidis tamen ac ſacrilegis apud eos acclamari ſolet.* Hoc *itaque graue mortis ſupplicium admiranda animi conſtantia perpeſſus eſt vir inſignis, menſe* Maio, *Anno* M.D.XXIX.

Hanc pleniorem de Berquino hiſtoriam, ab iis accepimus, qui totius cauſæ actionem probè cognitam habuerunt, & illi interfuerunt: tum etiam ex Eraſmi epiſtolis nonnulla, quæ ad rem vt geſta eſt pertinere videbantur, deſumpſimus.

MARTINVS GONIN.

MArtinus *Goninus, natus fuit in exigua valle regionis* Pedemõtanæ, *Angiuena nominata: cuius vallis incolæ, iam à multis annis, abuſus impios traditionum humanarũ probè cognitos habuerũt.* Is *cùm veniſſet ad eum cœtum, qui nomine cõmuni* V*aldenſes appellantur, miniſterium ab illis delatum accepit.* V*aldenſes autem etſi boni erant homines, cumprimis* Deum *metuẽtes, ſummóque verbi* Dei *ſtudio affecti: tamen luce* Euangelij *tum apud* Germanos*, tum etiã apud* Heluetios & Sabaudos *exorta, cognouerunt multa deſiderari in ſuis eccleſiis, quæ ad veram religionem ac pietatem pertinerent: plæraque etiam ignoratione, ac temporum culpa iandiu recepta retineri, quæ à pura* Euangelij *doctrina* Eccleſiæque *diſciplina abhorrerent.* Itaque

Memorabile exemplũ cõſtãtiæ in Gonino.

cum Martinum *cum* Ioanne Gerardo,*qui poſtea typographiam,ſumma cum laude ac vtilitate* Eccleſiæ, Geneuæ *aliquot annos exercuit, in Sabaudiam miſerunt ad Guilelmum* Farellum, *qui tum in ea patria* Euangelium *annunciabat,ab eo rogantes, vt curã etiam ſuſciperet reformandarum atque inſtituendarum ſuarum eccleſiarum, cùm earum quæ citra* Alpes *in* Delphinatu,*in* Prouincia Gallica,*ac in* Pedemõtio *haberentur,tum etiam illarum,quæ in* Italia, *in* Calabria, Apuliáque *aliquem pietatis cultum ac timorem* Dei *retinerent.* Quod *negotium* Martinus *ſibi commiſſum,cùm diligenter ac fideliter curaſſet, reditũ itérque ſuum inſtituit,menſe* Aprili,*anno* M. D.XXXVI,*vt ad vallem* Angruenam, *ſuos parentes amicóſque viſendi cauſa proficiſceretur.* Eo *in itinere dominus* Champolionenſis,Georgius Martinus *appellatus, comprehendit eum in montibus ducatus* Chanſauri *in* Delphinatu, *ſpeculatorẽ eſſe ſuſpicatus.* Inde *ductus eſt ad* Portã Troinam, *quo in loco carcer eſt vrbis* Grationopolis: *ibique à magiſtratu eius* Parlamenti *examinatus.* Sed *cùm in eo nulla deprehenderetur ſuſpicio eius criminis,cenſuerũt vt ſaluus & incolumnis dimitteretur.Cùm autẽ carcere egrederetur,*Georgius Borelus *cuſtos carceris, eum perſcrutans, deprehendit quaſdam ſcriptas literas, quas* Guilelmus Farellus *&* Antonius Saunerius, *aliique miniſtri eccleſiæ* Geneuenſis, *ad* Pedemontanos *pios homines ac verbi* Dei *ſtudioſos mittebant.* Tum *cuſtos carceris eum redire iuſsit,atque in infima & obſcura foſſa incluſum,per duos dies detinuit.* Tertio *die procurator regius cum aliis quibuſdam viris eius ſummæ curiæ,ad eum venit,eúmque ſpeculatorem eſſe arguit,cùm literas ſecum adferret.* Tum Martinus,Legite,*inquit, eas, & cognoſcetis de rebus bellicis non eſſe ſcriptas, nec ad principum negotia vllo modo pertinere: ſed tantummodò complecti pia quædam monita atque præcepta, quibus vita in timore* Dei *inſtituatur.* Tum *alii, cuias is eſſet, rogauerunt: atque ex literis,quas dicebant eum habere,* Lutheranum *eſſe vehementius arguebant.* Ego, *inquit* Martinus,*ſum ex valle* Angruena Pedemontana: *hoc quidem tempore* Geneuæ *agens, artem typographicam exerceo.* Nec *ſanè* Lutheranus *ſum, nec vellem quidem eſſe cùm non* Lutherus *pro me, ſed* Chriſtus Ieſus *ſit mortuus, cuius nomine*

Guilelmus Farellus

mine cenſeor, Chriſtianúſque appellor, & pro quo & cum quo, ego tum viuere tum mori paratus ſum. Interrogatus ab illis, quis Geneuæ concionaretur, Guilelmum Farellum & Petrum Viretum reſpondit. Petrus Viretus *Tum procurator, eos duos ſectæ Lutheranæ principes eſſe affirmauit. Cui Martinus comiter contradicens, Pace tua, inquit, illi minimè ſunt ij, quos tu arbitraris, ſed fideles ſunt ſerui Dei, à quibus, ſicut Apoſtoli fecerunt, pura verbi Dei doctrina annuntiatur. Ain tu, inquit procurator, ea omnia, quæ nos tenemus tradita à matre noſtra ſancta eccleſia Romana, Miſſam, purgatorium, indulgentias, bona opera, & cætera huiuſmodi, falſa eſſe? Martinus reſpondit, eam eccleſiam eſſe malignorum, à diabolo ortam & propagatam, cuius Papa, verus Antichriſtus, caput eſſet. Sed ita, inquit, eueniet, quemadmodum apud Matthæum ſcriptum eſt, Vt omnis plantatio, quam non plantauerit Pater cæleſtis, euellatur.* Matth. 6 *Tum procurator ex eo quæſiuit, quando id futurum eſſet. Tum, inquit Martinus, cùm filius perditionis, qui in ſanctuario Dei ſedet, reuelatus fuerit, quemadmodũ Diuus Paulus admonuit. Sed date mihi Biblia, & ego oſtendam vobis. Satis quidem eſt hodie, inquit procurator: cras tibi doctores adducentur, qui aliter tibi reſpondebunt, Bibliáque & Miſſale adferent. Poſtridie igitur magna turba monachorum, Franciſcanorum, Dominicanorum, ſacerdotum, cum aliquot eius Parlamenti conſiliarijs, ad eum in carcerem conuenit. Tum procurator, & fidei inquiſitor, eum hoc modo interrogarunt, Age, víſne aliquid amplius dicere præter ea quæ dixiſti? Ego, inquit ille, neſcio quid ex me velitis quærere. Tum inquiſitor, vt omnium audaciſſimus, eum interrogare ita cœpit: In quem tu credis? Ego, inquit Martinus, credo in Deum patrem per Chriſtum Ieſum, ſicut continetur in ſymbolo Apoſtolorum, nec aliam fidem habeo. Inquiſitor ex eo iterum quæſiuit, quo modo ipſe oraret Dominum, Eo, inquit ille, quo Saluator noſter nos orare docuit ac voluit: Pater noſter, qui es in cælis. Inquiſitor ira commotus, interrogando inſtare cœpit, Dicis ergo ſuffragia noſtræ matris ſanctæ eccleſiæ, nihil planè prodeſſe? Vos quidem, inquit ille, ita ſtatuitis & affirmatis. ſed hæc inuenta ſunt humana & diabolica, quæ cum ſuo capite atque autho-*

Diſputatio inita cum Martino.

re Papa corruent, quemadmodum in Apocalypſi ſcriptum eſt XVII, & XVIII, capitibus. quæ quidem lecta eadem hora, & à Martino expoſita fuerunt. Tum verò monachi ac ſacerdotes eo furore permoti atque agitati fuerunt, vt menſam pugnis percutientes, ac pileos in terram ſuos proijcientes dixerint, nihil amplius quærendum ac percontandũ ab eo eſſe, qui hæreticus damnatus eſſet. Si Prophetæ, inquit Martinus, & Chriſtus Ieſus ſaluator meus, Apoſtolíque ſunt hæretici, ego quoq; vnà cum his eſſe volo. neque enim vllã aliam doctrinam, quàm eorum teneo, nec tenere volo. Ita quatuor diebus continuis, quatuórque aut quinque dierum ſingulorum horis, de capitibus religionis, atque abuſibus eccleſiæ Romanæ diſputarunt. Poſtremò Martinus Miſſale ab illis petijt, vt eis oſtenderet inſignem abuſum in eo Canone, qui ita incipit, Te igitur: cùm Chriſtum iterum in carne ſua oſsibúſque, buccella panis incluſum, pro peccatis tum viuorum tũ mortuorũ offerunt. quod quidẽ, inquit, ridiculum planè, atque à veritate pietatéque in Chriſtum dominum, maximopere alienum. Etenim ſummus ille ſaluator Chriſtus Ieſus, in ſancta ſanctorum ſemel eſt ingreſſus, ſeipſúmque ſemel in cruce ita obtulit pro peccatis noſtris, vt puriſsimo ſanguine effuſo & Patri oblato, omnes ſordes ac maculas vitiorum peccatorúmque noſtrorum planè eluerit, nóſque ita expurgauerit. Nunc quidem contra verbum Dei ſacrificium illud renouare, atque ita repetere, non ſuperuacaneum ſolùm eſt, ſed etiã impium, cùm hoc modo vis illius ſacrificij aboleatur. Tũ rurſus monachi ac cæteri qui eis adhærebãt, magis inſanire cœperunt ac furere, terrã pedibus, menſam manibus ferientes, pugníſque pileos prehendentes ſuos, dicebant hominem eſſe hæreticũ diabolúmque habere, quòd Miſſam nollet credere. Itaque mandatum eſt cuſtodi, vt eum reduceret in carcerem, atque in turri quadam arctiſsimè incluſum perdiligenter aſſeruaret. Cùm ij qui conuenerant, vellent abire, inquiſitor eis conſilium dedit, quoniam homo extraneus miniméq; in Gallia notus eſſet, commodiſsimum eſſe, ſi in profluentem proiiceretur, ne populus eum loquentem audiret. periculum enim eſſe, ne ille gratia ſermonis ſui, homines deteriores quàm ipſe eſſet efficeret, ſi eũ audire poſſent. quare ſummum eius prouinciæ magiſtratum & conſilium ea de re conſideraturum

Inſaniunt impii œſtro veritatis agitati.

Canonis Miſſæ abuſus.

Miſſæ abominandum ſacrificium

Conſilium inquiſitoris vt clam tollatur Martinus.

deraturū. Biduo pòſt XXVI*.die Aprilis,anno* M.D.XXXVI*.hora noctis nona,Suppræfectus vrbis,quē Caſtellanū vocāt, cū carnifice reliquóque ſatellitio venit in carcerē cùm* Martinus *quieſceret,vt eum comprehenderēt. Quibus ille dicere cœpit, Quónam vos itis,amici? equidem intelligo ac perſpicio quid vos agere ſtatueritis, quòd me vultis proijcere in profluentem, ne vllus ex populo me videat. ſed* Deus *omnium inſpector vos facillimè aſpiciet.* Ego *quidē iam eo,vt cum eo perpetuò viuam,quem rogo vt eam vobis cognitionē impertiat,vt hoc veſtrum iniquiſſimum conſilium & factum cognoſcatis.* Eamus *igitur in nomine* Domini*: quoniā ei quidem ita placet.* Hæc *cùm eſſent dicta ſurrexit, ſéque à carnifice ligari paſſus eſt,vt ad ſuppliciū duceretur.* Diſcedens *verò è carcere,omnes captiuos* Deo *commendauit: quorum maior pars plorabāt,hi imprimis qui aliquam doctrinā & conſolationem ab eo acceperant. atque hi quidem vt animo bono magnóque eſſet, magnoperè eum hortabantur.* Cùm *autem is educeretur ex vrbe,pro magiſtratibus ac iudicibus, à quibus ita tractabatur,* Deum *orabat: atque eos qui ſequebantur eum, admonebat vt omnem ſimulachrorum cultum fugerent.* Ad *ripam fluminis quod* I*ſara nominatur quum veniſſet,eúmque carnifex in pede altero ligaſſet,verus hic ſeruus ac teſtis* Christi *rogauit Suppræfectum, vt tantiſper iuberet moram nectere carnificem, quoad ipſe pauca quædam locutus eſſet.* Id *quū ab illo impetraſſet,tum eos qui ipſum numero magno erāt ſequuti,docere cœpit atque exhortari,vt toto animo & ſtudio* Euangelium Domini *noſtri* Ieſu *Chriſti ſequerētur,illúdque diligēter legerent,cum ſalutis ſuæ cauſa in eo propoſitæ, tum etiam vt euitarent eos errores, abuſus,impietates,in quibus* Papa *ipſos cum ſumma ignorantia detineret. nam ſi vos eum,dicebat,ſequuti fueritis,præcipites in infernum ibitis. etenim quàm ſit eorum impia doctrina atque diſciplina,ex ratione vitæ quam in omni ſcelerum ac flagitiorum genere degunt, facilè poteſtis cognoſcere. Sequimini igitur potius Chriſtum* Dominum *& Saluatorem noſtrum, in quo vitam planè beatam, ſine vllo mortis periculo reperietis.* Hæc *& alia multa dixit vſque ad ſeſquihoræ ſpatium, cum ſumma admiratione eorum qui illum ſequuti,*

Conſtantia Martini.

Inſignis & poſtrema Martini exhortatio.

quaſi attoniti audiebant. Tanta erat orationis eius gratia & ſapientia, vt maxima eorum pars quum tam indignum tanti viri caſum cernerent, amariſsimè deflerent. Sed impius carnifex tædio affectus tam longæ expectationis, qui potum vini vehementius quàm paſtum verbi Dei ſalutarem appetebat, eum loquendi finem facere, magna cum inhumanitate iuſsit. Tum Martinus poſitis ad oram fluminis genibus Deum precatus eſt, petens ab eo veniam omnium peccatorum ſuorum, memorans mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti ad miſericordiam ipſius implorandam & impetrandam. Denique hæc poſtrema eius fuit vox, Ego, Domine Ieſu, ſpiritum meum tibi commendo. Statim carnifex exiguum funem collo eius illigauit, quem paruo baculo tandiu contorſit, quoad ille in terram corruerit. Tum carnifex eum in flumen impulit atque deiecit, alterum eius pedem vinctum tenens: donec eum nihil amplius moueri planè perſpexit. Tum verò funem præcidit, corpúſque decurſui fluminis permiſit. Atque hic quidem exitus fuit Martini, veriſsimi & conſtantiſsimi teſtis Ieſu Chriſti.

IOANNES FRITHVS ET ANDREAS HEVVETVS, Angli.

M. D. XXXIII.

AB iis, quæ ſuperiori libro diximus, wicleui temporibus, ſi quis recenſere vellet quot Chriſti martyres Anglia dederit, magnum opus conficeret, etiamſi obiter tantùm recenſendis eorum nominibus inſiſteret, adeò profuerunt patriæ wicleui viri optimi exilia, carceres, denique etiam combuſta oſſa anno M.CCCC.XXVIII. qui fuerat ab eius morte quadrageſimus primus, Martino V. pontifice Rom. ac Senenſi concilio iubente. Nos tamen, vt cœpimus, eos potiſsimùm huic catalogo aſcribendos duximus, quorum monimenta extant, quorúmque minimè obſcura fama eſt. Occurrit itaque hac anni ſerie notandus Ioannes Frithus Londini natus, iuuenis ingenio magnus & Latinè & Græcè inſigniter doctus. Hunc vt teſtatur Balæus centuria octaua Scriptorum Britanniæ, Cardinalis Eboracenſis Thomas wolſius, ob raras ingenij dotes à collegio Regio, quod eſt Cantabrigiæ, ad ſuum nouum in vrbe Oxonienſi collegium pellexerat, vt eſſet

Wicleui oſſa xli. anno poſt ipſius mortẽ exuſta.

ſet

ſet ei ornamento, in eóque diſciplinas profiteretur liberales. Quam ſanè prouinciam iuuenili illa ætate, ſumma cum laude & omnium admiratione obiuit. Hunc poſtmodùm Gulielmus Tyndalus illius ætatis mirificus Euangelij præco, de quo mox ſuo loco (vtî martyrij coronam accepit dicturi ſumus) ad ſe aduocans, hortabatur vt aduerſus Iudaicas ineptias & Papiſticas ſuperſtitiones, Chriſtum Ieſum doceret atque in miniſterij partem ſuccederet. paruit vocanti Frithus: vnáque promouit Euangelij negotium aduerſus impuram illam meretricis Romæ doctrinam, ac fermentum pluſquam Phariſaicum. Iohannes Friſcherus epiſcopus Roffenſis & Thomas Morus, duo fulmina belli Papalis, quorum hebetes oculi quum ad tantam Euangelij lucem caligarent, nec quicquam vana eorum coaxatio proficeret: non deſinebant tamen eam perſequi, atque omnem authoritatem ad opprimendos veros Chriſti ſeruos interponere. Dixerat poſtremò hic Frithus, Tranſubſtantiationē in ſacris literis nō inueniri, ſed nouū fuiſſe Papæ decretū ex Sathanæ officina deprōptū. itē, Poſt mortem nullum reſtare Purgatorij locū. ac multa alia ex ipſa veritatis luce petita conſtanter aſſeuerabat. Itaque non defuerunt graues Euāgelij hoſtes qui exitium huic ſancto martyri procurarent. Atque in carcerem coniectus quum ea ex ſacris literis inuicta conſtantia tueretur, tandem à Londinenſi, Lincolnienſi ac wintonienſi pſeudoepiſcopis, qui cum duobus illis conſpirauerant, damnatus fuit. Conſtans itaque hic Chriſti Martyr cum ſocio Andrea Heuueto, Londini in foro ferrario crematus eſt die XXII. Iulij, M.D.XXXIII. qui illi ætatis erat annus XXVI. Multa adhuc extant eb eo ſcripta, quæ pectus prorſus Chriſtianum & ſpirant & referunt.

Roffenſis & Morus acerrimi hypocritarū patroni.

ALEXANDER CANVS, alioqui *vulgò Laurentius Cruceus appellatus.*

Quanta vis ſit miſericordię Dei in electos ſuos vel hinc liquet, quòd extremis illis temporibus quibus vix reſpirare cœperat Euangelium, Alexandrum hunc ex luſtrorum monachalium faucibus ereptum, & cęleſti quodam inſtinctu concitatum, Euangelicę veritatis ſuę grauiſsimum teſtem eſſe voluerit. Quod eò quidē videri poſsit illuſtrius, quoniā & monachus fuit. & in ruinis illis primoribus Chriſtianæ Reipublicæ iacuit: & in eam incidit tempeſtatem, quæ non modò verbi Dei prædicandi, ſed ne cogitatione percipiendi quidem animum, facultatem quidem certè daret. Et tamen in hac ipſa vel acerbitate rerum, vel iniquitate temporum quàm & animoſè depugnarit, & iuſtū ex inimicorū dolore triūphū victor retulerit, ex ipſo

hiſtoriæ commentario, Lector, vides.

M. D. XXXIIII. Memorabile nobis exemplũ Alexander Canus Avrincenſis, conſtãtiæ ſuæ reliquit. Is enim eiurata Dominicaliũ familia, in qua annos aliquot antea vixerat, locũ quærẽs vbi profligata ſuperſtitione regnare cœpiſſet Euangeliũ, eóq; nomine ad Allobroges profectus, & annos aliquot in comitatu Neocomenſi cõmoratus, venit Geneuã, quo in loco Guilielmus Farellus cum alijs nonnullis fidelibus Dei miniſtris Euangeliũ verè profiteri cœperat, maximo motu ac tumultu Canonicorũ, Presbyterorũ & Monachorũ qui tum ibi ſummã rerum omnium poteſtatẽ gerebant. Quorum omniũ inſectatione cõmotus potiſſimùm Alexander, vrbe cedere, eóq; modo ſaluti ſuæ conſulere cogitur. Itaq; profectus per Seguſianos in Galliã, venit Caſtilionẽ Ducatus Borboniorum oppidũ, indéq; Matiſconũ, tandem Lugdunũ. quibus omnibus locis iter faciẽs, Euãgelij doctrinã ſpargebat animo maximo: eóque tanto, vt neq; rem vllã ſuam, neq; ſanè vitã reſpicere videretur. Lugduni quidẽ fideles omnes qui tũ aderãt, hortatus ſæpe fertur maxima cõtentione animi atq; verborũ, Chriſtianíſq; Cerealibus ac item poſtridie concionẽ habuiſſe frequẽtibus auditoribus quibuſdam aurificibus, qui Lugduni tũ habitãtes ei negotio non intereſſent tãtùm, ſed etiã homini præſtò ſemper exiſterent. Vix autẽ ibi diutius egerat, cùm Præfecti iudiciorum, illius eccleſiæ facti certiores ipſum comprehendunt; cõprehenſum è veſtigio pòſt morte mulctandũ cenſent. prouocat Alexander: Lutetiã adducitur: ſæpius ad quæſtionẽ abripitur impetu tanto, vt effracto demũ crure altero exclamaret, ô Deus! poſtquam iſtorũ animi miſericordia moueri nequeũt, at reſpexeris ipſe me Deus miſericors. Nec deſunt qui teſtentur gemebũda ac lamentabili voce dixiſſe quoq; illum, Num quis Gamaliel tandẽ, qui mitigãdæ tantæ crudelitatis atq; ſæuitiæ locũ apud iſtos quærat? Sanè tantã támq; excellentẽ ſanctiſſimi viri in omni genere patientiã & æquabilitatẽ animi quũ præſentes omnes admirabãtur; tum quidẽ vnus propter eximiam eius eruditionẽ & authoritatẽ valde gratioſus, Nũ, inquit, ſat hactenus in miſerũ hũc ſæuitũ eſt? nũ cruciatuũ iſtorũ plus ſatis adhibitũ? Ego quidẽ ipſe non video quid ex eo præterea expectare, quorſum pergere debeatis. Horũ honore verborum quieuit tormentũ; quòd idcirco fuerat iteratum ſæpius, vt indices exprimerentur. Decuria tota Pariſienſis

ſienſis admirabili viri perſeuerantia ſtupens atq; cõmota, martyriſque conturbandi locum vndique & occaſionem captans, ſiſti iudicio iubet: præſentem iudicat præter morem atque legem, qua (vt nunc quidem eſt) cauebatur, reos omnes quibus mortis ſupplicium irrogaretur, ad phylaciſtam reijci oportere. Alexãder autẽ audita de ſe palàm dicta ſententia, maiorem adhuc quàm vnquam antea, fortitudinem animi præ ſe ferre videbatur. Breuiter, infulis omnibus ſacerdotalibus ritu Papiſtico Alexander *exauguratur: ſilentium facit. Verebatur nimirum ne ſi multus eſſet in ſermone, quemadmodum ei fuerat indictum, lingua ſibi præcideretur.* Execrata *linguarum exputandarum inuentio hoc primùm anno inuehi & in conſuetudinem induci cœperat.* Ac *etſi ne verbum ille quidem, tamen & geſtu & vultu, & interiecta plerunque ſubriſione facilè quàm parui ceremonias huiuſcemodi penderet, populo declarabat. Sannonis habitu veſtitus exclamat,* Proh *tuam, ô* Deus, *fidem! mihíne maiorem honorem haberi potuiſſe, quàm inſigne mihi hodie deferri ei ſimile, quod quondam apud* Herodem Filius *tuus vnicus accepit?* Ad *locum igitur ſupplicio delectum,* Malbertinam *aream, plauſtro delatus, populum ad* Chriſtum *agnoſcendum, & ad pœnitentiam hortatur. circunſtantium* Dominicanorum *tricis enectus,* Quid? *méne, inquit, eô adigere, vt ipſum eiurem Chriſtum, ſceleſti, vultis?* Faceſſite *impoſtores.* Poſtea *ad* Ioannem Morinum *Comitiorum quæſitorem conuerſus, petijt vt ſibi cum populo pauca quædam agere liceret.* Morinus *id velle quidem ſe, dicere; quod ipſum tamen ex* N. Molini *Baſilicæ præcentoris ac choragi (aderat enim) ſententia fieri poſſet.* Molinus, *id ipſum velle ſe quoque: at obſecrare, iam ſatis vt haberet tam multis eatenus egiſſe.* Il*lud autem eò ſubijciebat* Molinus, *quoniam ex quo plauſtrum conſcenderat* Alexander, *nunquã ferè populum erudire, & vt ſe colligeret aliquando cõmonere deſiiſſet; eôque ventũ eſſet, vt etiã exiſterẽt, qui quidem illum iniquiſſimo iudicio perfuſum & oppreſſum affirmarẽt.* Antequam *igitur ad patibulum raperetur impetrata liberè loquendi facultate, concionem habuit bene longam, ſed vibrãtem, ſed eruditam, ſapientiſſimiſq; ſententijs, & grauibus verbis ornatã atq; perpolitã: qua cõcione vir conſtans & ſapiẽs fidei ſuæ totius, ac imprimis* Cœnæ

Domini noſtri Ieſu Chriſti, rationem expoſuit tanto ſtudio, tanta contentione, vt pleríque qui tum fortè ibi aderant, ipſúmque aliâs audiuerant tonantem, nunquam illum neque tam eleganter, neque ſanè feliciter ſibi viſum eſſe dicere faterentur. Porrò qui ſermonem exceptũ literarum monimentis mandauerũt, illi quidem hanc ſeriem eius perpetuationémque tradiderunt.

Clariſsimi viri, lectiſs.q. fœminæ, qui quæq; omnes in hũc locũ cõueniſtis vt ſuppliciũ miſerè damnati hominis ſpectaretis, intelligite iuſtè id effectum quidem, ſi communes hominum offenſiones conſideremus; at ſi legem & conſuetudinem hominum, inde maximè profectũ eſſe, quòd cùm de multis ad ſalutem hominum pertinentibus rebus, tũ verò de cœna Domini nonnihil attulerim aſſeruerímqne præter popularem hominum opinionem. Quam Cœnam, inquam, Dominus noſter Ieſus Chriſtus inſtituit pridie quàm pro ſalute mortalibus reſtituenda ad mortem (& quidẽ crucis) proficiſceretur, vt eoſdem vniuerſos Deo Patri reconciliatos, arrogandos in filios eius, ſuóſque cohæredes inſtituendos, & natalibus quaſi reſtituendos curaret. Id quod eſt ipſe morte propria cumulatiſsimè ſine dubitatione conſecutus. Cuius rei contemplatione & memoria ſempiterna Cœnam inſtituit: Apoſtolóſque docuit, hæc quotieſcunque facerent, in ſui commemorationem eſſe facturos. Atque hoc illud eſt quod ipſe quoque vult Paulus, Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Hoc autem dicebat Chriſtus, panem diſtribuens: vúltque vt accipientes illum panem, tanquam monimentum & ſignum mortis ſuæ, mortem eandem ſuam annuntiemus, & in eadem charitate vniuerſi voluntatéque viuamus. Itaque probare nos ipſi debemus, antequam ad menſam illam ſanctiſsimam accedamus: nẽpe fidem integrã & perennem habere debemus, próq; nobis Chriſtũ mortuũ eſſe ducere. Nã aliter, ſumptum indignè tantũ panẽ in cõdemnationem noſtrã conuerteremus, vt inquit idem Paulus: ſic enim ille, Probet ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Quæ omnia cùm ita mihi nota putarem, vt de iiſdem meo iure quodam mihi viderer aliquid poſſe pronuntiare, ſanè tenui, panem illum exhibitum nobis eſſe tanquam ſignum ac ſymbolum mortis Domini noſtri Ieſu

Chriſti

Chriſti : non autem in illo veram Chriſti perſonam atque corpus exiſtere putaui. Reliquas res, de quibus accuſor, ad ipſius Dei optimi max. iudicium defero. quem vnum, obſecro, precemur vt mentibus omnium Chriſtianorum lumina ſua præferat, vt & verbum eius purè perſpicuéque nuntietur, & Spiritu ſancto ſuo Eccleſia illuſtretur. iacuit enim perdiu nobis ipſe Ieſus Chriſtus. Ad extremum autem, ô viri, peto etiam atque etiam à vobis ea charitate, cuius in Chriſto, vinculo coniuncti ſumus, Deum oretis vt ſicut eius Filius Ieſus Chriſtus pro me mortuus eſt: ita etiam ego pari pro illo conſtantia mori hîc hodie poſsim. mox, Eamus, inquit. Itaque orandi munere perfunctus, ſublatis in cælum oculis, medióque rogo exiſtens, Rogemus, inquit, Chriſtum vt noſtrî miſereri, & ad finem vſque perſeuerantem animum meum ſuſcipere dignetur. O Redemptor, miſerere mei! ac tũ deniq; vitæ diem extremum morte confecit.

Porrò ſenatuſconſulto conſtitutum erat vt erumpente ſenſim igne, ſicut initiò poſuimus, exureretur. Ac cùm & reflaret ventus, & martyre ipſo trochlea ſuſpenſo, diſiectus ignis huc illuc euaneſcere potius, quàm ferri ſublimè rapíq; videretur, lictor fune ſucciſo, cõfoſſum harpaginibus, & faſcibus virgultorum oppreſſum interemit, ſpectantium hominum maximo luctu & fletu, martyris longè ſanè magis innocentiam, quàm vllam aut humanitatem, aut affectum animi leuiorem aliquem innuente. Quibus omnibus ita confectis rebus, erant, vel monachi, qui dicerent, Si hic ſaluus nõ eſſet, neminem ſaluum fore mortalem. Alij verò diſcedentes percutiebant pectus, dicebántque grauem illi factam iniuriam, qui totus in Dei ſolius commemoratione fuiſſet. Alij denique, legi ſuſtinendæ ſuæ pertinaciter immortuum: mirúmque ſibi videri, iſtiuſmodi viros quotidie paſsim, dum legis illius ſuæ conſcientiam ipſi vitæ, nedũ rebus omnibus humanis anteponũt, adeò fideliter, adeò cõſtanter ad ignẽ ruere voluntarium. Atque hæ quidem erant vna de re ſingulorũ hominum variæ diſcrepantésque ſententiæ.

Atnus publice Lutetiç affixorum Programmatum & Inſcriptorum nominatns.

Quo tempore, concionante ferè tum primùm fidelisſimo Doctore Martino Luthero, prodeuntéque ſenſim in lucem & aciem Euangelio, præſtigiæ Papiſtarum detegi cœperunt, erupit impetu maximo Sathan, irrupitque diu quidem atque multum in gregem Domini noſtri Ieſu Chriſti paſsim, ſed anno potisſimùm milleſi-

mo ſupra quingētos triginta quatuor Lutetię Pariſiorũ. Vnde quoque progrãmatũ & Inſcriptorum annus in Gallia eſt prouerbiali quaſi genere dicēdi nominatus. Eorũ autem qui tum cęterorum omnium ampliſsimè fideliſs. q. vitam vouiſſent, aliquando tandem inuentã planè, & in lucem hic nunc primum (vt quidē voluimus) editã hiſtoriã damus.

ANni 1534. *tempus cum ad varios rerum & ancipites euentus pleríſque in locis, tum* Lutetiæ *maximè inſigne & fatale fuit.* Nam *cum* Gerardus Ruffus Margaritæ Franciſci Galliæ Regis *ſororis,* Reginæ Nauarræ *auſpicio, &* Couraldus, *&* Berthaudus, *alíique clariß. viri quidam ita demùm* Euangelij *veritatem enuntiarent, vt tum primùm illuxiſſe* Lutetiæ *verbum* Domini *videretur;* Euangelij *perduelles* Sorboniſtæ *quum horum hominum ſplendorem in dicendo, & concurrentis illô populi celebritatē & frequentiã animaduerterent, expugnauerunt vt illis ſuggeſtus interdiceretur, grauiſſimo dolore eorum qui ex huiuſmodi concionibus plurimùm ſe conſecutos eſſe arbitrabantur.* Illi *tanta iniuria* Reipub. *commoti* Chriſtianæ, *concionem in priuatam & domeſticam docendi rationem æquali ferè ſucceſſu profectúque conuerterunt. quod ipſum quoque pertæſi hoſtes iurati veritatis, rurſum obtinuerunt, vt de concionibus interdictũ etiam ad domeſticam* Euangelij *profitendi & in præcepta digerendi conſuetudinem indicta graui mulcta pertinere putaretur.* Quo *nomine* Gerardus *ipſe comprehenſus,* Couraldus *in cuſtodiam pontificiam traditus fuit.* Porrò *fideles deſtituti concionibus, defecti doctoribus, in luctu & ſqualore verſabantur.* Vnde *impetu quodam animi præcipiti commoti magis quàm vſi cogitatione nõnulli, operæpretium cēſuerunt eſſe, rem ad* Allobroges *deferre; ídque ſequi potiſſimùm, quod optimum interea factu putarent.* Itaque Feretum *quendam famulum tum pharmacopolæ* Franciſci Regis, *ad eam expeditionem deligunt, delectum expediunt: qui* Neocomum *profectus ſub id ferè tempus cùm* Gulielmus Farellus Euangelium *populariter auſpicatò* Geneuæ *profiteri cœpiſſet, progrãmata quædam in* Miſſæ *deliria, & rituum huiuſmodi papiſticorum ludibria characterib⁹ excudi curauit.* Quibus *inſcriptionibus* Lutetiam *deportatis, deductíſque in deliberationem proferríne eas, an omnino comprimi oporteret,* Couraldus *ipſe quidem minimè proferri cenſebat oportere. hinc enim & motum maximum populi fore; & huius totius facinoris inuidiam in odium atque caput fidelium hominum redundaturam eſſe.* Ad extre-

mum

num autem placuit optimis quidem illis & ſtudioſis hominibus, at eruditioribus, vſúque rerũ minus quàm illa tēpora poſtularent eruditis, vt non modò perferrentur, ſed etiam compitatim affigerētur. E-*rãt ea programmata libellíque illi ſtylo confecti vibrante quodam & incitato: inque potiſsimùm deteſtabilem illam beſtiam,* Miſſam *inquã, turbinem & funus ſacroſanctæ* Cœnæ Domini *noſtri* Ieſu Chriſti, *impetu rapidiſsimo ferebãtur. Spargũtur igitur in vulgus partim illi libelli momentò* Lutetiæ *menſe* Octo. *partim, etiam per compita paſſim, ac in ipſo oſtio* Baſilicani *cubiculi affiguntur.* Quod cum Franciſcus Rex *intellexiſſet, iram oculis & ore vomens, vel eos qui tenuiſſimam aliquam in ſuſpicionem incidiſſent, nulla cuiuſquam habita ratione, comprehendi iuſsit: cuius edictum tanta rerum omnium conſecuta fuit perturbatio, vt maiorem patrum noſtrorum memoria fuiſſe conſtaret nullam. Suppræfectus* Comitiorum Morinus *huc illuc concurſans in domos atque gymnaſia penetrat ac perrumpit: neque, dum nemini parcit omnino, perſonarum rationem habet neque locorũ.* In *hac rerum conuerſione ſumma cùm plerique luctuoſè comprehenduntur, inflammámque conijciuntur, tũ* Simon *quidam aurifex, idémque* Re-*gi à ſacello, ipſi* Regi *propter ſingularem eius canendi artem vocíſque ſuauitatem vehementer ſanè charus & dilectus*. At *eorum omnium qui illo tempore conſtantiſsimè fortiſsiméque pugnantes pro* Domini *noſtri* Ieſu *Chriſti dignitate decubuerunt, hi nimirum ſunt:*

BARTHELOTVS MILONVS *quidem in primis; qui vt erat, ita* Paralyticus *appellabatur, iuuenis ſumma mēmbrorum omnium debilitate, excepta lingua & brachijs, captus atque oppreſſus, tanto ſpiritus feruore & pietatis ſtudio amoréque accenſus fuit, vt nullum tempus inſtituendi ac monendi vnumquenque, & amplificandi gloriam* Dei *prætermittētem, viuum in platea* Greuenſi, *paruo lentóque igni crudeliter vſtulandum curauerunt.*

IOANNES *à* BVRGO *mercator* Pariſienſis, *cuius domus* Inſigne *equi nigri habebat, propter eandem cauſam religionis reſtituendæ, in eadem vrbe apud* Hallas, *viuus comburitur.*

NICOLAVS VALLETONVS, *Quæſtor ærarius apud* Nannetes Brittonum, *in eadem cauſa* Euangelij *ac reli-*

gionis deprehenſus, ad crucem du Tiroir eandem pœnam perpeſſus eſt, & viuus ibidem Lutetiæ crematus.

HENRICVS CVBERONENSIS eandẽ in pœnam fuit vocatus, faber cæmentarius, cui etiam lingua fuit perforata, & ad alteram genam clauo ferreo alligata.

STEPHANI quoq; FORGEI non minus etiã beata atque ſumma cum beneuolentia & charitate laudéque Dei vſurpanda eſt memoria. Is natione Tornacenſis erat: ac Lutetiæ agens, mercaturámque ſumma cum exiſtimatione exercẽs, in eãdem tẽporis inuidiã offenſionémq; adductus, in cœmeterio S. Ioã. eaſdẽ ignis flammas perpeſſus morte ſua teſtimonium Euangelij, maxima cum pietate, conſtantia, animiq; æquitate obſignauit.

N. QVOQVILLARDVS Veſontinus.

VEſontione in comitatu Burgundiæ fuit quidam, Quoquillardus nominatus, qui confeſſione piæ doctrinæ præclarè edita, primùm de gradu ſacerdotali iuridicialiter eraſus, deinde ad ſupplicium adductus mortem in ea vrbe æquo magnóque animo pertulit, atque eo teſtimonio Euãgeliũ gloriæ Dei illuſtrauit, anno eodẽ M. D. XXXIIII.

Atrebatenſes tres pro Euangelio paſſi.

ANni eiuſdem menſe Aprili in vrbe Atrebatenſi, capitis damnati pro eadem Euangelij doctrina & cauſa religionis, mortis ſupplicio affecti fuerunt, Nicolaus Scriba cognominatus, in quodam Arthesiæ loco natus, non procul à pago Paſo in Arthesia. Item Ioan. à Piſis, ipſe Atrebas, atque Stephanus Burletus, ſartor veſtiarius natus Beurici viculo in diœceſi Tornacenſi.

MARIA BECAVDELLA

Les Eſſars apud Pictones.

MAria Becaudella, cognomento Gaborita, Eſſaris nata in Pictonibus, ex ditione comitis Fontenani, in vrbe Rochella apud quendam patremfamilias, cui ſeruiebat, in pietate religionéq; Chriſtiana fuit inſtituta. deinde Eſſaros profecta, vt ibi commoraretur cùm Franciſcanum quendã, verbum Dei non purè integréque annuntiantem audiuiſſet, certiſſimis Scripturæ teſtimonijs eum redarguit atque admonuit. Quare commotus Franciſcanus, egit vt illa pluribus quàm decem teſtibus adhibitis, eadem verba repeteret. quæ quidem

dem illa minimè negauit: ſed in pura & ſancta fidei ſuæ ac veritatis confeſsione cõſtanter perſeuerauit grauiſsimũ Dei *iudiciũ ei denuntians.* Itaq; Fontenani *condemnata vt igni cremaretur, eáque ſententia authoritate ſummæ curiæ* Pariſiẽſis *confirmata, mortẽ eam eximia quadam magnitudine animi potius virilis quàm muliebris pertulit.*

PETRVS GAVDET.

PEtrus Gaudetus *è* Valligalienſi *pago, non longè à* S. Clodoueo *prope* Lutetiam *ortus, poſtquam inſtitutum ordinémque eorum profeſſus eſſet qui equites* Rhodienſes *appellantur,* Geneuam *in eccleſiam* Dei *cum vxore ſua ſe contulit, anno* M.D.XXXIIII. Poſt *annum circiter dimidium, quidam eius auunculus eques* Rhodienſis, *commendator* Compeſiarum, *acerrimus* Euangelij *inimicus, quum eum* Geneua *doloſè ac fraudulenter euocaſſet,* XXIII. Iunij, *pridie eius diei qui* S. Ioanni *ſacer celebratur, comprehendendum curauit per homines proditores, qui in arce* Peneia *partes epiſcopi* Geneuenſis, *ex ea vrbe tum eiecti, tuebantur. Quum autem ea in arce quinque dies cum grauiſsimis tormentis & cruciatibus incluſus fuiſſet, ſemper cauſam* Euangelij *fortiter conſtantérque defendens, poſtea lento igni ſæpius repetito adeò crudeliter vſtulatus eſt, vt ex igni eductus atque in eundem reductus ac remiſſus fuerit.* Atque *in hoc quidem tam atroci ac horribili ſupplicij ac tormenti genere,* Deum *ſine vlla intermiſsione inuocauit, ipſóque ſecundo die ſpiritum reddidit, anno* M.D. XXXIIII. Inaudita immanitas

IOANNES CORNON.

ANno M.D.XXXV. *menſe* Maio, Matiſcone Euangelij *nomine fuit captus, atque in carcerem incluſus* Ioannes Cornonus, *ex ipſa regione* Matiſconenſi, *homo colonus, agris colendis deditus, in ipſa verbi* Dei *doctrina valde piè inſtitutus, ac bene exercitatus: quanuis nullas ſciret literas. Quum enim coram iudicibus productus eſſet, ea ſpiritus tum ſapientia tum conſtantia eis reſpondit, vt confuſi & attoniti huiuſmodi pœnam in eum conſtituerint, vt viuus combureretur.* A *qua ſententia is nullo modo vnquam prouocare voluit.* Itaque *tractus crate ad vltimum ſupplicium, inſigne morte ſua teſtimonium veritati dedit, ad finem menſis* Iunij, *anni* M.D.XXXV. M.D. XXXV.

CLAVDIVS PICTOR.

CLaudius Pictor, natus Lutetiæ in ſuburbano ſancti Marcelli, profeßione aurifex, eſt Geneuæ in eccleſia Dei annos circiter tres commoratus. Deinde Lutetiam reuertendi cepit conſilium, vt propinquos, parentès, amicóſque, gratiæ quam à Deo acceperat, participes faceret, eóſque in cognitione veritatis inſtitueret, ab illis traditus eſt Morino præfecto rerum capitalium. qui audita eius confeßione puræ Chriſtianæque doctrinæ plenißima, condemnauit eum vt viuus igni cremaretur. Curia parlamenti ſuprema, Morini ſententiam ſuo more corrigens, addidit etiam, vt ei lingua præcideretur. Cùm in plateam Malberti ad ſupplicium, eo in loco conſtitutum, duceretur, admirabilis eius fuit conſtantia & animi moderatio in vultu atque geſtu declarata, cùm probra, quibus homines eum ad ſupplicium euntem proſequebantur, æquo animo ac vultu alacri & hilari exciperet ac ferret. Eandem animi æquitatem atque alacritatē retinuit & declarauit in ipſo genere mortis ſuſcipiendo, quo viuus igni conſumptus eſt, anno M.D.LX.

STEPHANVS BRVNVS,
Reorterienſis, diœceſis Ebredunenſis.

STephani huius, quem meritò inter alios conſtantes ac fideles Chriſti martyres numerandum cenſemus, hiſtoria vel ob id admiranda magis omnibus accidere debet, quòd ipſe qui rei ruſticæ colendíſque agris toto vitæ tempore operam dederat, natus ſcilicet atque in Reorterio pago quodam Delphinatus, ſciētia veritatis omnes Ebredunenſium aſtutias confutarit, atque Archiepiſcopatus Ebreduni laruas facilè detraxerit, præſentíque animo hypocriſim ſacrificorum reprehenderit. Quanuis autem liberales artes in ſcholis non addidiciſſet vnquam, Gallicéque tantummodo legere & ſcribere noſſet, lectioni noui Teſtamenti magnoperè addictus, ex quo ſacrificorum errores deprehenderat: tamen quæ erat innata hominis ingenio dexteritas, quò certius omnes Papiſtarum tergiuerſationes & fallacias cognoſceret, ſummo labore tandem perfecit, vt conferendo aßiduè exemplar Gallici teſtamenti cum Latino, ipſe etiam Scripturæ teſtimonia Latinè

è & recitare & intelligere potuerit. Cæterùm cùm hæc lux lippitu-
lini multorum moleſtior eſſet, accidit vt anno milleſimo quingente-
imo trigeſimo octauo in carcerem Archiepiſcopi incluſus fuerit, vbi
primùm circunuentus aduerſariorum neſcio quibus techniis (quas ho-
mo & ſimplex, nec callidus admodum, parũ intellexit) formulam ab-
iurationis latinè ſcriptam recitauit. Verùm carcere illo liberatus vbi
fraus inimicorum ei ſuboleuit, re & verbis ſæpius animi dolorẽ teſta-
tus eſt, ſuæque carni ſuccenſuit, quòd tã propenſa fuiſſet ad defecti-
onem; ſibi quoque ipſe ſubinde ita minans, Me miſerum, haudquaquã
cadauer iſtud euadet, ſi me rurſum capi contingat, ſed periurij pœnas
dabit, ſpero.

Anno itaque M.D.XL. Brunus iterum in vincula coniectus Ebre-
duni fuit, perſequente eum Gaſparo Augerio Vapincenſi, redituum
Archiepiſcopi redemptore, qui bona Bruni publicanda atque in fiſcũ
redigenda, iam tota ſpe, animo & cogitatione deuorarat. Ille, inquam,
opera Inquiſitoris Franciſcani, cui Domicelli erat nomen, & alterius
cuiuſdã Vicarij nequitia vtẽs, omni ratione vitæ Stephani inſidias ſtru
xit.

Stephanus autẽ in carcere per aduerſarios laceſſitus ad palinodiã
canendam (vt prius imprudens fecerat) ne latum quidem vnguem eis
ceſſit, ſed minas & preces illorum præpoſteras fortiter contempſit.
Quum illi proponeretur, vxori adhuc iuueni, & quinque liberis pe-
nuriam fore, illo mortuo: Modò, inquit, liberis meis pabulum animi,
quod eſt Verbum Dei, concedatur, de pane corporis non ſum ſolici-
tus.

Menſe autem Iunio eiuſdem anni ductus ad Iudices vt ei ſententia
capitis pronuntiaretur, ſic eos intrepido animo eſt allocutus, Quid
agetis miſeri? mortiſne me damnabitis, qua mihi ex hac vita demigran
dum ſit? mors ſanè mihi terribilis non eſt, quum ex miſerijs ad be-
atam immortalitatem tranſiturus ſim. Ad locum ſupplicij Planuol
appellatum quum duceretur, plebem ad pietatis ſtudium hortatus
eſt, ibi vi & impetu venti flammam huc illuc abripientis ac deprimen-
tis, intactus ferè vnius horæ ſpatio ad palum ligatus ſtetit, adeo vt

vt noua ſarmenta & vaſa olei plena, conſumptis lignis, afferri neceſſe eſſet, quibus ignis adiuuari poſſet: nec tamen ita rectè comburi potuit quin ſaluus adhuc euadere poſſe videretur. Quo viſo carnifex fuſtem in hominis caput totis viribus impegit. Cui etiamnũ viuens dixit Stephanus, Cùm igni adiudicatus ſim, ecquid me vis baculis enecare velut canem? Tum carnifex præpilato baculo viſcera Bruni *traiecit, quem proſtratum in cineres redegit: atque eos poſtea in rupe collocatos ventis tradidit.* Magiſtratus *autem per præconẽ vetuit ne quis mentionem vllam mortis illius faceret, niſi hæreticus haberi vellet, eundémque caſum & exitium experiri.*

ROBERTVS BARNEVS.

Martyrium Roberti Barnei, qui Londini vitam profudit pro tuendo Ieſu Chriſti Euangelio.

ROBERTUS Barneus *doctor theologus anno* 1540 Londini *vſtulatus fuit.* Is *autem pro* Euangelij *doctrina aliquandiu ab* Anglia *exulauit: ſed cùm poſtea intellexiſſet* Henricum Regem *partem aliquam veræ pietatis & cognitionis veritatis deguſtauiſſe, domum reuerſus eſt.* Pòſt *autem aliquantò, anno ſcilicet* 1535, Rex *eum legatum conſtituit & miſit vnà cum* Edouardo Foxo Epiſcopo Herfurdẽſi *ad* Conuentum, *qui Smalcaldæ celebrabatur pro conciliandis religionis* Chriſtianæ *capitibus cũ proteſtãtibus* Germanis, *& pro fœdere cum eis feriendo.* Cùm *verò ſuſceptum munus expleuiſſent, ſeſe* wittembergam *contulerunt ad hybernandum.* Interea *temporis cum* Theologis *eius* Academiæ *de cauſa religionis contulerunt: imprimis verò id ſtuduerunt, vt approbationem repudij, quo* Rex Catharinam *vxorem dimiſerat, elicerent.* Quam *tamen* Theologi wittembergenſes *concedere omnino recuſarunt, literarum ſcilicet ſacrarum authoritate adducti.* Dum *hæc geruntur,* Rex Annam Boleniam *vxorem ſuam capite plecti iuſsit, quæ* Euangelio *fauebat, & veritatis doctrinam magnoperè promouebat.* Quæ *quidem res, magnas excitauit turbas & quo minus* Proteſtantes *ſocietatem cum eo coirent, obſtitit & impediuit.* Paucis *pòſt diebus, ab exiguo illo veræ religionis ſenſu* Rex *fœdè deficere cœpit ad* Papiſticam *doctrinã, quam ferè integram poſtea pertinaciter retinuit.* Nihilo *tamen ſecius* Robertus Barneus *conſtanter*

in ſententia perſeuerauit, nulláque in re à ſanctiſſima Filij Dei veritate dimoueri potuit. Quapropter comprehenſus eſt & in carcerem coniectus. Quoniam verò in propoſito ſuſceptáque Euangelij defenſione conſtanter permanebat, anno M.D.XL. viuus exuſtus eſt. In area ſupplicio mortis deſtinata prolixam edidit ſuæ fidei confeſſionem, & ſumma cùm libertate populum ad veræ pietatis ſtudium hortatus eſt. Duo demum alij pro tuenda eadem cauſa & pro eadem veritatis fideíque Chriſtianæ confeſſione aſſerenda, ſimul cum eo combuſti ſunt.

CONSTANTINVS NORTHMANVS.

ROthomagi, cuius vrbis ciues à Cæſare Aulerci ſunt appellati, fuit quidam Conſtantinus, qui anno M.D.XLII pro tuenda Euangelij doctrina, cum alijs tribus confeſſionis Chriſtianæ ſocijs & comitibus, inſignem martyrij laudem tulit. Is quum plauſtro, quo lutum & quiſquiliæ vrbis euehi ſolent, ad vltimum ſupplicium duceretur, lætabundus ita loquutus dicitur, Nos quidem nunc excrementa mundi ac reiectamenta ſumus, teterrimi coram hominibus fœtoris: ſed lætemur & gaudeamus, quoniam odor mortis noſtræ ſuauiſſimus & pretioſiſſimus coram Deo eſt futurus.

IOANNES DV BEC.

IOannes Becus, Eſſaris natus prope Sedanam in Bria, quum propter doctrinam Euangelij diu incluſus in carcere multa grauia & acerba perpeſſus eſſet, ſemper tamen & conſtanter confeſſonem Chriſtianæ fidei antea editam retinuit, quum ad iudices productus, tum verò publicè eo tempore quo de gradu Papalis ſacerdotij motus eſt. Poſtremò Trecis in vrbe Campaniæ maxima, viuus eſt combuſtus menſe Iunio, anni M.D.XLIII.

FRANCISCVS BRIBARD.

FRanciſcus Bribardus, Clemonenſis in Solognia, qui Secretarius Cardinalis Bellaij dicebatur, poſt linguam exciſam, mortem pro confeſſione Euangelij fortiter conſtantérque pertulit.

PETRVS BRVLI.

MAgiſter Petrus Brulius, natione Lotharingus, Argentinæ miniſter eccleſiæ Gallicanæ. Hunc fideles homines inferioris Ger-

maniæ ac ditionis Imperatoris rogarunt, vt vrbes Flãdriæ, Hannoniæ, Artheſiæq́ue inuiſeret, in quibus multi erant pij Deúmque metuentes, qui fame cibi cæleſtis laborabant, & verbi Dei conſolationem magnoperè deſiderabant. Itaque illud iter pietatis plenum ſuſcepit Brulius, ex ſentẽtia & permiſſu eccleſiæ, cui tum ſeruiebat, eóque eſt profectus cum teſtimonio ſcripto Martini Buceri, qui eo tempore præcipuum eccleſiæ miniſterium Argentinæ ſuſtinebat. Cùm autem fideliter ac diligenter munus iniunctum obiuiſſet, atque vrbes, Vallencenas, Tornacum, Atrebates, eámque, quæ Inſula appellatur, inuiſiſſet, Tornacum poſtea reuerſus, tanto animi ſtudio verbum Dei ea in vrbe annuntiare cœpit, vt aliquando ianuis apertis pios homines doceret. Quamobrem magiſtratus eius ciuitatis certior factus, portas vrbis tribus propè diebus claudi iuſsit, ipſúmque Brulium diligentiſsimè cõquiri, præmio ei conſtituto, qui eum viuum aut mortuum tradidiſſet. Quare fideles magnoperè perculſi, cùm eum apud ſe aliquot dies occultaſſent, ac ſaluum cuperent emittere, in ſporta poſitum nocte per murum demiſerunt. Sed cùm iam in foſſam deſcendiſſet, lapis magnus è ſuperiore muro delapſus, tibiam ei fregit. Eò factum eſt, vt manè ibi deprehenſus ſit, & comprehenſum in arcem vrbis detulerint. Cùm autem eô deferretur, maximas Deo agebat gratias, cuius admirabili prouidentia retẽtus eſſet tum, cùm vellet effugere eam perſecutionem, quam ipſe ſua prædicatione excitaſſet. Is igitur quandiu fuit in carcere, officio ſemper functus eſt veri & conſtantis teſtis ac martyris, cùm priuatim, tum etiam apud magiſtratus, quibus Ieſum Chriſtum eiúſque Euangelium, non minus liberè & conſtanter, quàm integrè ac fideliter confeſſus eſt. Eo toto tempore, quo captiuus in carcere diu fuit, permulti eum inuiſebant: quidam ſtulta curioſitate, vt Germanicum prædicatorem captiuum viderent: alij improba cupiditate, vt illi reſiſterent, nonnulli meliore mente, ſtudio ac voluntate, vt cognitione Dei & doctrina Euangelij ab eo inſtituerentur. quibus ſumma cum gratia ſatisfaciebat. Vt autem ſtudio amicorum ſatisfaceret, confeſsionem fidei ſuæ editam conſcripſit, nomine vxoris eam ad omnes fideles mittens, quam nos conuerſam in Latinum ſermonem huic loco intexere voluimus.

Ieſus

EGo, chariſsima ſoror in Chriſto Ieſu, literas tuas legi, ad me per Margaritam miſſas, quæ animum meum vehementer affecerunt: proptercà quòd ex his facile perſpexi, te ac fratres omnes, de me maximoperè laborare. Quòd autem ad vincula mea pertinet, ſintne mihi ingrata & triſtia, an cum magna mea conſolatione ac lætitia coniūcta facilè tu intelligere poteris ab exemplo earum literarum, quas ad fratres meos, vnà mecum captos propter verbum Ieſu Chriſti, hiſce diebus miſi, ex quibus tu planè cognoſcere poteris, quid ego in meipſo ſēſerim, & quid alijs voluerim perſuadere, ac quemadmodum nihil poſtulem ab his ac pro his, quod in meipſo nolim præſtari. hoc autem (teſtis eſt Deus) vt Dominus noſter me in ſua protectione, atque in vera confeſsione veritatis cuſtodiat. Quanquam domeſticus quidem inimicus magnopere me affligit: tamen ſancti ſpiritus virtute conteretur. Nam Chriſtus Ieſus, in quo ego ſpem meam poſui, plus boni mihi præſtabit, quàm ego poſſem vlla cogitatione comprehendere. Pro illius honore ego me ſemper exponam, ſiue igni ſiue aquæ, aut alteri tormento, quod ab aduerſarijs excogitari poterit: huiuſcemodi tamen quod Deo placuerit. Reliquum eſt vt ad te ſcribam ea quæ ex me requiris, quemadmodum ego interrogatus fuerim, & tum iudicibus, tum doctoribus reſponderim. In quo quidem nimium longa eſſet oratio, ſi omnia, quæ ab illis ex me ſunt quæſita atque interrogata, aut à me eis reſponſa, vellem perſcribere, ne poſſem commodè quidem ea ad vos ſcribere. Neque exiſtimo te ea omnia quærere: ſed tantummodo ea & interrogata & reſponſa, quæ ad fidem doctrinámque Chriſtianam pertineant. de his igitur ſcribam. Ac primùm doctor Haſardus, monachus ſectæ Franciſcanæ XXVI. die Nouembris cùm adeſſet præfectus arcis Tornacenſis, & vicarius ſiue locum tenens, vt vocant, præfectorum ac iuratorum eius vrbis atque iuriſdictionis Imperatoris, me interrogauit quid de ſacramento altaris & Miſſa ſētirem. Cui ego reſpondi, fideles qui à miniſtro panem & vinum accipiebant, verè corpus & ſanguinē Domini noſtri Ieſu Chriſti accipere, non ventre, aut ore, ſed mente, animo, corde: idque beneficio Spiritus, in eis fidem excitantis & confirmantis, quæ promiſsiones ibi propoſitas amplectitur. harū prima eſt, Hoc eſt corpus meū, quod

Acta reſpōſionum Brulii.

De ſacramento.

pro vobis traditur. Altera, Hic *eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui in remiſsionem peccatorum effunditur. Quæſiuit idem doctor ex me,*

Tranſubſtantiatio.

ſi tranſubſtantiationi vllam fidem adhiberem. Cui reſpondi, me eam non credere, ſed panem manere panem, & vinum eodem modo ſuam naturam retinere. itaque Spiritũ ſanctum nominare panem & vinũ, etiam poſt Cœnam, atque ita me non vereri vt errarem, cùm ita loquerer, vt Scriptura ſancta conſueuiſſet.

Deinde quæſiuit, an cùm verba ſacramentalia à ſacerdote pronuntiata eſſent, ibi in altari verum corpus & ſanguinem Ieſu *Chriſti eſſe crederem.* Cui *reſpondi, me nullam aliam recipere conſecrationẽ, quàm eam quæ à miniſtro in* Cœna *celebranda adhibetur, cùm miniſter populo, qui eò conuenit, inſtitutionem* Ieſu Chriſti *recitat eo genere ſermonis, quod ab omnibus intelligatur, cum commemoratione mortis ac paſsionis* Ieſu *Chriſti, qua memoria tanti beneficij renouatur.* Eam *eſſe veram conſecrationem, quæ ex inſtituto* Domini *in* Cœna *fieri debeat.* Illum *verò obſcurum ac tacitum cum pane ſermonem atque obmurmurationem, non eſſe conſecrationem, ſed actionem huiuſmodi, quæ ad incantatores, exorciſtas & magos potius, quàm ad* Chriſtianos *pertineret.* Nam, *quemadmodum ſatis conſtat,* Chriſtus Cœnam *faciens, verba ſua ad* Apoſtolos *qui aderant, nõ ad panem & ad vinum dirigit.* Tum *quæſiuit ex me, quid de* Miſſa *ſentirem.* Ego *ei reſpondi,* Miſſam*, quemadmodum hodie quidem in eccleſia* Romana *dicitur, nullo modo eſſe* Cœnam Ieſu *Chriſti, ſed potius eius corruptionem, cum ſumma* Chriſti *iniuria, atque abolitione mortis ac paſsionis eius.*

De *adoratione verò quæ ibi fit, ego eis conceſsi, ipſos panem ac creaturam adorare.* In *quo cùm mihi reſpondiſſent,* Nos *igitur omnes ſumus idololatræ: ego ſtatim,* Vos *ergo, inquã, videtis in quanta mala vos ij conijciunt, qui vos à verbo* Dei *abducentes, ad ſomnia ſua audienda, & doctrinas hominum traducunt.* Multa *alia ea de re dicta fuerunt: ſed hæc ſunt præcipua.*

De purgatorio.

Poſtea *interrogatus fui de purgatorio, an crederem aliquem eſſe locum, in quem animæ ex hac vita deſcenderent, vt pœnã peccatis debitam luerent.* Ego *tum reſpondi, me non aliud purgatorium credere,*

quàm ſanguinem Ieſu Chriſti, neque aliam purgationem quærere. Tũ quæſiuit ex me, an crederem culpam ſimul & pœnam condonari. Cui reſpondi, vtramque Deum homini remittere, neque dimidiam gratiam facere: ſed cùm aliquid ignoſcit, ſimul & culpam & pœnam ignoſcere. Ex quo illa interrogatio eſt conſecuta, quid mihi videretur de tot egregijs Miſſis, precibus, aliiſque bonis operibus, quæ pro mortuis hominibus quotidie fierẽt. Dixi huiuſmodi opera cultus eſſe, ſine verbo Dei in eccleſia inſtitutos, eámque ob cauſam eſſe vanos atq; infructuoſos, atque etiam, quia ſine fide fierent, peccata eſſe. ſcriptum enim eſt 14. Roman. Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt.

Cùm autem mihi dixiſſent, omnes Sanctos qui antè fuerunt, & eadem pro mortuis egerunt, errauiſſe: reſpondi, omnes Sanctos ſuperiorum ætatũ, qui mortuis huiuſmodi officia ac iura tribuerunt, ignorantia & peccato implicatos fuiſſe. ita minimè mirum videri debere, ſi conſuetudines ſuo tempore receptas ſequuti fuerunt. In his quidem rebus me nolle eos à peccato eximere ac excuſare. De veneratione autem Sanctorum, quæſiuerunt ex me, quid de ea ſentirem. quibus ego reſpondi, nos melius non poſſe Sanctos honorare, quàm ſi fidem, quæ fuit in illis, ſequeremur: eodémque modo charitatem, patientiam, humilitatem, aliáſque eorum virtutes imitaremur, quibus illi Ieſum Chriſtum ſequuti ſunt & imitati. Nam in eo quidem tantummodo nobis ad imitationem proponi debent, in quo Chriſto domino conformes extiterunt, eiúſque exemplum ſequuti ſunt, ſicut monet Apoſtolus, Eſtote mei imitatores, ſicuti ego ſum Chriſti. Feſtos verò dies Sãctorum inſtituere ac celebrare, ieiunia vigilijs eorum indicere atque obire, imagines effingere, eiſque accendere candelas, hoc non eſt Sanctos honorare, ſed potius ex his idola facere, eóſque omni dedecore afficere. Hoc autem ita eſſe, illud facilè declarat, quòd illi in hac manentes vita, huiuſmodi cultus ſemper deteſtati fuerunt.

De veneratione Sanctorum.

Quæſiuerunt etiam ex me, quid mihi videretur de iiſdem Sanctis orandis atque inuocandis, eorúmque interceſſione apud Deum. Reſpõdi eam doctrinam non eſſe Dei, ſed potius blaſphemiam eius non ferendam. Hoc enim modò illis attribui, quod ad vnum Deum pertinet, qui ſolus res cognoſcit abſentes: quam poteſtatem ſanctis defunctis

Sancti an inuocãdi.

attribuunt, cùm credunt illos audire preces ipſorum, cùm eos orant, quaſi neceßitates ipſorum cognoſcerent. Præterea huiuſmodi doctrina cum Chriſti contumelia eſt coniuncta, qui vnus mediator, aduocatus, atque etiam interceſſor à Deo patre eſt conſtitutus. Atque hoc quidem de ijs, qui ex hac vita deceſſerunt, intelligendum puto. Cæteri verò, qui in ea remanſerunt, alij pro alijs orare poſſunt, & ſe mutuis precibus orationibúſque adiuuare.

Quæſtio de libero arbitrio.

Quæſtio verò de libero arbitrio minimè fuit prætermiſſa: in qua diligenter à me quæſitum eſt, quid de eo ſentirem. Reſpondi, vt ſermo de libero arbitrio pro dignitate rei haberi poßit, hominem pro diuerſo ac vario ipſius ſtatu, in quo verſatus eſt, variè conſiderandum eſſe. Primùm, credo hominem primum ad ſimilitudinem Dei atque imaginem creatum, habuiſſe libertatem tam ad bonum quàm ad malum, cúmque ſolum quæ eſſet vis & facultas liberi arbitrij cognouiſſe, quoad in integritate ſua permanſit. Sed homo miſer atque infelix, hoc Dei donum non diu retinuit, ſed ſuo peccato illud amiſit. neque is ſolùm, verumetiam ij omnes, qui ex naturali Adæ ſemine ſunt orti ac propagati, adeò vt nullam prorſus facultatem habeant, qua relicti in ſua natura, aliquid boni coram Deo facere poßint: ſed omnia in ipſis praua reperiuntur. Nunc quidem, vt quod verum eſt dicatur, nullus eſt ex filijs Adæ, qui vllam boni ſcintillam habeat, nec quidem poteſt vllum liberum arbitrium habere: omnes enim homines natura ſua currunt ad malum. Itaque Apoſtolus dicit animalem hominem non percipere quæ ſunt Dei, ea etiam ſtultitiam illi eſſe. Apud Oſeam Dominus ita inquit, O Iſrael, perditio tua ex te. Et alio loco dicit Apoſtolus, prudentiam carnis inimicam eſſe Deo. Hæc Spiritus teſtimonia ſatis oſtendunt nullum liberum arbitrium ad bene agendum, nunc eſſe in homine coram Deo. Dico autem nominatim coram Deo, propterea quòd homo multa egregia opera, ipſa ſpecie bona, coram hominibus facere poterit, vt parere legibus, ijs in rebus quæ extrinſecus præſtantur: ſed iudicio Dei huiuſmodi opera omnia nullius ſunt pretij, atque etiam peccata ſunt. Quæ autem hactenus dixi, intelligite de eo, qui Spiritu Dei regeneratus non eſt. Veniamus nunc ad hominem Chriſtianum, ſanguine Chriſti baptizatum, qui iã in noui-

tate

'ate vitæ ambulat. Huiuſmodi *homini* Chriſtus Ieſus *liberum arbitrium reſtituit, eiúſque voluntatem ad omnia bona opera reformat. Neque tamen id perfectè*. Nam *vt bonum opus plenè perfectéque præſtetur, nunquam in eo reperietur: ſed nouo ſubinde* Dei *auxilio indiget*. Hoc *enim* Apoſtolus *de ſe teſtatur*, Romanor. VII. *Velle quidem mihi adeſt, ſed perficere in meipſo non reperio*. Itaque *noſtrum liberum arbitrium, amplius non eſt in nobis, ſicut in primo fuit homine, qui bonum vt volebat, ita efficere ac præſtare poterat*. Atque *hic quidem defectus à corruptione naturæ noſtræ proficiſcitur, nõ ab imbecillitate vlla* Ieſu Chriſti *reſtauratoris*. Et *de libero quidem arbitrio hæc ſunt, quæ ego & ſentio & credo*.

Poſtea *de bonis operibus ita ex me quæſiuerunt*. Cùm *homo non habeat in ſeipſo facultatem præſtandi bonum quod vult, nulla igitur poteſt bona opera efficere*. Quibus *tum reſpondi, hominem quidem per ſe non poſſe, adiutum verò* Spiritu Dei, *bona opera &* Deo *grata poſſe facere*. Quòd *autem opera ſint bona, aut* Deo *accepta, id ex ipſius hominis natura aut facultate nõ exiſtere, ſed totum proficiſci à virtute & gratia Chriſti, eo in homine habitantis, eáque opera efficientis*. Dixi *illis idẽ in homine fieri, quod in arbore, quam prius oportet bonã eſſe, quàm fructum bonum adferat: in his etiam ipſum hominẽ agere, & cooperatorem eſſe eorum operum, quibus etiam vita æterna in* Scriptura *promittitur*. Bona opera.

Sequuta *deinde eſt quæſtio de* Iuſtificatione, *in qua reſpondi, nos fide iuſtificari, quemadmodum dicitur tertio ad* Romanos *capite*, Quomodo, *inquiunt, ſola fide? annon etiam bonis operibus & charitate iuſtificamur?* Quibus *ego reſpondi, nulla huiuſmodi opera, nec charitatem reperiri in vllo homine, qui non ſit iuſtificatus*. Quid, *inquiunt, non poterit homo, etiamſi in peccato mortali ſit, dare eleemoſinam propter honorem* Dei, *quem ſuper omnia diligit?* Non *inquam, nam peccator quidem aliquis pauperi bona ſua elargietur, ſed non tam cauſa honoris* Dei, *quem ſuper omnia diligat, quàm humano aliquo ſtudio permotus*. Nam *ſi* Deum *in primis diligeret, peccatum non ita placeret ei, veniámque à* Deo *peteret*. Ac *de bonis operibus vt ſuprà illis reſpondi*. Iuſtificatio fidei.

Quid ſit fides.

Tum quæſiuerunt ex me, quid ego nominarem Fidem, quæ ita ſit potens, vt ſola hominem iuſtificet. Quibus ego reſpondi, Fidem eſſe certam animi perſuaſionem, per Spiritum ſanctum factam de miſericordia Dei, eiúſque bona in nos voluntate, in Euangelio promiſſa & oblata. Hæ autem promiſsiones de amore ac beneuolentia Dei erga nos in Chriſto Ieſu filio eius exhibentur ac præſtantur. Hac fide nos ſtatuimus, ac perſuademus nobis, & ſentimus, Deum velle nobis peccata noſtra ignoſcere propter Filium ſuum, in quem nos credimus. Ea, inquiunt, non eſt definitio à Paulo poſita, Hebr. XI. Ego verò, inquam, in Diuo Paulo eam reperio.

Traditiones humanæ.

De traditionibus hominum interrogatus ab illis, ſi eas amplecterer an omnino aſpernarer: reſpondi, me eas approbare ac recipere vt bonas, quæ ad finem aliquem politicum & ciuilem referuntur: cæteras verò improbare ac repudiare: cuius generis ſunt, prohibitio coniugij facta ſacerdotibus ac monachis; item interdictum veſcendi carnibus certis diebus, aliæque quiſquiliæ, ac ceremoniæ huiuſmodi, quibus obligare volunt animas, etiam pœna peccati mortalis propoſita.

De imaginibus.

Poſtea de imaginibus interrogatus, an fas eſſet hominibus fidelibus eas habere: reſpõdi, quòd ad me quidem attineret, me nullas planè requirere, eáſque in templis Chriſtianorum minimè ferri debere. His enim ſimulachris, ipſa templa profanari, quæ dedicãda eſſent ad verbum Dei audiendum, ad miniſtranda ſacramenta, ad preces publicas faciendas, quarum rerum ſanctitas, imaginibus & ſimulachris anteponenda eſt. Demonſtrabam autem huiuſmodi aut ficta ſimulachra, aut pictas imagines, ſæpe ipſos homines à verbo Dei deuocare. Cæterum inquam, in ædibus priuatis admittuntur & ponuntur, vt res indifferentes, modò nulla idololatria adhibeatur. nam tum quidem ex domibus ſunt auferendæ. Veruntamen, quòd ad me attinet, cùm videam eas verbo Dei tam præciſè prohiberi, ego ſtatuo eas nullo modo admittẽdas, neque vllum poſſe earum vſum eſſe bonum. Nam cùm effictor effectórque imaginis maledictus eſt à Deo, tum etiam ipſa imago, quemadmodum ſatis perſpicitur ex Sapientiæ libro, capite III. XII. XIII, & XV.

Baptiſmus.

De Baptiſmo me etiam interrogarunt. in quo exiſtimo eos me aliquem

quem Anabaptiſtam eſſe atbitratos. Ego *autem reſpondi*, Baptiſ-*mum eſſe ſignum eius fœderis, quod* Deus *cum* Chriſtianis *inſtituit, teſtificatus ſe* D*eum noſtrum ac ſeminis noſtri eſſe velle: in quo etiam teſtificatur ſe noſtra nobis peccata remittere.* Hanc *autem* Dei *promiſsionem*, Baptiſmus *aquæ nobis confirmat.* Nam *ſicut aqua abluuntur corporis ſordes, ita maculæ animarum in* Baptiſmo *eluuntur ac tolluntur, idque virtute ſanguinis* Chriſti, *qui tũ operatione Spiritus ſancti nobis communicatur.* Præterea Baptiſmus *eſt ſignum aſsiduæ mortificationis, quæ in nobis eſſe debet.* Nam *quemadmodum aqua capiti iniicitur, ad momentum tamen temporis, non vt prorſus ſubmergamur: ita eadem mortem vitæ præcedentis ſignificat, vt vitam ſuſcipiamus nouam & degamus.* Ac Baptiſmus *quidem communicari debet omnibus, tum pueris ac infantibus, tum hominibus adultis, qui nomen Chriſti profiteri volunt.* Dico *autem homines ad grandiorem ætatem prouectos, qui in infantia pueritiáque baptizati non fuerunt.* Itaque *tunc cùm ad fidem veniunt* Chriſtianam, *baptiſandi ſunt.* Quod *ſi noluerint facere, habentes opportunitatem, vt contemptores ſanctorum* Dei *inſtitutorum, nunquam in regnum cælorum ingredientur.* In*fantes autem fidelium, quanuis non habeant fidẽ actu efficacẽ eius quod credendum eſt, propter ætatem: tamen in fide parentum, in* Baptiſmo *præſentandi ſunt. nam virtute promiſsionis* Dei, *eiúſque teſtificatione ad ipſum pertinent.* Quòd *autem ad infantes pertinet, qui ſine* Baptiſ*mo moriuntur, quorum quidem parentes ſunt fideles, aut alter eorum, credo eos ad* Deum *pertinere, neque in* Limbo *eſſe, quemadmodũ hactenus perſuaſum fuit.* Neque *enim* Deus *gratiam ſuam alligat ſacramento, vt ſine eo ſui eſſe non poſſint, modò infantes huiuſmodi ſint, vt ſacramentum accipere potuerint.*

De *votis autem quæſiuerunt ex me, an homo* Chriſtianus *vouere poſſet atque perpetuis rei alicuius votis ſe obſtringere.* Ego *reſpondi, hominem* Chriſtianum *poſſe vota nuncupare earum rerum, quas & gratas* Deo *eſſe certò ſcit, & in ſua eſſe poteſtate: non aliter.* Et *quoniam facilè cognoſcebam eos præcipuè de votis monaſticis quærere, reſpondi hominem non poſſe votum facere perpetuæ paupertatis aut obedientiæ, multò verò minus caſtitatis.* Quamobrem *eos*

Chriſtianus an vouere poſſit.

qui ita vouiſſent, veniam eorum votorum debere à Deo petere, vocatóſque ad rationem vitæ contrariam ei quam antè vouerant, poſſe eam ſuſcipere ſine vllo ſcrupulo conſcientiæ eius, quæ prioribus votis obſtricta & obligata videri poſſet. Verum quidem eſt, quòd ad tempus aliquod, harum rerum vota nuncupari ac fieri poſſunt, ſed non in perpetuum.

De confeſſione.

De Confeßione verò reſpondi, me debere tum corā Deo meo quotidie, atque omni loco, tum etiam coram hominibus recognoſcere miſerum peccatorem, qui quotidie damnationem mereatur, niſi eſſet gratia Dei, quæ nobis per Chriſtum impertitur. Ita delicta & peccata mea Deo confiteri debeo, eorúmque veniam ab eodem poſtulare. Huiuſmodi confeßione referta eſt Scriptura, eáque vſi Prophetæ, Apoſtoli, cæteríque omnes, qui piè Deum coluerunt. Quòd autem ad homines pertinet, ſi proximum meum verbo aut re offendi, debeo ei delictum meum, aut etiam plura, quibus eum offendi, confiteri, vt & ego ei, & ipſe mihi placatus reconcilietur, omníſque animi offenſio deponatur, & mutua beneuolentia conſeruetur. Eſt etiam aliud confeſſionis genus, quod verſatur in conſilio petendo de ijs rebus, quæ in aliquam dubitationem conſcientiæ ſcrupuloſæ ac perplexæ venire poſſunt. Vt ſi quiſpiam dubitet de re aliqua, propter quam conſciētia ipſius ſit perturbata, quanuis miſericordiam Dei cognoſcat in promiſſionibus: quia tamen eas generaliter conſiderat, non propriè ad ſe applicat, in aliqua dubitatione perplexitatéque verſatur: tum rectè fiet & ſapienter, ſi homo ita perplexus ac perturbatus, prudentem aliquem quærat, & conſulat, cui poßit moleſtiam animi ſui declarare. Tū verò is à quo conſilium petitur, debet proponere particulares Scripturæ ſententias de miſericordia Dei, quibus alterum cōſoletur, eúmque omni ſcrupulo liberet. Hoc autem confeßionis genus maximoperè laudandum eſt, vt à Deo profectum: ex quo etiam confeßio auricularis fuit introducta. Nam illud quidem fiebat in ſecreto, atque inter duos, quemadmodum iſti fieri volunt in confeßione auriculari: quæ quidem ex Deo non eſt, neque teſtimonio Scripturæ ſanctæ approbata. Neque enim Dominus ſuperſtitioſam peccatorum enumerationem ab homine requirit. ne fieri quidem poteſt: quemadmodum

propheta

ropheta David ſatis oſtendit, cùm dicit, Domine, peccata quis intelligit? Et mox eo in Pſalmo XIX. Ab occultis munda me. Papa tamen hoc iubet, etiam ſub peccato mortali, ad minimum quidem ſemel n anno. Itaque ego huiuſmodi confeſsionem reijcio, vt gehennam conſcientiarum, abyſſum & gurgitem inferorum, ad abſorbendas ac deuorandas miſeras animas accommodatum.

Ex me præterea quæſiuerunt, quid ego de virginitate Mariæ ſentirem, an crederem eam virginem filium ſuũ peperiſſe, ac poſtea permanſiſſe virginem. Ego autem reſpondi articulum ſymboli, Credo conceptum fuiſſe de Spiritu ſancto, natum ex Maria virgine: atq; etiam credo eam in virginitate perſeueraſſe. Tum doctor Haſardus, vt eſt homo planè ſtupidus & indoctus, Quid, inquit, te mouet, vt credas virginitatem Virginis, cùm non ſit locus Scripturæ quo id probari queat? Cui reſpondi, me ſatis clarè & manifeſtè reperiſſe. nã ſcriptum eſt, quòd Ioſeph eam non cognouerat, quum filium ſuum primogenitum peperit. Tum ille tacuit, nec poſtea quicquam dixit. Multa ſunt alia, quæ ex me quæſiuerunt: ſed hæc ſunt præcipua & maxima, quæ tibi ſatis eſſe debent. Die veneris doctores ſupremi templi, magiſter Fiablus, & magiſter Auertinus, me ſunt aggreſsi: vt & hodie doctor Haſardus. Hi omnes conantur me hæreticum conuincere, præcipuè in ea parte doctrinæ, quæ ad Miſſam pertinet. Neque dubito, quin magnoperè cupiant eam ſibi saluã relinqui: nec immeritò, vt quæ culinæ ipſorum maximè inſeruiat, & vnde quæſtus vberrimus ad illos redeat. Sed Dei gratia magiſtratus & iudices optimè animaduerterunt, me minimè mutum, neque verbo deſtitutum. Nam eis planè nihil conceſsi: ſed quod de illis dicendum erat, præter illorum expectationem, verè liberéque demonſtraui. Cùm ipſi ad me venerunt, ſatis aſperè ſum loquutus. In quo quidem ſi verbis paulò liberior, modeſtiam Chriſtianam non conſeruaui, oro Dominum vt mihi ignoſcat. Amor & zelus honoris ac verbi eius, me ita animatum reddidit, atque impulit, idque præſente magiſtratu. Quæ res quoſdam lætitia, alios affecit mœſtitia, vt à me cum contumelijs diſcederent. verùm id me non conturbat. Neque enim melior ſum, quàm Dominus meus & magiſter & caput, Ieſus Chriſtus. Tu mea ſoror atque omnes

Doctor indoctus!

Papæ miniſtri omnium maximè defenſam cupiunt miſſam, et quare.

fratres, Patrem optimum noſtrum orate per Ieſum Chriſtum filium eius, vt me Spiritu ſuo ſancto confirmet in veritate verbi ſui, atque incrementum fidei bonorúmque cæleſtium mihi tribuat. Equidem, quod mei eſt officij, eum pro tota eccleſia orabo, priuatímque pro te ac Margarita optima ſorore mea. Dominus memor ſit eorum ſtudiorum & officiorum, quæ in me ea contulit, & adhuc confert. Gratia Domini noſtri tecum ſit.

Epiſtola eiuſdem Petri Brulii.

OMnibus fidelibus, qui perſecutionem patiuntur propter prædicationem Euangelij auditam, aut domi ipſorum defenſam, qui ſunt Tornaci, Vallencenis, Inſulis, Atrebati, Douaci, atque in cæteris vrbibus ac locis, Petrus Brulius, ſeruus Dei, miſſus ad vos inuiſendos, & animos veſtros æterno Dei verbo conſolandos, gratiam, pacem & miſericordiam à Deo patre, & dilecto filio eius Ieſu Chriſto domino noſtro, exoptat dari vobis, & perpetuò in cordibus veſtris conſeruari, Amen.

Ego, fratres, ſemper gratias Deo meo ago in meis precibus, quòd voluerit nos ſuos eſſe declarare, ea communione ac participatione diſciplinæ, qua filios ſuos caſtigare ſolet. in quam etiam vocauit ac recepit nos, ne cum maligno mundo pereamus, à quo quidem nos morte chariſſimi filij ſui Ieſu Chriſti redemit. Certè, fratres mei, nobis, nobis datum eſt è cælo, non ſolùm vt credamus in Chriſtum, verumetiam vt aliquid pro eo patiamur: quod quidem omnibus credentibus non eſt impertitum. Sed quemadmodum teſtatur Paulus in ſua epiſtola ad Philippenſes, eſt donum Dei ſingulare. Hac ratione nos cognoſcimus ac ſcimus nos eius eſſe, atque etiã ex domeſticis ipſius, iſtáque omnia nobis in bonũ cedere: cùm optimus Pater nos ita amet, vt cruci atque afflictionibus Filij primogeniti conformes efficiat: qui quidem peccatum nunquam fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius: & tamen crucem perpeſſus eſt. Hanc autem acerbiſſimam mortis pœnam propterea ſuſtinuit, vt nos à morte redimeret, cuius imperio oppreſſi tenebamur. Is, inquam, ita eſt paſſus, vt ſuis doloribus noſtros dolores & afflictiones ſanctificaret. Nam nunc quidem nos carceres, verbera, iudicia, ignem, catenas ferreas, irriſiones, ludibria,

bria, & contumelias non metuemus: nullas denique machinationes atque incurſiones diaboli & mundi vt maledictas pertimeſcemus: ſed ea omnia perferemus vt teſtimonia & ſigna ſummæ clementiæ ac beneuolentiæ Dei *erga nos.* P*lanè, fratres mei,* I*eſu* C*hriſti mors nos à morte æterna, quam meriti eramus, liberat, atque etiam corporalem noſtram mortem ſanctificat.* C*arceres eius noſtros ſanctificant: eius flagellatio, noſtram: iudicium illius, noſtrum: vincula eius, ignominiæ contumeliæque, noſtras ſanctificāt. deniq; quicquid nos patimur, eius cōmunione fit ſanctum, quoniā eius cauſa toleramus.* Q*uare ne perturbemur in noſtris ærumnis & calamitatibus, quaſi nouæ atque alienæ nobis euenirent: ſed cōtrà potius lætemur cùm in varias huiuſmodi calamitates incidimus, ſcientes quòd afflictio parit patientiam, patientia probationem, probatio ſpem in* D*eo, quæ non cōfundit: propterea quòd charitas* Dei *in cordibus noſtris per* S*piritum ſanctū diffuſa eſt, fidéſque noſtra non aliter, quàm aurum & argentū in fornace perficitur & illuſtratur.* Q*uemadmodum enim de bonitate auri & argenti, non facilè iudicari poteſt, niſi ea in indice lapide aut igne explorentur ac probentur: ita qualis ſit fides vniuſcuiuſque nō bene perſpici poteſt, niſi ad examen afflictionum & probationem adducatur.* T*um enim cognoſcimus ſupérne petrā, an ſuper arenā ædificati ſimus: ſeménne ſimus ſparſū in terrā bonam, an iactum inter ſaxa, atq; ſubitò enatum & ſublatum: aurum & argentū, pretioſíque lapides in vero fundamento ædificati, an ligna, ſtipulæ, ſtramina, ad ignis, id eſt, afflictionis conſumptionem opportuna.* Fratres, *reuocate in memoriam eos, qui fuerunt ante vos,* D*ominóque placuerunt.* Cogitate *omni tēpore, quid vſu venerit ſeruis* Dei. *tum vos maximam lætitiæ cauſam habebitis, cùm videbitis vos iјs ſimiles atque conformes, qui* D*eo purè caſtéque ſeruientes, huiuſmodi moleſtias vitæ & ærumnas perpeſſi fuerunt.* T*eſtis certè eſt* I*eſus* C*hriſtus, ante cuius* A*poſtolos impij* P*rophetas perſequuti fuerant, quemadmodum poſtea* A*poſtolos ſunt perſequuti, & poſt eos* E*uangeliſtas, ac paſtores primæ eccleſiæ* C*hriſtianæ: omnéſque qui à primis mundi temporibus, vſque ad hæc nouiſſima, integrè* D*eo inſeruire voluerunt, ab impijs hominibus huic mundo deditis afflicti & vexati fuerunt.* E*tiam in ipſa domo & fa-*

milia patris noſtri Abrahæ*, huius conditionis ſpecimen editum fuit.* Nam *is qui erat ſecundum carnem, filius ancillæ* Agar*, perſequebatur eum qui erat ſecundum ſpiritum, filium liberæ , Saræ matriſſamilias. Si qui infeſtantur & vexantur à fratribus ac proximis, cogitent nihil ipſis accidere, cuius exemplum in pijs ac ſanctis hominibus,* Deum *metuentibus, non editum fuerit.* Videant Abelum, *probum filium* Deique *amicum, à fratre* Caino *per inuidiam interfectum.* Diuus Ioannes *in prima ſua epiſtola, eius cædis factæ rationem adfert,* Videbat, *inquit, opera ſua mala eſſe, fratris verò eſſe bona. itaque inuidia motus, fratrem occidit, non aliam ob cauſam, niſi quòd à vitæ impiæ ratione conſuetudinéque abhorrebat ac diſsidebat. Qui talia patiuntur, memoria teneant, quæ* Matthæi X, & Lucæ X I I, *à* Domino *noſtro dicta ſunt.* Quòd *ſi qui à proprijs liberis aut vxore affliguntur, contemnuntur, irridentur, exemplum* Noe & Iob *ſibi proponant.* Videant Moſen & Aaronem *à familia* Chore, Dathan, & Abiron, *magnis iniurijs contumeliíſque affectos.* Conſiderent Dauidem, *qui tamen fuit rex: & intelligent eum à* Saule *& à fratribus atque etiam proprijs filijs eiectum atque expulſum, irriſum, eóque compulſum, vt in montibus locíſque deſertis vagaretur, atque probris omnibus à* Semei *afficeretur.* Iam *verò quid* Eliæ *vſu venit, eiúſq; ſucceſſori* Eliſæo, Eſaiæ, Ieremiæ, Ezechieli, *alijſque* Prophetis? *itaq; ob hanc cauſam,* Stephanus *Iudæis cædem omnium piorum ac fidelium ſeruorum* Dei *exprobrat.* Manaſſes *verò, nónne vno eodémque die eam cædẽ edidit, in qua* Hieroſolyma *ſanguine* Prophetarum *redundauit?* Atque *hoc quidem* Chriſtus Matth. XXI, *ijſdẽ* Iudæis *memorat & exprobrat, propoſita parabola eius, qui operarijs vineã ſuam reliquerat: cuius ſeruos necauerunt, tum eius etiam filium.* Exiſtimo, *fratres, hæc quæ vobis commemoraui ac propoſui, nullam animis veſtris perturbationẽ allatura. Intelligitis enim ea eiuſmodi eſſe, vt à* Deo *authore ac gubernatore eccleſiæ proficiſcãtur. Quæ ego hoc quidem tempore ad vos ſcripſi, idem antea libẽter facturus, ſi mihi vllo modo licuiſſet in domo hoſpitis mei, & cuſtodis ipſius arcis. eſt enim homo planè ignarus, à quo nec chartam nec atramentum obtinere potuiſſem.* Nunc *autem etſi in maioribus ſim loci anguſtijs, quàm fuerim apud illum, poſſum tamen*

ıen cor magis quàm antea dilatare, ac vobis liberius explicare. Qua-
e accipietis hanc epiſtolam, vt ab eo qui gratiam Domini noſtri non
ıinus vobis quàm ſibiipſi exoptat.

Alia eiuſdem M. Petri Brulii epiſtola, ad fideles miſſa.

FRatres mei, mihi bonum videtur, ſi hoc modo vos afficiam ea læti-
tia, quam capio ex ijs afflictionibus, quæ nobis euenerunt, vt vos
quoque mecum gratias Domino agatis, atque vnà in meis vinculis & afflictionibus gaudeatis. Iſti enim ſunt fructus eius doctrinæ, quam nos didicimus, ſi quidem Ieſum Chriſtum crucifixum didicimus & cognouimus. Nullus ergo noſtrûm deficiat ac deſpondeat animum: perſeueret autem in propoſita diſciplina breui adhuc tempore: & is qui venturus eſt veniet, nec moram vllam faciet. interea iuſtus meus fide viuet: quòd ſi ſe ſubtraxerit, inquit Domin⁹, animæ meæ nõ placebit. Quare id quidem nobis cauendum eſt. nam vos ſcitis eos ſaluos tantummodo futuros, qui vſque in finem perſeuerauerint: etiam eos, qui certant lucta aut curſu, vt victores corona non donari, niſi legitimè certauerint. Quapropter date operam, vt vos veros Ieſu Chriſti milites exhibeatis, neq; animo molliore, magíſque ignauo ſitis, quàm ij qui militant ſub auſpicijs terreni alicuius Imperatoris: qui quidem ſemel ſcripti, ſacramentóque obſtricti, nulla in re ſibi parcunt, quæ ad gloriam Imperatoris ipſorum pertinere videatur. Nullæ ſunt foſſæ tam profundæ, aut muri tam alti, aut bombardæ tam horrendæ, nulla acies inimicorum optimo ordine inſtructa & parata, quam illi non contemnant, ídque ob eam cauſam, vt ſuo ſatisfaciant officio, quod iureiurando ſacramentóque obſtricti promiſerunt. Vos autem diabolo & mundo renuntiaſtis, aſcripti in numerum eorum militum, qui nomen ſuum Chriſto dederunt. Nunc ergo nihil vos impediat, quò minus ſtrenuos ac fortes milites, ſeruóſque fideles Regi veſtro oſtendatis & præſtetis. Is cum Angelis ſuis è ſuperiore loco vos intuetur, & libenter certamen veſtrũ ſpectat. quòd ſi vos non ſatis fortes eſtis, paratus eſt deſcendere, vt vobis opem ferat, quemadmodũ Diuo Stephano cælis apertis adfuit. Nam quòd ipſe perpeſſus eſt, cum verſaretur in huiuſmodi certamine ac dimicatione, eò eſt paſſus, vt vos nũc victores aduerſus omnes inimicos reddat, quemadmodum is ſuos ad-

Cõparatio ab iis qui ſtipendia faciunt.

monuit, In *mundo afflictionẽ habebitis: ſed in me confidite. nam ego vici mundum.* Et *ſicut ait eius* Diſcipulus, *Hæc eſt victoria, quæ mundum vincit, fides veſtra. Quòd ſi aliqua eſt res vobis proxima, valdéque coniuncta, quæ officium veſtrum impediat, abijcite eam, atque excindite, etiamſi veſter oculus, manus, aut pes eſſet.* Quibus *corporis membris intelligit eos, qui non minus ſunt nobis chari ac pretioſi, quàm oculus, nec minus vtiles, quàm manus, nec minus neceſſarij, quàm pes.* Atq; *hoc ita eſſe ipſe* Dux *ſatis oſtẽdit, cùm milites ſuos ita admonuit, Qui diligit patrem aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus: & qui vxorem, aut ſuos liberos pluſquàm me diligit, non eſt me dignus.* Denique *qui nõ renuntiat ijs omnibus, quæ habet, propter me, is me dignus non eſt.* Atque *hæc quidem, fratres, maiori hominum parti grauia alienáque videntur: vobis verò, vt ego exiſtimo, non ita, qui* Chriſtum *amplexi eſtis paſſum, & tormentis ſummiſque cruciatibus affectum & afflictum, antequàm in gloriam ſuam ingreſſus ſit: atque eum didiciſtis crucifixum, vt vnà cum eo, ſicut vera ipſius mẽbra crucifigamini.* Vos *etiam in ſchola eius didiciſtis, oportere in primis vt diſcipulus abneget ſemetipſum, & eius crucem tollat, eúmque ſequatur. Qui metu horum malorum offenſus, retrocedet, diſſimulabítque cum mundo, exiſtimans ſe ſine cruce ferenda poſſe eſſe* Chriſti *diſcipulum (nõ ego iã hoc dico, ſed ipſe* Magiſter) *ſeipſum perdit.* Dicit *enim* Dominus, *Qui diligit vitã ſuã in hoc mũdo, is in ſeculo vẽturo eam perdet: & qui perdit eam in hoc mundo, is eam conſeruat in vitam æternam.* Hoc *autem optimè cognouit* D. Paulus, *verus* Ieſu Chriſti Apoſtolus, *cum fratres eum rogarent, ne* Hieroſolymam *proficiſceretur,* Ego, *inquit, vitam meã nõ ita pretioſam & charã habeo.* Is *etiam ad* Philippenſes *dicit, ſe omnia huius mundi ponere à tergo, atq; ad res ſpirituales ac cæleſtes extendere, vt præmiũ vitæ æternæ apprehendat.* Atque *hac quidẽ in re falsò & calumnioſè accuſamur, quaſi authores noſtri mali, qui dies noſtros breuiores efficiamus.* Nec *enim is qui iuſſu imperatoris aliquò profectus eſt, vt voluntatem eius exequatur, ſi incurrens in hoſtes, ab ijs occidatur aut vulneretur, author erit mali ſui, aut propriæ reus mortis: ſed contrà, vt fidelis ſeruus fortíſque laudabitur, qui vitæ ſuæ parcere noluerit, vt voluntas*

nperatoris ſui & mandatum præſtaretur: ita nobis quoque euenit. tenim ij ſunt inimici Chriſti, qui nullo modo ferre poſſunt, vt hono- m eius tueamur, & voluntatem cõpleamus. Itaque *nos ita tractãt, ffligunt, vexant, noſtróſque dies & annos breuiores efficiunt.* Et *ita uidem nobiſcum agunt, quoniam ad ipſorum idololatriam, ſuperſti- ionem, blaſphemiam, ad omnem in potu cibóque intemperantiam atq; npudicitiam, aliáque eorũ maleficia & flagitia, à* Rege *noſtro pro- ibita, conformare & accõmodare nos non volumus.* V*ehementer nos derunt, quòd teſtemur opera eorum eſſe mala, damnatáque à* Deo, *tiam ea quæ videntur ipſis eſſe optima & præſtantiſſima. Ea enim on ſolùm ſunt introducta ſine verbo* Dei, *ſed maxima ex parte cõtra ſum verbum* Dei *inſtituta, cũ maxima* I*eſu* C*hriſti eiúſque mortis ontumelia.* V*os intelligitis fratres, quæ dicam opera: & propterea os perſequũtur.* I*ſti ſunt* S*ancti, qui ab alijs nolunt attingi, verentes e aliorũ tactu maculẽtur, aut polluantur.* I*ſti ſunt montes, qui ſimul- tque attacti ſunt, ſubitum ignem, ſanguinémque euomunt, in filios)ei magnis clamoribus vociferantes.* Et *quemadmodum ſuprà demõ- raui, nihil in nos faciunt aut dicunt, quod in fideles ſeruos* Dei, *qui os præceſſerunt, antea factum non fuerit.* Q*uid ego dico in ſeruos? nò verò in ipſum* M*agiſtrum &* D*ominum gloriæ,* Dei F*ilium, quẽ ini potorem & edacem,* S*amaritanum, incantatorem, dæmoniacum, ductorem vocauerunt. quem quidem ſacerdotes in manus* Roma- *orum tradiderunt, à quibus colaphis cæſus, cõſputus, irriſus, à ſum- 10 capite vſque ad pedes flagellatus fuit, corona ſpinea cerebrum e- us perfodiente redimitus: poſtremò cõdẽnatus mortis, omniũ quæ tũ ſſent, turpiſſimæ atque teterrimæ: ea autem erat mors crucis dete- anda.* A*tque vt eum maiore dedecore ignominiáque afficerent edium inter duos latrones, quaſi magiſtrum eorum ducémq; ſuſpen- lerunt.* A*tque his quidem tantis contumelijs, & iniurijs eum affece- unt, qui eorum cæcis lumen oculorum reſtituerat, ſurdíſque ſenſum udiendi, qui leproſos eorum planè mundauerat, mortuos ad vitam euocauerat: denique omnia beneficiorum genera in ipſos contulerat.* Et *tamẽ pro referẽda his tã præclaris operib⁹ ac beneficijs gratia, nos idemus quàm malè illũ tractauerint, quámq; gratiã ei reddiderint:*

qui quidem vt erat iuſtus coram hominibus, ita etiam coram ipſo Deo *fuit.* Is *tamen, qui lignum fuit viride, hæc omnia tam acerba indignáq; pertulit: nos verò qui lignũ aridum ſumus, ad exardeſcendum & cõflagrandũ apti atque opportuni, quid expectare poſſumus aut debemus?* An *arbitramur nos in paradiſum ituros ſine vlla incõmodorum perpeßione?* Ne *fallamus noſipſos,* Per *multas afflictiones nobis eò veniendum eſt.* Nos *ſcimus duas tantummodo vias eſſe, neque aliam eſſe tertiam.* Altera *earum eſt arcta & anguſta, quæ difficiles & aſperos aditus habet: ſed in eius exitu vita æterna reperitur.* Altera *eſt lata atque ſpatioſa, quæ quidem commoda amœnáque videtur, nulla habens incõmoda & pericula: ſed in exitu ac fine eius ſunt dolores, nam ad damnationem ducit æternam.* Prioris *viæ hæc ſunt incommoda & mala: paupertas, afflictio, infamia, bonorum huius mundi indigentia ac inopia, peßimè tractari ab vnoquoque, in exilium mitti, in carcerem conijci, igne cremari, in aquam ſubmergi, truncari capite, beſtijs immanibus obijci, aliáque multa & grauia tormenta atque opprobria perpeti.* Sed *omnes huiuſmodi calamitates, non ſunt cõdignæ ea gloria, quæ filijs* Dei *eſt reuelanda.* Sed *quemadmodum teſtatur* Apoſtolus, II. Corinthior. IIII. *cap. ingens pondus admirabilis gloriæ nobis pariunt, cùm earum acerbitas in hac vita ſit breuis & momentanea.* Propter *autem has propoſitas moleſtias & ærumnas, perpauci iſtam viam ingrediuntur, in eáque inſiſtunt: ſed omnes propè eam auerſantur, malúntque illam amplam viam ingredi, quàm exiguam iſtam ſemitam.* Itaque *nos in hac,* Fratres, *inſiſtemus, eámque tenebimus, quãtumuis ardua eſſe videatur, cùm præſertim optimum certiſſimúmque inſtituti itineris ducem habeamus* Ieſum Chriſtum, *qui omnia huius itineris incommoda, moleſtias, & pericula peruaſit: quo duce noſtro ac directore in eiuſmodi periculis perire nullo modo poſſumus.* Nã *quẽadmodum dicit* Apoſtolus, *vnus ex ijs qui ab eo diriguntur, ego planè mihi habeo perſuaſum, quòd nec* Angeli, *nec principatus, nec poteſtates, nec vita, nec mors, nec altitudo vlla aut profũditas, neque præſentia, neque futura, impedient nos, quò minus hac via tranſeamus, atque eò, quò vocati ſumus, cõtendamus.* Eritne *vlla afflictio, quæ noſtrũ animum debilitet? an anguſtia, fames, nuditas, aut etiam gladius?*

Duæ viæ

Nos

os verò nihil horum malorum formidabimus, cùm huiuſmodi dire-
orem habeamus, cuius à dilectione atque admirabili amore, nunquā
ıelli aut abſtrahi poterimus. Noſtræ *quidem carni ac ſenſui aliquā-*
o videtur, nos ab eo deſtitutos eſſe & deſertos: ſed non ita eſt. Dicit
ıum, Ego *non te deſero nec derelinquo: & alio loco,* Ego *tecum ſum*
ı afflictione: inuoca me & ego exaudiā te, atque eripiam. An verò,
ratres, exiſtimatis, niſi Dominus *nobiſcum eſſet, nos poſſe ea ferre,* Maxima hæc eſt cō-ſolatio in afflictioni-bus.
uæ ferri ac tolerari à nobis vult? non certè. Nam *inimici noſtri ſunt*
ıultò fortiores ac potentiores, quàm nos ſimus: quorum vnus eorum
ıtis virium habet, vt poſſit nos in perpetuū perdere. Summa eſt potē-
a diaboli, qui princeps eſt & caput noſtrorum inimicorum, cuius
otentiam & malitiam ſatis ſunt experti primi parentes noſtri, cùm Adam ad
rimo eius impetu deiecti corruerunt. Hic *eſt, fratres mei, qui cæte-* primū Sa-
os impellit & contra nos incitat. Toto *igitur ſtudio animóque enita-* tanæ inſul-
ur, vt huic inimico reſiſtamus, altera manu clypeum fidei tenentes, tū corruit.
ltera verò verbi Dei *gladium.* Quòd *ſi indignamur aut iraſcimur, no-*
ſtram in iſtum indignationē atque iram conferamus. Mundus *quidē*
ſt fortis & robuſtus, vt & caro noſtra. Sed ſi primus hoſtis fuerit
nobis ſuperatus, cæteri non multum nobis nocere poterunt. Nam *et-*
caro ſit nobis permoleſta, aduerſaria atque inimica, eam tamen ſpi-
itus, diaboli victor, paulatim ſubiget, & in ſuam poteſtatem rediget.
Hæc ſunt, fratres chariſſimi, quæ nos in noſtris afflictionibus oportet
ogitare ac facere. Si quiſpiam alius expers harum afflictionum in
uibus vos verſamini, de huiuſmodi rebus ſcriberet, poſſetis meritò
icere, eū facilè & ſine vlla ſua moleſtia de his loqui, eúmque, qui domi
uæ quietus ageret, poſſe hæc facilè laudare: ſed ſi iſta ei toleranda eſ-
ent, aliter loquuturum. De *me verò, fratres, credo vos nihil tale di-* Conſolatio quanta ſit
turos aut cogitaturos, qui vnà vobiſcum harum afflictionū ſum par- eius qui iiſdem pre-
iceps, eandem bibens potionem, quæ nobis à Domino *exhibetur.* Ac mitur affli
quod ad me quidem attinet, quotidie atque in dies ſingulos nihil aliud ctionibus.
expecto, quàm grauem & atrocem mortem. Quid *dixi mortem atro-*
cem? falſus ſum, cùm eam ita nominaui. cognoſco enim eā nihil aliud eſ-
ſe, quàm optimam Patris *mei voluntatem, qui eà vult vitam corporalē*
finire, atque cum ſpirituali & immortali commutare: cuius quidem

beneficij nomine ac magnitudine, magnoperè ei deuinctus ſum & obligatus. Vos autem orate omnes, pro mea, inquam, ſalute orate Dominum*, vt mihi eam conſtantiam præſtet, qua in confeßione ſanctiſſimi verbi eius permaneam, quoad me in quietum locum, id eſt, ſanctum ſuum regnum recolligat & recipiat.* Ego *pro meo officio, idem ſalutis veſtræ cauſa ſum facturus.* Gratia Domini *noſtri, ſit cum omnibus vobis,* Amen.

Alia eiuſdem epiſtola, ad vxorem ſcripta.

Brulius ſcripſit hãc matutinis horis eius diei, quo Tornaci martyrio defunctus eſt.

IE*ſus* Chri*ſtus tibi ſalutem impertiat.* Mea *chariſſima ſoror, ſcias me in* Domino *noſtro maximoperè lætatum, cùm ex ijs literis, quas optimus pater tuus ſimul & meꝰ, tuo nomine ad me ſcripſit, intellexi te in* Deo *lætari & gaudere, non in captiuitate, quam certò ſcio tibi grauem eſſe: ſed quòd habuiſti maritum à* Deo *tibi datum & electũ, vt pro nomine ipſius,* Euangelióque *filij eius* Ieſu Chriſti *pateretur.*

Maximus honos pro Chriſto pati.

Itaque *te rogo, vt maiorem adhuc in eo lætitiam capias: ampliorémque, quàm hactenus feciſti, huius beneficij & honoris laudem tribuas.* Nam *nunc quidẽ pro ſua gratia vult in me effici ac præſtari, quod tu ſcis à me diu ſæpéque deſideratum atque expetitum, vt pro* Euangelio *ipſius, ad* Eccleſiæ *ædificationem ac ſalutem electorum morerer.* Id *quod faciet hiſce diebus, me malis liberans omnibus, vt in regnum ſuum recipiat.* Ac *propter meam quidem mortem ne deſpondeas animum, atque vt deſolatam ac deſtitutam te affictes: ſed in ipſo* Domino *potius vigorem animi recolligas: perſuaſa planè de eius prouidentia, amore, curáque paterna, quam poſt meum ex hac vita diſceſſum, de te ancilla ſua ſuſcipiet.* Itaque *oſtende te in eo vno ſpem omnem ac fiduciam tuam locauiſſe.* Genus *autem mortis, vt ego arbitror, eſt id, quo ante me defuncti ſunt ij, qui* Chriſto *eiúſque doctrinæ cõſtans ac fidele teſtimonium dederunt, id eſt, vt viuus igni abſque vlla miſericordia comburar: ac tandiu quidem ignis ardere debet, quoad omnia redigantur in cinerem, qui deinde in profluentem conijciendus eſt.* Neque *verò hoc ad te ſcribo, quòd hanc ſupplicij acerbitatẽ magnoperè pertimeſcam & exhorreſcam. nam quemadmodum ſcio eam diem ad mortem corporis mihi præſtitutam eſſe, ita etiam certò ſcio, quod mihi magnum mortis contemptum adfert, eandem diem pertinere*

Agit de Mi ocio & aliis qui paulò ante ipſum igne cõcremati fuerunt, vt poſtea dicetur.

pertinere ad vitam ſpiritus, qui cum Chriſto, ſponſo ſuo ſine corporis diſſolutione plenè regnare non poteſt. Quandiu enim in hoc verſamur corpore, à Domino longè abſumus & peregrinamur. Lætare igitur, chariſſima ſoror, in Domino, atque omni tempore viduitatis tuæ in eo ſpera, & ſanctiſſimis precibus aliíſque pijs operibus dedita, Deum integrè & caſtè colas, ſicut officiũ eſt viduæ, quæ Domino modis omnibus placere vult. Caue verò in primis, ne ex illarum ſis numero viduarum, quas Paulus ad Timotheum diſcipulum ſuum ſcribens, dicit eſſe otioſas & vagas, ſurſum ac deorſum per domos alienas curſitantes: neque otioſas modò, verumetiam nugatorias ac ineptas, loquentes ea quæ non oportet. Cùm autem tempus venerit, Dominus proſpiciet ac iunget tibi maritum alium, qui tui curã habebit, cui tu obedies, quem reuereberis, cóque honore afficies, quem viro mulier modeſta ac pia debet, quod ego, te, chariſſima ſoror, facturam ſpero in Domino & confido. Atque hæc quidem ad te volui ſcribere, quemadmodum officium eſt eius, qui debet te inſtituere atque docere. Quòd ſi coràm tecũ loqui nõ poſſum, per literas tamẽ hoc quidẽ tempore, quo vocor à Domino, meũ tibi officiũ hac in parte præſtare debeo. Tu habes patrẽ tuũ, apud quẽ ſcripſiſti mihi te nũc eſſe ac viuere. ſine eius conſilio nihil ſuſcipias & agas, ſed eo in omnibus negotijs tuis vtere. caue eũ vlla in re offẽdas nec matrẽ tuã. Tu fratrẽ tuũ reuereberis, ſororéſq; tuas, vt poteris, in Domino inſtitues. Hæc autẽ moneo in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Si qui ex fratrib9 meis ad te veniãt, te rogo, propter me eos omni cũ ſuauitate excipias, atq; ita tuũ erga me amorem oſtendas. Reliquũ eſt vt Marguaritã ſororẽ noſtrã tibi cõmendem, cui has dedi literas, quas tibi redderet. Ea mihi declarauit conſtituiſſe ſe iſtuc ad vos recipere, reliquúmque vitæ ſuæ tempus, Deo piè colendo atque honorando dedicare. Tu ei quantum poteris, aderis, eámque toti eccleſiæ Ieſu Chriſti commendabis. Mihi quidem perdigna videtur eſſe, quam tu & omnes fideles ſubleuent & adiuuent. Nam ea multorum afflictiones ſtudio & officio leuauit ſuo, in primis verò meas, in quibus ſæpe ad me venit, & facultatibus ſuis me adiuuit ac recreauit. Domin9 miſericordiã ei impertiat. Saluta eccleſiam meo nomine, præcipuè verò tuos parentes, atque meos. Gra-

1. Timoth. 5.b.13.

Quæ decebant viduam Chriſtianam.

tia Domini noſtri ſit cum tuo ſpiritu, Amen. Tornaci, XVII. Februar. M.D.XLV. Exiſtimabam heri me vltimo martyrio defuncturum, ego horã ſemper expecto. Tuus fidelis maritus PETRVS BRVLIVS.

Hæc fermè ſunt monimenta quæ in carcere à Brulio ſcripta extare voluit Dominus, ad noſtram totiúſque Eccleſiæ ſuæ conſolationem. Brulius tandem poſt quatuor ferè menſium detentionem ſententia à commiſſarijs Imperatoris (qui tum erat Bruxellis) lata, condemnatus fuit vt viuus igne cremaretur in ampliſſimo illo theatro quod apud magnum forum extructum erat, in quo paulò antè exuſtus fuerat Miocius: & Mariona viua defoſſa, vt mox dicetur. Cùm verò ad ſupplicium duceretur, pauca quædam ad Tornacenſem populum verba fecit, omnia à Domino proſpera illis exoptãs: maximè verò incrementa fidei Chriſtianæ abiectis hominum impijs traditionibus & commentis. Multi aderant monachi & ſacerdotes qui non deſierunt clamoribus obſtrepere etiam Brulio precanti Deum, dum flamma eum in ſublime euectum corriperet. Quam quidem pœnam ſumma cum animi conſtantia & magnitudine ſuſtinuit die lunæ XVII. Februa. qui Papiſtis ſextus tum erat à feſto cinerum, quos è culina ſumptos initio quadrageſimæ fronti illinunt. Acta ſunt hæc anno à natali Chriſti ſũpto M D.XLV.

PETRVS Cognomine MIOCE,

Tornaci exuſtus paulò ante Petri Brulii martyrium.

M. D. XLV. Eſaiæ 52. b.7.

NON immeritò Spiritus Domini per os prophetæ Iſaiæ exclamat, Admodum pulchros eſſe pedes promulgantis pacem, annũciantis bona, qui prædicat ſalutem: ac dicit Sioni, Deus tuus regnat. Videmus enim in ijs locis ad quæ miſſi ſunt Euangelij præcones, fructus quoque cultura dignos extare, & quotidie eorum prædicatione vberiores dari. Sanè quidem aduentus Petri Brulij, de quo modò egimus, ad inferioris Germaniæ vrbes, quib⁹ nũc rex Hiſpanus imperat mirum dictu quantum profuerit, apud eos potiſſimum qui iam ad recipiendum cæleſtis doctrinæ ſemen excultos habebant animos. At quãto maior horum erat numerus, tanto etiam grauior ſequuta eſt in iiſdem regionibus perſecutio, poſtquã in vincula coniectus eſſet Brulius. quæ quidem vt ſemper fuit index, & veluti lapis Lydius, quo

fideles

fideles ab hypocritis facilè internoſci poſſent: ſic etiam ea perſecutio veros verbi Diuini auditores diſcreuit ab ijs qui neſcio qua leuitate, aut nouarum rerum, vt ipſi cenſent, auiditate, Euangelij doctrinam ad tempus arripuerãt. Inter eos itaque qui tunc captiui tenebãtur, erat quidam Petrus, cognomine notior, Miocius ſcilicet, qui texendo aſsimi latũ ſericum in ea vrbe ſibi victũ parabat. Hic ſanè antequam ad veritatis cognitionem pertractus eſſet, vitã omnibus peccatis ac vitiis delibutam degebat, ſed poſtquam Euangelij luce à Deo donatus fuit, ita protinus immutatus eſt, vt vitæ integritate ac zelo Spiritus reliquos ea in vrbe ſuperaret: quod quidem cum in carcere, tum verò etiam in morte, quam obijt crudeliſsimam, ſatis demonſtrauit. Prima coitione ab aduerſarijs rogatus, fuiſsétne vnus auditorũ Germanici illius concionatoris (ſic enim vulgò Tornaci Petrum Brulium, qui tum captiuus detinebatur, appellabant) liberè reſpondit, Vnum ſe fuiſſe, magnóſque in doctrina ab eo annunciata progreſſus feciſſe. Quid, inquiũt aduerſarij, víſne eam tueri? Volo, inquit, quoniam conſentit cum veteri ac nouo Teſtamento. Poſt primam hanc percontationem, protinus demiſſus eſt in profundiſsimam foſſam magnæ turris caſtri Tornacenſis, quod vndiq; aquis cingitur. Locus in quo incluſus fuit, refertus erat bufonibus atque alijs impuris beſtijs, propter profunditatem atq; vliginẽ foſſæ, nec in eã alij demittuntur niſi qui breui morte mulctandi cenſentur. Magiſtratus autem vt metum incuteret Miocio, cõſtantiámque quam in eo ſingularem perſpiciebat, labefactaret, mãdauit vt illic detineretur quoúſq; demiſsius loqueretur, aut palinodiã caneret. proinde in hac foſſa manſit à menſe Nouembri donec mortis aduerſus eum lata eſt ſentẽtia. Interea loci ſenatus, aſſumptis ſecum monachis, ſæpius eum examinarunt, hac tantùm ratione vt illum à recta via atque fide deducerent. venit etiam Franciſcanus, cuiꝰ antè mẽtionẽ fecimus, doctor Haſardus, cùm alijs ſuæ nequitiæ fautoribus, vt contra eũ diſputarent: ſed nulla res eum mẽte ſolida concuſsit. quinimo, quodã die ab iſtis valde laceſsitus: Miror, inquit, domini mei, vos nunc adeò mihi infenſos eſſe, vt etiam ad necẽ poſcatis: nemo tamen veſtrum mihi adhuc improbo & vitã inhoneſtã palàm agenti, vel verbum quidem faciebat. Quo audito, qui aderant

Hoc genus opificii Gallicè vocãt, Trippe de velour.

taciti alij alios intuebantur. Haſardus autem omnium impudentiſſimus, ei dixit, Annõ videris tibi nũc eſſe magis impius q̃ dudum? Tuo quidem iudicio, inquit Miocius. Sed magiſtratui qui adeſt, loquor, non tibi Cucullate, ne erres: tacuiſſe tu profectò debueras vt honori tuo conſuleres, alijs verò loquendi vices dediſſe. Quo verbo impudens illud monachi os facilè obturauit. Ad hæc ipſe Senatus, vt certam iudicij formam pertractaret, interrogauit eum de pluribus articulis, ac maximè de Miſſa & Sacramentis, præcipiens ei vt compendiaria cognitione reſponderet. Miocius autem gaudens ſe de fide ſua interrogari, orſus eſt edere confeſſionem, ſingulos eius articulos certis Scripturæ teſtimonijs probans atque confirmans. Aduerſarij verò lippientibus oculis non ferentes lumen veritatis: Non, inquiunt, habemus opus tuis concionibus: ſed fatẽdo aut inficiando reſponde: Domini mei, inquit ille, non hîc de homicidio aut furto eſt quæſtio: verùm in hoc totius cauſæ verſatur cardo, vt ſciamus veſtráne an mea melior ſit ſententia: quæ res nec ſummatim nec breuiter demonſtrari poteſt. Ac quum iã iterũ cœpiſſet loqui, ſemper ab ijs interruptus eſt ſermo. Quibus ille tum dixit, Si me loquentem audire non vultis, remittite quæſo, in eam carceris foſſam in qua bufones habeo ſodales, qui mihi nec clamore nec fremitu quicquam impedimento ſunt, ſi quando aut Pſalmis Deum laudo aut precibus eius opem imploro: Vos autẽ creaturæ rationis capaces cùm ſitis, formatæ ad imaginem Dei, non poteſtis ferre vllam de ipſius Verbo mentionem corã vobis haberi. putatíſne me fabulas inceptare, aut nugas agere, vt veſtri Monachi ſolent? erratis ſanè, ſi id creditis. purã enim Dei veritatẽ anũcio. Hæc quidem hominis conſtantia auditorum animos nõ mediocriter commouit, ac variè quidem affecit: etenim quibuſdam conſolationem, pleriſq; verò ſummam offenſionem, ad ſtridorem vſque dentium, attulit.

Bergibanus Tornacenſis.

Eodem tempore in vinculis ibidem erat quidam nominatus Bergiban, qui eximia à Deo dona receperat, & tantos in Scripturæ intelligentia progreſſus fecerat, vt ante Petri Brulij in eam vrbem aduentum, ſubinde in fidelium conuentibus interpretem ageret. Quàmprimum Brulius comprehenſus fuit, quærebatur in primis vt vnus ex coryphæis Bergibanus: qui quidem domi ſuæ inuentus non eſt, aut

quòd

quòd inde egreſſus eſſet, aut ꝙ ſe aliquò abſcondi curaſſet. Ex quo deinceps tantum concepit animo dolorem, vt ſe in manus ſatellitũ vltro tradere deliberaret, eandem cum reliquis captiuis cauſam defendere cupiẽs. Amici ipſius, qui in eo ſingularem vitæ integritatem cum ſumma eruditione coniunctam ſemper perſpexerant, admodum mirabantur, cùm viderent hominem ea voluntate ferri, vt ſe parato exitio obijceret, nec verò aliud ei ob oculos ponere poterant, niſi vt etiam atque etiam cõſideraret, ne Deum temere tentaſſe argui poßit. Nulla autem res illum ab inſtituto dimouere potuit: non vxoris lachrymæ, non parentum aut propinquorũ preces, nec totius deniq; familiæ, quæ adducebatur, conſpectus, quicq̃ efficere apud ipſum valuit, quominus re familiari conſtituta atque confecta, extremo ſuis dicto vale, poſt triduum ſponte ſe ad cuſtodiam conferret. Præſidium itaque caſtri, eo viſo, rogauit quónam pergeret: Magiſtratus, inquit ille, me quæſiuit, venio vt ſciam quid me velit. proinde ad Præfectum caſtri ductus, faſſus eſt ibi, ſe malè feciſſe, quum ſe abſconderet à Domino vocatus ad eandẽ cũ Brulio aliiſque captiuis cauſam defendendam. Præfectus verò valde perculſus erat, audiens hunc hominem tanta animi tranquillitate, ac ſine metu facti ſui reddere rationem coram vniuerſo caſtri præſidio: & ſanè dolebat iſtum eò veniſſe, ſed quum cerneret adeò confidentem, iuſsit in carcerem abduci. Initiò quidem admodum ſe conſtantem præbuit: ſed vbi Imperatoris commiſſarij incuſsiſſent ei horrorem carceris, & mortis quam ei ferendam minabantur crudeliſsimam: cœpit hic homo ſenſim vacillare, atq; ita paulatim à veritate deficere, in gratiam pſeudoprophetarum & monachorum, qui illi euadendi ſpem fecerant. [Horrendum: qui stat videat, ne cadat.] In ſumma, tandem Bergibanus, vt extremum beneficium acciperet, quale carnifices omnes & tyranni dare ſolent, nempe quò mitius ſecum ageretur, commutato tantùm ignis ſupplicio cum capitis præciſione, in omnibus libidini profeßorũ veritatis hoſtium obſequebatur. Quæ res, vt geſta erat, poſtquam populo nota fuit, plurimis certè ſummam admirationem attulit. Aduerſarij ex iſtius incommodo ſua comparabant commoda, & ſedulò de ipſo triumphabant: atque ob id hiſtoriam pluribus proſecuti ſumus, quia exemplo Bergibani, Miocum quoque terreri poſſe ſperabãt. Nã

in poſtremis percontationibus, cùm nihil ſuis cauillis apud Miocium *proficerent: hoc ſaltē illi obiectabāt, dicentes,* En *ſociū tuū* Bergibanū, *qui multò te eruditior eſt, omnia reuocauit: viſne tu plus illo ſapere?* Reſpōdit Miocius, *ſe non iuraſſe in verba vllius hominis: aliud longè ſibi ante oculos poſitum habere exemplum,* Ieſu *Chriſti ſcilicet ſaluatoris ſui.* De Bergibano, *inquit, ſi vera ſunt quæ dicitis, perfidus meritò & proditor haberetur, ac ſatis declararet ſe* Dominum *tentaſſe cùm ſponte ſua in manus veſtras venit.* Equidem, *ſi* Deus *aliquam euadendi obtuliſſet occaſionem, haud ſanè prætermiſiſſem. quare dum me habetis, agite de hoc corpore quod collibuerit, in animā verò nulla penes vos eſt poteſtas.* Iudices *magis quàm antea obſtupefacti, ſine vlla mora ſententiam de ipſo tulerunt, quæ paucis poſt diebus illi pronunciata fuit, vt videlicet viuus igne cremaretur in ampliſſimo theatro, quod in magno foro extructum erat.* Dū *ad locū ſupplicij duceretur, graui vinctus catena, monebat populum ne crederet ſacrificis & monachis, ſed* Euangelium *filij* Dei *vnicè amplecteretur.* Ibi *ſacrifici cum monachis mirificè fremuerūt, quòd tam impio, vt aiebāt, loquendi copia daretur.* Inter *hos fremitus & clamores ipſe clara voce* Pſalmos *canere cœpit.* Quum *iam ad palum deligatus eſſet, ſacculo tormentarij pulueris pleno ad pectus ipſius appenſo, qui quidem puluis igne accenſus quū magnū ſonitū dediſſet, ſacrifici & monachi qui aderant, populo perſuadere conabantur, animam eſſe* Miocij, *quam diaboli ſecum auferrent.* Miocius *autem in media flamma perpetuò oculos in cælum defixos habebat: qua tandem flamma præfocatus, fidelem* Deo *ſpiritum reddidit.*

MARIONA, VXOR ADRIANI SARTOris *in vrbe* Tornacenſi.

M.D. XLV. VIgente *adhuc perſecutione illa contra fideles, quæ eo tempore* Tornaci, *propter* Petrum Brulium, *vt diximus, exorta erat maxima, quidam etiam, cui* Adrianus *erat nomen, qui in ea vrbe artem ſarciendi veſtes profitebatur, cum* Mariona *vxore ſua, in vincula coniecti fuerunt.* Cauſa *autem cur apprehenderentur vna eadémque in vtroque fuit,* Euangelicæ *ſcilicet veritatis ergò: exitus tamen*

in am-

in ambobus longè diuerſus extitit. Adrian⁹ enim veritatẽ, qua debuerat virili cõſtãtia, nõ defendit, ſed turpiſſimè ab ea defecit, ac ſententiam præ nimia mollitie reuocare coactus, verè Cyclopis beneficium à Iudicibus accepit, vt capitis ſaltem ſupplicio plecteretur: idque nõ ita diu pòſt, quàm in carcerem detruſus fuiſſet. Contrà verò, Mariona ipſius vxor, maſcula præſtans virtute fœmina, conſtanter ſemper in ſententia permanebat, & magnum profectò fidelibus, qui tum Tornaci erant, exemplum conſtantiæ exhibuit. Tyranni autem quãtumuis truculenti, neque minis, neque ſæuitia, neque vllo denique terrore mortis crudeliſſimæ, mulierem hanc ab officio non ſolùm abducere non potuerunt, ſed ne quatefacere quidem eximiam eius fidem. Atque ei quum proponerent mariti exemplum, quem pœnitentia ductum omnia abiuraſſe dicebant: nullam illa verbis aduerſariorum fidem dans, tota in hoc vt inuictæ veritati, inuictum quoque ederet teſtimoniũ, Iudicibus abundè declarauit, ſe nequaquam ipſorum truculẽtia perterritam fuiſſe, nec eo quidẽ mortis genere, quod illi ſubeundum minabantur, niſi mutaret opinionem. Iudices itaque quum nihil ſuis minis proficerent, ſententiam aduerſus illam pertulerunt, vt viua videlicet in terram defoderetur. (id nanque mortis ac ſupplicij genus, in Flandria ac vicinis regionibus, ferè vſitatum eſt in fœminas Chriſtianas & fideles.) Ipſa igitur ad locum ſupplicij quum duceretur, ad theatrũ ſcilicet, quod Tornaci in magno foro (vt ſuprà dictũ eſt) extructum erat: nunquam deſtitit populum ad veritatis ſtudium hortari, & precari Deum pro ijs qui adhuc in denſiſſimis ignorantiæ tenebris verſabantur. Præteriens in itinere turrim, quæ vrbis Specula dicitur, in qua maritus eius detentus fuerat, illic adhuc eum ſedere putãs, ſublata voce clamauit, Vale mi Adriane, alijs mihi nuptijs hic dictus eſt dies. Conſcenſo iam theatro, vt vidit terræ aggerem & ciſtam in modum ſepulchri concauam, traiectis vtrinque clathris ferreis, quibus imponi ſolet mulier quæcunque id genus ſupplicij ſubire cogitur: Mariona, inquam, tam crudelis apparatus ſpectaculo nequicquam perculſa fuit: quinimo alacri prorſus ac virili animo eos qui circunſtabant ipſam in theatro, ſic allocuta eſt, Húnccine mihi paraſtis paſtillum? alludens ad formam ciſtæ in qua trucidanda

erat,& artocreatis confeẽtionem. In *hunc itaque modũ defoſſa,obijt fidelis in Chriſto virago.*

IACOBVS CHOBARDVS, *Lotharingus.*

M.D. XLV.

IN *vrbe S.Michaelis in ducatu* Bari *apud* Lotharingos*,permulti fideles capti fuerunt, quidã etiam profugi,quoniã conuentus ſummo cũ pietatis fructu inter ſe habuerãt,in quibꝰ libros ſacræ Scripturæ exponebãt.* In *eorũ numero fuit vir pius & doctus qui ſcholæ eiꝰ vrbis præerat,*Iacobꝰ *cognomine Chobardus,natus in pago vrbi* S. Michaelis *admodum propinquo,*Meſcrigna *nominato.* Is *ſanè de ſacramentis cum ſacerdotibus* Papæ *qui in ea vrbe erant,in diſputationẽ venit.*Illi *vt ſunt* πρὸς τὰ ἄλφιτα *attẽtiores,in eam partem acceperunt eã diſputationem, quaſi* Miſſa *nec mortuis nec viuis quicquã prodeſſet atq; inſeruiret.* Itaque *accuſatus ab illis,atq; in carcerem coniectus quatuordecim aut quindecim hebdomadibus, ſententiã ſuã rationibus authoritatibúſq; Scripturæ conſtanter tutatus eſt.Cùm autem multi eũ hortarẽtur,vt quæ profeſſus fuerat,retractaret,& cũ cæteris vinctis honorariã pœnæ irrogationẽ acciperet: tantũ abeſt, vt in eã ſententiam fuerit adductus,vt maiore ſpiritus ardore accenſus vltro cõfeſſionem fidei ſuæ ampliſſimam ſcripſerit, quam matri ſuæ ad iudicẽ perferendam dedit,admonens illam,ne ea in manus alterius cuiuſquã deueniret.* Fœmina *ſimplex, ignorans quid ſecum ferret, confeſſionẽ iudici reddidit:quam quidem ille furore quodam incitatus, detulit ad* Franciſcũ Lotharingiæ *ducem:cuius ſententia & authoritate Chobardus ſtatim fuit cõdemnatus,vt viuus igni cremaretur.*Iudex *autẽ nulla rei delatæ quæſtione aut animaduerſione amplius habita,ſentẽtiã à* Duce *pronuntiatã executioni mãdauit.Cùm ad ſuppliciũ Chobardus iã duceretur,populũ,qui eũ circũſtabat,monere ac docere cœpit:ſed iudex inferior,qui in ea vrbe* Præpoſitus *dicitur,ei ſilẽtiũ imperauit,teſtificãs eos qui adeſſent,melius quàm ipſum mãdata* Dei *doctrinámq; tenere.quòd niſi taceret,ſe lingua exciſa ſilẽtiũ ei impoſiturũ minatꝰ eſt.*Quamobrẽ *Chobardꝰ nihil poſtea loquutus eſt,niſi quòd ſæpe* Deũ *inuocans implorãſq; illa verba repetebat, Deus mi,miſerere mei: Deus mi, miſerere teſtis tui ac martyris.* Deinde *ſine vllo corporis motu quietus & mãſuctus,inſtar mitiſſimi agni,viuꝰ eſt exuſtus*

Diſputatio de ſacramentis.

ſtus. cuius in morte, quidã etiã ex magiſtratibus hominẽ doctũ, peritúmque linguarũ conqueſti fuerunt & ſumma probitate atque innocentia præditum, ita extinctum fuiſſe. Itaque edicto magiſtratus cautum fuit, vt non niſi pro hæretico haberetur & diceretur. Chobardi mors etiã inimicis ingrata.

AYMONDVS *à* VIA.

Circiter annũ M.D.XLI. *menſe* Decemb. *decretum fuit à ſummo Burdigalẽſi Senatu ac* Parlamẽto, *vt cõprehẽderetur* Aymõdus *à Via, qui docebat & cõcionabatur* Euãgeliũ Ieſu Chriſti *in vrbe* S. Fidei *in* Agennẽſi *tractu: idq; accuſatione* Parochi *eiuſdem loci, atq; aliorum ſacerdotum quos ſibi* Parochus *in cauſa habebat ſocios, dicentes prædicatione illius multum de ipſorum quæſtu decedere.* Temporis ratio non ad proceſſus initium ſed ad mortẽ referenda eſt.

De hoc autem Senatuſconſulto certior factus fuit Aymondus, *tribus antè diebus quàm apparitor ad exequẽdum veniret, atque à pluribus incitatus vt periculum fuga declinaret. Id verò vt faceret nunquam induci potuit: ſed his ferè apud ſuos verbis vſus eſt,* Malo *equidem me nunquam fuiſſe natum, quàm hoc facinus committere. neque enim boni* Paſtoris *eſt fugere imminente periculo, vt ait* Dominus: *verùm illius eſt manere, ne diſſipẽtur oues. Gratiã autem à Domino accepi prædicandi vobis ipſius* Euangelium: *quòd ſi nunc propter vnicam tentationem abirem, æſtimarer concionatus fuiſſe fabulas, ſomnia, aut alia* Deo *contraria, quum vos in offendiculo relinquerem. Quapropter vos rogo ne mihi amplius de hac re verba faciatis. nam ſcio quæ concionatus ſum vera eſſe, pro quibus ſuſtinendis,* Deo *iuuante, neque corpori neque animæ parcam: atqui cum* D. Paulo *dicam,* Non *ſolùm paratus ſum pro* Chriſto *ligari in vrbe* Burdigalẽſi, *ſed etiam mori. Quæ hominis conſtantia, cæteris ſilentiũ impoſuit.* Ioan. 10

Acceſſit itaq; apparitor vt ſentẽtiã exequeretur, qui tribus diebus in vrbe manſit. Interea Aymõdus *tres cõciones habuit, in quibus ſummã atq;* ἀνακεφαλαίωσιν *omniũ ſuorũ præcedentiũ ſermonũ, ſingulari quadam memoria repetebat, dicens ſe ad eos tuẽdos mille vitas, ſi tot haberet, non dubitaturum abijcere. Quæ oratio cum zelo diuino atq; innocẽtia coniuncta; vehementer populi animos commouit, adeò vt plerique dicerent;* Quid? *hic cauſa eſt quòd ludos, & vinarias tabernas reliquerimus, quódque multi improbi homines ad meliorẽ vitã ſe*

conuerterint! Proinde multitudo in Apparitorem irruit, vt hominem liberarent. id quod Aymondus nequaquam permiſit, his verbis multitudinem compellans, Sinite quæſo, fratres atque amici mei, ne meum martyrium impediatis. voluntas enim Dei eſt eiuſmodi, vt pro illo patiar, cui nequaquam repugnandum eſt.

Tum conſules dimiſſo Apparitore, ſtatuerunt eum capere, atque Burdigalam deducere. quô quidem tribus pôſt diebus magno comitatus ſatellitio ductus fuit. Burdigalæ autem plures aduerſus eum producti ſunt teſtes, ferè omnes ſacrifici præter dominum Riueracum, hominem (vt vno verbo dicam) verè φιλόδικον, eiuſdémque famulum quos habebat hoſtes capitales. etenim Riueracus ille iactarat ſæpius, aut mille coronatis aureis ſibi negotium conſtaret, aut eum breui comburendum curaret. Ac etiamſi Aymondus iuſtiſſimas aduerſus illos teſtes refutationes in promptu haberet, Regij tamen delegati Iudices ad eas proponendas admittere noluerunt: ſed ſolas ſacrificorũ accuſationes audiuerunt. Atqui omnes iſti teſtes cõtra eũ nihil aliud afferebant, quàm quòd ſiniſtrè de Purgatorio ſentire diceret, quippe qui ſemper ipſis aſſeruiſſet, purgationem noſtram ſolùm eſſe per ſanguinem Ieſu Chriſti.

Proponebat item Aymondus à Via, quemadmodum primus & ſecundus Præſes reijciendi in ea cauſa bono iure forent: quia primus præſes, dum lis (quæ illi cum Parocho S. Fidei interceſſerat) adhuc ſuſpenſa maneret, curaſſet vt cauſam generalis Procurator Regius ſuſciperet, & parochiatus beneficium à Parocho ad quendam è filijs ſuis tranſiret. Atque ea ratione duo illi præſides meritò ab hoc iudicio remouendi erant, quũ & inter ſe cõſobrini eſſent, & aduerſariorum tuerentur partes. nam de reditibus illius parochiatus agebatur. Quanuis autem, antequam decretũ veniſſet, abundè ipſis perſpecta erat hominis innocentia: tamẽ & ſe purgare, vel vt in foro loquũtur, iuſtificare, & obiectiones ſuas probare iuſſ⁹ eſt. id quod ille fecit, adhibitis octoginta plus minus teſtibus, ijſque grauibus quidem: quos tamen alij admittere noluerunt, ſed ſuſpectos ſibi eos æquè atque ipſum dicebant, eiuſdẽ enim eſſe ſectæ homines: tametſi in eos nunquam inquiſitum fuiſſet.

Octo autem vel circiter nouem mẽſibus in carcere multas ærumnas pertulit, quibus ille tamẽ fide ac ſpe fultus minimè ſuccubuit. Sed cùm interea illi denunciaretur ignis ſupplicium breui ſubeundum: nuncios iſtos tam firmo animo excepit, vt etiam inimicos ipſos attonitos redderet: quia ſemper idem erat vultus color, atq; in ore verba Pauli habebat, Cupio ſeparari à corpore, & eſſe cũ Ieſu, Chriſtus mihi lucrum eſt ſiue viuam ſiue moriar. verùm vna hæc res me malè habet, quòd diutius mihi alijs prodeſſe non liceat docendo, atque talentum à Deo mihi traditum, cum fratribus communicando: quódque ea non apertius ac plenius expoſuerim, quorum mihi Dominus vberiorem notitiam dederat. Attamen ſi placet eidem me nunc ad ſe vocare, voluntas eius fiat, non autem quod deſidero. Præterea vitam antè actã multis lachrymis deplorabat, dicens ſe malè vixiſſe, non iuxta cognitionem quam à Deo acceperat. idque præter cætera maximè dolebat: quamuis eius vita, ſi homines tantùm ſpectemus, irreprehẽſibilis fuiſſet: adeò vt aduerſarij & accuſatores, vitæ ipſius ſanctimoniã prædicare cogerentur. tanta erat huius viri integritas atq; ſimplicitas. Ex quo primò cõprehenſum fuiſſe diximus, menſes fere nouem ad primum & vigeſimum diem Auguſti in carcere manſit, eo quidem die acceptis Iudicum delegatorum literis, perrexerunt agere de ipſius condemnatione, poſthabitis iuſtificationibus, vt ipſi dicunt, atque alijs cauſis recuſationum, quas ille aduerſus eoſdẽ Iudices protulerat: qui quãprimùm captꝰ eſſet, nõdũ cauſa cognita ac perſpecta, præiudicijs eũ onerarãt, paßim dicẽtes, ignis ſupplicio adiudicandũ eſſe. Deniq; negociũ ita ſubitò in camera Iudicũ delegatorum confectum referri cœpit, vt ſtatim à prandio Aymondus maioribus cõpedibus cõſtringeretur. Quod quidem ille videns, præſagiũ ſibi atq; mortis nũcium eſſe aiebat: minus tamen laborare, quod omnia pro Chriſto libẽs pateretur. Obſecrabat etiam eos qui illum inuiſebant, ne quid celarẽt eorum quæ de ipſo dicerentur. nam ſi, inquit, is eſſem cui caro dominaretur, meritò reticendi quicquã eſſet occaſio. aſt meã fidem nec mors nec cruciatus nec perſecutiones vnquam concutient: conſtans permanebo in eo qui me confirmat, Ieſu Chriſto.

Philip. 1. & 20. 21.

Die aũt Mercurij proximo, crudelißimũ in modũ tormẽtis exami-

nat⁹ fuit,non de ſua cauſa,nã iã illi mors certa erat conſtituta, ſed vt quos haberet ſocios declararet.ibi tũ primarius præſes barba illũ prehendẽs, Dic *inquit,homo nefarie,dic:cõdemnatus enim es, reſtat modò vt tuos cognoſcamus ſocios.*Q*uóſnam,inquit ille, ſocios quæritis? equidem alios non habeo ſocios, quàm qui ſciunt ac faciunt volũtatem* Dei Patris *mei:ſiue ij nobiles,mercatores,agricolæ,ſiue alterius ordinis homines ſint.* Atque *his diris cruciatibus,vir alioqui tenui valetudine,ad horas duas vel tres exercitus fuit,vbi ſe his verbis cõſolatus eſt,* Corpus *quidem hoc morietur,ſpiritus verò viuet:*Regnũ *autem* Dei *manebit in æternum.*

Porrò *inter hæc tormenta paſſus eſt animi deliquium: quúmque ad ſe rediret:*Domine,Domine,*ait,cur me reliquiſti. Secundus præſes tũ ad eũ:*Improbe Lutherane,*tu es qui dereliquiſti* Deum.R*urſus* Aymondus,Hei *mihi,domini,inquit,ecquid me tantum cruciatis?* Domine,*ignoſce illis,quia neſciunt quid faciant.*Tum *idem* Præſes, Ecce, *inquit,iſtum nefarium,qui pro nobis orat.* Cæterùm *ne vnius quidem nomen ab eo extorquere potuerunt,ita ille omnia patiẽter & conſtãter perferebat,inquiens,*Putabam *equidem plus apud homines clemẽtiæ reperire:proinde* Dominum *oro,vt in ipſo miſericordiã inueniam.*

Summa Aymondi conſtantia in tormentis.

Poſtea *verò in arctiſſimum carcerem(quæ turris* Baronum *vocatur) detruſus eſt in diem* Sabbathi:*quo quidem die,circiter horam octauã manè pronuntiata eſt ei ſententia vt viuus vſtularetur.* Quod *ſanè illum nõ magis perculit,quàm aliâs cùm idẽ illi nunciaretur,ſed* Deum *magnoperè laudabat,quod ipſum eo beneficio dignat⁹ eſſet,vt hora mortis illi ſignificaretur.* Protinus *itaque miſſum eſt ad* C.A.I.M. *qui ipſius confeſſionem exciperent.* At *ille iſtos repudiauit,cupiens ſibi dari quendam ſui ordinis,*Parochum *nempe* S.Chriſtophori:*monachis verò in hanc rationem locutus eſt:* Abite *hinc omnes, ego confitebor* Domino *peccata mea. videtis me ſatis perturbatum ab hominibus,vultis adhuc adducere perturbationes? alij habuerũt corpus, vultis & vos auferre animam? abite hinc,obſecro.*Deinde *acceſſerunt conſiliarius de* Longa, *& conſiliarius* Chaſſagneus, *qui ipſum volebant conſolari:ſed fides atque conſtantia huius tanta erat, vt ipſemet eos conſolaretur.* Q*uum autem videret interdictum eſſe* Pa-

rocho

rocho Sancti Chriſtophori, ne ſuam confeßionem audiret: aſſumpſit Carmelitam *quendam, monachorum minimum, quem, cæteris abire iuſsis, retinuit, atque remotis arbitris lõgo ſatis tempore vnà fuerunt, adeò vt eum ipſum monachum ad veritatem conuerterit.* Ad hæc *allato ei prandio, accerſi iuſsit cuſtodem carceris, cum* vxore *& filia eiuſdem, quibus dixit:* Obtinui à Deo *complementum deſideriorum meorum: nam plus minus octo anni elapſi ſunt, ex quo* Deus, *pro ſua bonitate, mihi ſuæ voluntatis notitiam largitus eſt: ſed repentè venit in mentem mori* Burdigalæ *pro ipſius* Verbo: *quod nunc verè completum cerno.*

Ad horam autem primam à prandio, venerunt in carcerem primus & ſecundus præſes, Chaſſagneus, Longa, *& plures alij conſiliarij.* Hic *tum* M. A*ymondus ſermonem habere cœpit de* Cœna, *hanc ſuam fidem dicens:* Q*uòd ſcilicet, quotieſcúnque* Chriſtiani *in vera vnitate ac concordia conueniunt, docentes eandem omnes doctrinam, atque in fide non ficta & ſpe certa ſumunt panem, reuera corporis & ſanguinis Chriſti participes fiant: ibíque in eam ſententiam citauit locum* Pauli I. Corint. XI, *ſumma profectò cum gratia Scripturam exponẽs.* Ac *dum ipſis loqueretur, ſemel alta voce exclamauit:* Verba *quæ vobis loquor, Spiritus ſunt & vita.* T*ãdem ſubiecit,* H*æc mea eſt fides,* D*omini mei, de qua nunc accuſor: ſed in primis, omnibus notum eſſe volo quid de* Cœna *ſentiam,* O*mnes nempe Chriſtianos communicare corpori & ſanguini* Ieſu *Chriſti, quicunque fide recipiunt panem & vinum oblatum in* C*œna: iterúmque varios Scripturæ locos in quibus* Cœnæ *fit mentio, produxit.* Sed *plenius de ſingulis diſſerere volentis ſermonem interrupit ſecundus præſes:* Audi, *inquiens, oportet nobis aperias tuã de* Purgatorio *opinionẽ.* Ad *hoc ille,* R*ectè mones, inquit, dicã quod ſentio, noſti in ſcriptura ſynonyma eſſe hæc verba,* P*urgare,* M*undare, &* Lauare. Habes *apud* I*ſa.* Dolores *noſtros* Iſaiæ 53. b. 4. *ac lãguores ipſe tulit, reuera factus eſt noſtra ſalus & purgatio.* Di*co equidem niſi expurgati fuerimus quaſi aurum in fornace, nunquã introibimus* P*aradiſum.* T*um ſecundus præſes,* V*idete, inquit, quẽad modum* Lutherani *iſti circuitione vtãtur.* Id *minimè rogamus: ſed dic an aliquis ſit locus vbi animæ poſt corporis ſeparationem purgentur,*

quãdo in vita nõ egerunt debitam pœnitentiã.Cui ille reſpõdit,Eheu mi domine,ſine me.ſcis enim certò quod in turba & perturbatione dicitur haud poſſe intelligi.dico iam tibi,Ieſum Chriſtũ ſua morte pro omnibus peccatis noſtris ſatisfeciſſe,nóſq; in eius ſanguine lotos eſſe,vt eſt in ſacris literis:Ipſe lauit vos in ſanguine ſuo,redẽpti eſtis non auro,ſed ſanguine Chriſti.Non legiſti epiſtolas D.Pauli,in quibus toties inculcatur,nos per ſanguinem Ieſu Chriſti mundos eſſe à peccatis? Epiſtolæ illæ,reſpondit ſecũdus præſes, pueris ipſis notæ ſunt. Quid pueris? inquit Aymondus, vereor ne tu vix eas legeris. Tum quidã monachus, Magiſter Aymonde inquit, vno verbo ipſis ſatisfeceris, ſi dixeris locum quendam eſſe in quo animæ quæ ex hoc corpore migrarunt,purgentur.Hoc inquit ille,tibi dicendum relinquo. Ecquid vultis me damnari,& dicere quod neſciam. Ibi denuò idem ſecundus præſes illum aggreſſus eſt,Ades,inquit, nónne tu iam moriturus ſperas adire Purgatorium? & qui moritur in peccato veniali, rectáne introibit Paradiſum? Ad hæc ille reſpondit,tantã ſe habere in Deo ſuo fiduciam, vt eo die in Paradiſum iturum eſſe certò confideret.Rogauit alter,vbinam eſſet Paradiſus.Ibi,inquit ille,eſt,vbi Dei maieſtas & gloria reſidet.Canones,inquit primus præſes, faciunt mentionem, vt canon,Animæ defunctorum,& alij:atque in tuis concionibus maximè ſemper commendabas pauperes. Ad quæ reſpondit, ſe verbum Dei cõcionatum fuiſſe,Canones verò non didiciſſe.Excepit mox præſes, Credíſne in Eccleſiam? Reſpondit ille, ſe credere verum eſſe, quod Eccleſia regenerata per ſanguinem Chriſti, fundata in eiuſdem verbo,ſtatuiſſet.Quænam ea eſſet Eccleſia,interrogabat præſes. Cui ille,græca vox eſt Eccleſia,quæ latinis ſignificat Congregationẽ ſiue Conuentum. Equidẽ dico,vt promiſit Chriſtus:Quotieſcũque fideles congregantur ad honorem Dei,religioníſque Chriſtianæ propagationem,verè inter eos eſſe ſanctum Spiritum. Ad hoc ſecũdus præſes intulit,Sequitur igitur ea ratione plures eſſe eccleſias:ac ſi conuenirent ruſtici,fore eccleſiam.Non eſt quicquam, inquit ille, abſurdi, plures haberi inter Chriſtianos,cœtus. ſic enim loquitur D. Paulus, Omnibus eccleſiis quæ ſunt in Galatia:tamen omnes illi cœtus vnicã conſtituunt Eccleſiam. Tum conſiliarius de Longa,Eccleſia,inquit,in

quan

quam credis, an non ea eſt, quam vocat noſtrum Credo, *Sanctam eccleſiã?* Ad hoc ille, *Confiteor ſanè, atq; de ea loquor. Ibi ſecũdus præſes interrogauit, quiſnam eſſet eius* Eccleſiæ *caput.* Ieſus Chriſtus, *reſpondit* Aymondus. *Non autem* Papa? *ſubdit præſes.* Non, *inquit.* Quid igitur? *Miniſter, ſi vir bonus eſt: quemadmodũ & Epiſcopi miniſtri ſunt, vt teſtatur caput quartum prioris* Epiſt. *ad* Corinth. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros & diſpenſatores arcanorum* Dei. *Rogatus autem an crederet* Papæ, *dixit neſcire ſe quiſnã ille eſſet.* Iterum *rogatus, ánne is eſſet ſucceſſor* Petri. *Si, inquit, ſimilis eſt* Petro, *fundatus ſuper veram* Petram Ieſum Chriſtum, *credo opera ipſius atque ſtatuta optima eſſe.* Hîc *præſes,* Miſeret *me tui, inquit, quia miſer homo exitio deuotus es.* Quid? *exitio deuotus ais, inquit* Aymondus, *& ſemel atque iterum repetens ea verba, exclamauit,* O *qualem mihi iſte affert cõſolationem! at ego contrà ſpero videre hodie* Deum *meum, ac* Patrem *meum: & quis me ſeparabit à charitate* Dei? *an gladius, an fames, an nuditas? non, nihil me ab ea diuellet: ſed me omniũ veſtrúm valde miſeret. his dictis illi egreßi ſunt,* Aymondus *cum monachis ſolus relictus eſt.* Non *ita multò pòſt exiuit ipſe ad ſupplicij locum ducendus: atque in egreſſu canere cœpit* Pſal. In *exitu* Iſrael *de* Aegypto. *ſubſtitit verò ante cuſtodiam* Palatinam, *ad captiuos reſpiciens, & clamans,* Fratres *mei, ſperate in* Ieſum Chriſtum, *ponite in eo ſpem veſtram, nec vos quicquam percellat.* Locutus *ſum de vobis cum ſecundo* Præſide, *oſtendens ei miſerias quas toleratis propter procraſtinationes iudiciorum: qui mihi promiſit ſe vos breui expediturum: fratres mei, vobis iam vale-dico,* Abeo *ad* Deũ, *qui & meus & veſter eſt communis* Pater. *precamini illum mecum, vt ſua me gratia dignetur.* Domina *cuſtos, gratias tibi ago pro tuis in me officijs, tibique commendo miſeros captiuos, vt te ipſis mitem exhibeas.* Ibi *conſcendit rhedam, atque egrediens* Palatium *orſus eſt iſtud:* Cæci *ſunt & duces cæcorum, aures habent, & non audient: oculos habent, & non videbunt, atque ita* Pſalmum *abſoluit vſque ad* S. Andreæ, *vbi illum incitabant vt veniam peteret à* Deo, Virgine Maria, *atque* Iuſtitia. Implorabat *quidem veniam à* Deo, *ipſiuſque iuſtitia: ſed* Mariam *nulla in re ſe offendiſſe dicebat: atq; in quo nulla eſſet*

M.

offenſa, nullam quoque veniam requiri. Inde *ductus fuit ad* S. *Legiæ, totóque itinere non deſtitit concionari populo, ſeipſum confirmans, atque exultans quòd pro Chriſto moriturus eſſet, qui pro ipſo horrendos mortis dolores perpeſſus erat.* Tum *quidam ſatellitum,* Perge, Perge, *inquit aurigæ: concionum plus ſatis habemus.* Ad hoc Aymondus *dixit,* Qui ex Deo eſt*, libenter audit ſermones de* Deo. Quum *autem præteriret quandam effigiem* Diuæ Virginis*, magna hominum turba non ſine contumelijs in eum vociferabatur, quia imaginem non ſalutaſſet: & quia vnicũ* Ieſum Chriſtum *aßidue inuocaret, non autem* Virginem Mariam. Quo *viſo ille vocem extulit,* Precor te Domine Deus*, ne vnquam permittas, vt quenquam præter te ſolum, ad auxilium implorem.* In *ipſo ſupplicij iam loco, cùm vellet condemnationis ſuæ rationem explanare, non licuit per ſatellites, ſed ferè à tortore in terram detruſus fuit: deſcendens autem de rheda,* Domini *mei, inquit, morior pro* Euangelio Ieſu Chriſti, *& verbo eius: ac plenius dicere volens, orſus eſt hoc pacto:* Chriſtiane*, audi me:* Quod *vt impedirent apparitores, magnos excitarunt tumultus, cum huiuſmodi clamoribus,* Tolle*, tolle, ne quid loquatur.* Quid*, inquit ille, an non per vos licebit mihi declarare populo, me nõ vt hæreticum ſed* Chriſtianum *mori?* Minimè*, clamabant cæteri.* Eheu*, quidni?* Ac *tum locutus eſt ſubmiſſa voce ad aurem parui illius* Carmelitæ*, quẽ antè conuerterat.* Carnifex *dein arreptum iußit conſcendere ſcalas:* Hîc *ille clamare cœpit:* Domine*, ad auxiliandum mihi feſtina, & nequid tarda: opus manuum tuarum ne deſpicias.* Ignoſce *iſtis, quia neſciunt quid agant. fratres mei,* Domini *ſcholaſtici, obſecro vos vt* Euangelio *operam detis: ſolum enim verbum* Dei *manet in æternũ.* Diſcite *notitiam voluntatis* Dei. *ne timeatis eos penes quos tantùm eſt poteſtas in corpus, non autem in animam.* Poſtremò *dixit,* Caro *hæc mirificè cum* Spiritu *luctatur, ſed eam continuò abijciam.* Domine*, in manus tuas commendo animam meam:* Domini *mei orate* Deum *pro me. ac ſubinde iterabat hanc precationem:* Domine Deus *meus, in manus tuas commendo animam meam.* Tandem *carnifex eum in ſcalis quaſſabat vt præfocaretur: atq; ita vir pius expirauit, corpus autem poſtmodò igne conſumptum fuit.*

Magna rabies idololatrarum.

Precatio Aymondi ante rogũ.

Atq satelles, nebulo ille, non libenter audivit sermones de Deo: &c.

MARTINVS HOEVRBLOC, *Gandauus.*

Gandauũ Flandriæ metropolis, vrbs ampliſſima, inter alia quæ accepit bonitatis diuinæ teſtimonia, maximum hoc meritò numerandum eſt, quòd plurimos verè Chriſtianos & pios homines habuerit, qui rectam ſalutis viam, Ieſum Chriſtum ſcilicet, docere omnino conati ſunt. Illa verò, vt pleræque omnes faciunt, nõ modò nullam ex eo gratiam habuit, ſed veritati pertinaciſſimè ſemper reſtitit, vt quos placidè excipere debuerat, crudelem in modum trucidarit. Quod cùm multis conſtet exemplis, tum ſupplicium de Martino *Hœurbloccio piſcium mercatore, religionis ac iuſtitiæ prætextu ſumptũ octauo die* Maij. M.D.XLV, *turpiſſimam illius vrbis ingratitudinem, atque inſignem crudelitatem ſatis & ſuper teſtatur.* Nam *quum ille in tenebris adhuc manens, omnis generis voluptatibus indulgeret, libidinum atque aliorum peccatorum, quorum ibi effrænis ad perniciem eſt licentia, particeps eſſet: obſeruantiſſimus interea traditionum atque decretorum* Antichriſti, *omnibus quidem gratus erat, ac pacificè & ſine inuidia viuebat, ſub imperio nimirũ fortis illius & armati principis degens.* Verùm *Dominus ille fortior miſeri iſtius hominis miſertus, à tyrannide* Satanæ *eum liberauit, eiúſque oculos cœno illo barbarico oppletos, aperuit. id verò opera primùm & concione cuiuſdam* Parochi, *qui nonnulla ſubinde ex purioris doctrinæ fontibus hauſta, cõcionib⁹ ſuis intexebat, populóque gelidè ſatis ac trepidè miniſtrabat.* Martinus *quidem ex iis fructum faciebat, & quicquid boni dicebat, tam auidè arripiebat vt ab illo immutatus fuerit, ac deinceps ab improborum conſuetudine recedens, ſeſe ad meliorem vitam conuerterit: pauperum domos tam noctu quàm interdiu frequẽtabat, cõſolando & re ipſos iuuãs, nec ſibi nec facultatibus parcẽs quò ægroto aut inopi ſubueniret.* Dominus *autem in hoc homine mirificè ſuã gratiam extulit, opúſque ſuum proſecutus eſt. nam ex quo cor illius, virtute* Spiritus *ſui in quadã concione iã dicti* Parochi *tetigit, domũ ille reuerſus res ſuas omnes cõpoſuit, ſũmo ſtudio, quippe ingẽtẽ ſitim iuſtitiæ explere cupiens, inueſtigauit piæ ac ſanæ doctrinæ homines, à quib⁹ ampli⁹ in pietate erudiri poſſet. Ac quo meli⁹ inſtitueretur vrbe egreſſus, per tres menſes vicina loca circumiit, in quib⁹ viros pios atq;*

Gandauum Flandriæ Metropolis

fidèles degere intellexerat. Poſtquam verò Gandauum rediјt multò quàm antea in veræ religionis doctrina inſtructior: ſummam admirationem ciuibus attulit tam ſubita ac noua in hoc homine vitæ mutatio. Pauci admodum nouæ creaturæ effectorem agnoſcentes Chriſtũ, gloriam ei debitam exhibuerunt: maxima verò hominum pars, vt fit, diuinum iſtud opus calumniantes, quod à Spiritu Dei profectũ erat, errori atque ſeditioni attribuebant. Tum etiam Satanæ adminiſtri & reliqui qui Antichriſti inſignia gerunt, ac præſertim ſtigmatici illi Franciſcani, quibus re ſalua & incolumi Martinus, adhuc idololatra cùm eſſet, profuerat, videntes tam opimam prædam velut è faucibus ipſorum ereptam, conſpirarunt aduerſus ipſum, eò quòd cum illorum ſuperſtitionibus & idolomanijs communicare nollet, ſed acriter eas reprehenderet. deinde quòd fideles in vinculis audacter adiret, & conſolaretur, eoſdémque ad ſupplicium quum ducerentur, pijs admonitionibus proſequeretur, neque ceſſaret vſque ad locum pœnæ deſtinatum conſolari, atque verbo Dei eos confirmare: ídque publicè atque in oculis omnium. Monitus autem per Parochum vt ad ſacramentum altaris ſumendum veniret: reſpōdit ſe velle ſumere ſacramenta Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſéque omnes eccleſias habere pro ſanctis, vbi purè verbum Dei annunciatur. quare, inquit Parocho, ſi tibi placet (vt iſtiuſmodi eccleſiæ miniſtrum decet, & pium paſtorem) adminiſtrare ſacramentum ex mandato Chriſti, gratiſsimũ mihi feceris, & libentiſsimè accedã. Id autem ſe nec poſſe nec audere reſpondit Parochus: verùm multis apud eum precibus inſtabat, vt contentus conſueto more, cum cæteris ad altare accederet. His itaque rebus compertis, & ad Antichriſti aſſeclas qui Martino aſſiduè inſidiabantur, delatis, tandem comprehenſus & in carcerem coniectus fuit: paulóque pòſt iam in vinculis interrogatus fuit per Iudices, quinam eſſent ſuæ ſectæ, eoſque vt nominaret precibus miníſque incitabant. Reſpondit ipſe, quòd ea ratione illos in odium & graue periculum vocare ſibi videretur. id quod non putaret licere vllo modo per ſecundam Legis tabulã. proinde graues tormentorum cruciatus perpeti malle, quàm illorum nomina prodere: Attamen ſi veſtrûm aliquis, inquit, me hac in re aduerſus prioris tabulæ præcepta peccare,

per

per Scripturam oſtendere poßit, nõ recuſo equidẽ Dei honorem præponere fratrũ meorum commoditatibus: paratus facere quicquid nobis in ea præſcriptum eſt, ſeruatis ſuo quibuſque ordine rebus. Interrogatus dein à monachis quid de ſacramento altaris ſentiret. reſpondit merum eſſe Deum panaceum, ſi ex decreto Papæ adminiſtretur. Protinus exceperunt ipſi, Non igitur credis corpus Ieſu Chriſti eſſe in manibus ſacerdotis, quum Miſſam celebrat? Cùm autem Martinus ad hæc dudum taceret, nec tamen cucullati illi aſini, moleſti eſſe deſinerent, incitando eum vt loqueretur: dixit, Chriſtum tam malè ab ipſis tractatum, vt in manus eorum redire nolit amplius. Tum iſti nebulones (toti in hoc vt ſeruos Dei omnibus iniquitatibus exerceant, moleſtiam moleſtia cumulent, atque afflictionem afflictioni addant: quod contrà Dominus vertit in ſuorum conſolationẽ, quando iјs ſpiritum prudentiæ largitur, quò aduerſariјs reſiſtant, eóſque attonitos reddant) proſecuti ſunt priorem de ſacramento altaris quæſtionem. Quandoquidem, inquiunt, ais nudum eſſe ſacramentum, cur tanti facis, illud ſub vtraque ſpecie recipere? Ad hæc ille: Elementa quidem per ſe nuda remanere, panem ſcilicet panem, ac vinum, vinum: ſed ſi ex præcepto Ieſu Chriſti exhiberentur, elementa tum ſibi eſſe in ſacroſancta ſigna magni illius myſterij, quod nobiſcum communicauit ſummus ille animarum Paſtor, Ieſus Chriſtus. Quòd autem exhibitionem ſub vtraque ſpecie tanti faceret, id iccirco ſe vrgere, quia neminem putaret mortalium tam arrogantem vel temerarium eſſe debere, qui vlla ratione Chriſti inſtitutionem immutaret, atque ad eã aliquid adderet, aut ex ea demeret quicquam: quoniam ipſe Deus & verus homo, ſatis fuiſſet ſapiens ad præuidendum incommoda, quæ acuti Eccleſiæ iſtorum doctores poſtmodò effinxerant. Tandem vir pius, poſt multas habitas magna tormentorum vi quæſtiones, vt homines ſuæ opinionis accuſaret, nec quicquã extorquerent carnifices, octauo, vt ſuprà poſuimus, die Maij, deductus eſt ad conſeſſum cõſiliariorum Flandriæ, qui in ea vrbe ſuam ſedem habent, in Caſtellum quod Comitis appellatur: ibique quòd ſæpemunero clandeſtinos, propter metum Phariſæorum, conuentus & piorum cœtus adiјſſet: quódque ſiniſtrè de maieſtate ſacramenti ſentiret: purgatorium Papæ, &

preculas pro defunctis prorſus reijceret, atq; ſubinde de errore admonitus non deſtitiſſet, neque mutare animum vnquam voluiſſet: his de cauſis lata eſt aduerſus Martinum *ſententia, vt ductus ad forum, quod vocãt* Pharaelidis, *viuꝰ in eo combureretur, atq; in cinerẽ corpꝰ redigeretur, cũ amiſſione omnium facultatum.* Cúmq; *iam in theatro ſtaret alligandus ad palũ, monachis cinctus, quidam* Franciſcanus *ad illum dixit,* Martine, *niſi conuertaris modò, ex hoc igne tranſibis ad ignem æternum.* Cui *ille modeſtè admodum,* Non *eſt, inquit, tuũ iudicare.* Im*portuna autem hæc monachi ad* Martinum *oratio, tantam populo offenſionem attulit, vt poſtmodò carmina ad ignominiã iſtiuſmodi raſorum compoſita, vulgò per plateas decãtata fuerint.* Hœurbloccius *itaque crudelem hanc & probroſam apud homines mortẽ, pretioſam verò & glorioſam in conſpectu* Filij Dei *&* Angelorum, *mirabili conſtantia pertulit, ad confuſionem hoſtium veritatis, & confirmationem* Eccleſiæ Domini *noſtri* Ieſu Chriſti, *qui è cineribus ſuorum martyrum (quicquid* Satan *& miniſtri eius machinentur) tanquàm è bona ſemente, frugem ac meſſem vberrimam producit.*

Flandricè *de verle place.*

IOANNES DE BVCK *ipſiúſque vxor, &* NICOLAVS VAN POVLE.

POſtridie *aũt, qui dies erat nonꝰ* Maij, *ibidẽ capite obtruncati fuerunt,* Gandaui *videlicet, eiuſdem* Conſilij Flandriæ *ſententia,* Ioannes de Buck *profeſſione* Sartor, *& alter quidam nominatus* Nicolaus van Poule. Vxor *item iam dicti* Nicolai de Buck, *viua in terrã defoſſa fuit, ob eaſdem cauſas, quas in ſententia pij* Martyris Hœurbloccij *recitauimus.* Atq; *omnes iſti præſentiſſimo animo mortẽ obierunt.* Deo *autem immortali honos & gloria tribuatur, à quo ſolo virtus hæc admirabilis proficiſcitur.*

LIBER

Liber tertius Actionum

MARTYRVM.

Hiſtoria excidii Merindolii, Cabrieræ, vicinorúmque locorum.

QVOD *priore huius hiſtoriæ* Martyrũ *cõfectione atque editione, daturos nos diximus pleniorẽ ac perfectiorẽ de* Merindolii *ac* Cabrieræ, *vicinorúmq; locorum excidio hiſtoriam, id nos iam vtcunque præſtare voluimus*. Itaque *tertius hic Actionum liber non immeritò ab ijs ſumet exordium, qui in* Prouincia Gallica, *ea loca incoluerunt in quibus non duo aut tres memorandi & cognoſcendi ſunt ob* Euangelium *morte mulctati, ſed populus certus, & maximus numerus vtriuſq; ſexus hominũ, atq; etiam puerorum & infantiũ, qui omnes malorum acerbitates omniáque genera mortis pertulerunt.* Ea *verò tantũ attingemus quæ ad cognitionem inſtitutionemq; fideliũ pertinere videbuntur.*

Qui *altius horum hominũ genus repetunt, aiunt à* CC. *fermè annis è* Pedemontio *in* Prouinciã *profectos, vt ibi habitarẽt, & multa loca inculta ac deſerta emphyteuſis titulo ac perpetuæ locationis nomine accepiſſe: quæ ab illis diligẽtiſsimè exculta, maximã frumẽti, vini, olei amygdalarũ, aliarúmque frugum ac fructuũ copiam protulerunt: in re etiã pecuaria, greges & armenta bona & copioſa habuiſſe: priuſquàm autẽ illi eò ſe contuliſſent, locum* Merindolii *inhabitabilem deſertum atque ſterilem planè fuiſſe. Sed boni homines,* Deum *timentes, in quibus* Deus *ſemper exiguum aliquod pietatis ſemen conſeruare voluit, quamuis diſsipati, atque ab hominum ſocietate ſegregati, cum beſtijs in terris deſertis vitam degere coacti fuerunt: quas tamen* Domini *benedictione & labore improbo fertiles reddiderunt.* In*terea tamen mundus eos maximè deteſtans, ita exhorruit, in eóſque omnia probrorum & criminum genera congeſsit, vt indigni planè quos terra ſuſtineret, viderentur.* Varijs *autem nominibus ſunt appellati, pro varietate regionum ac locorum, quæ incoluerunt.* Nam *in regione* Lugdunenſi, Pauperes *de* Lugduno *vocati fuerunt: in extremis* Sarmatiæ Liuoniæque *partibus,* Lolardi *ſunt*

Merindoliũ pagus in Prouincia.

Vualdẽſiũ variæ nuncupationes

Paupres de Lugdune

Lolardi.

nominati: in Flandria *&* Artheſia *, à loco deſerto , ac lupis expoſito,* T*urrelupini appellati : in* Delphinatu *ſūmo cōtēptu* Chagnardi *dicti, quaſi apricarij, quòd in locis apricis ſine domibus tectíſq; deſiderent.* A*ppellatio verò* waldenſiū *maximè omniū peruulgata illis remanſit, donec nomen* Lutheranorum *prolatum, quod inuidia, odio, infamiáq; cætera omnia opprobria ſuperauit. Sed in his tātis calūnijs & criminibus, reliquus populus, qui ad pedē* Alpiū*, & qui* Merindolij*,* Cabrieræ*que degit, ita piè , ac modeſtè ſemper vixit , vt in eorum tota conſuetudine ac vitæ ratione, timor* Dei *maximè eluxerit , ſumma fides & iuſtitia perſpecta fuerit. In exigua cognitionis luce, quam* Dominus *eis dederat, in eam vnam curam incumbebant , vt id quod habebant, magis quotidie accenderent, nullis rebus aut facultatibus ſuis parcētes, ſiue libri* Scripturæ *ſacræ parādi eſſent, ſiue homines optimo ingenio prædit, in doctrina pietatis inſtituendi, ſiue huc illúcq; mittēdi, etiā vſq; ad extremas mūdi partes, vbi aliquē lucis ſalutaris radiū exortū eſſe audiuerāt. Nā anno* M.D.XXX*, cùm intellexiſſent, in quibuſdā* Germanorū *atq;* Heluetiorū *ciuitatibus* Euangeliū *annūtiari, ad eas duos ex ſuis miſerūt,* Georgiū Maurelū*,* Freſſineriæ *natū in* Delphinatu*, qui apud eos concionatoris munus obibat, hominē pium, & quem in ſcholis erudiendum informandúmque curauerant, &* Petrum Latomum Borgundum*, vt de fidei pietatíſque doctrina cum fidelibus ac prudentibus eccleſiarum miniſtris communicarent , eorúmque formam rationémque totam in colendo* Deo *cognoſcerent, ac priuatim eorum ſententiam exquirerent de quibuſdam rebus , quæ tum ipſis nonnullam dubitationem adferebant . Quum itaque hi duo abunde omnia communicaſſent cum primarijs in* Eccleſia Dei *viris, videlicet* Baſileæ *cum* OEcolampadio*,* Argentinæ *cum* Bucero *&* Capitone*,* Bernæ *cum* Berktoldo Hallero *, ac per* Borgundiam *reditū inſtituiſſent,* Petrus Latomus Diuione *captus , in carcerem coniectus eſt:* Georgius *verò ſolus* Merindolium *eſt reuerſus, cùm libris & literis ac mandatis, quæ ab eccleſiis* Germanorum *adferebat. Eò autem cùm veniſſet, omnia legationis ſuæ capita expoſuit , eíſque declarauit publicè, in quot & quantis erroribus verſarentur, in quos veteres ipſorum miniſtri , quos* Barbas *eorum idiomate , id eſt,* Auunculos *vocabant*

Vvaldenſiū appellationi ſuccesſit Lutheranū nomen.

Vvaldenſiū inſignis pietas.

Legatio Vvaldēſiū in Germaniam.

Miniſter Vvaldenſiū Diuione capitur.

Turrelupini. Chagnardi. Valdenses. Lutherani.

Georgius Maurelius & Petrus Latomus à Waldensibus missi Basileam, Argentinam & Bernam.

vocabant, eos conieciſſent, atque à recta pietatis via abduxiſſent. Hæc populus cum accepiſſet, tanto ſtudio eccleſiæ emendandæ commotus fuit, vt ex ſocijs quos in Apulia *&* Calabria *habebant, natu grandiores, & vſu rerum grauiores peritioréſque accerſiuerint, vt cum his de emendatione correctionéque eccleſiæ conſilium caperent.* Res *autem ita fuit tractata atque agitata, vt vſque ad* Aquas Sextias, *quæ vrbs curialis eſt totius* Prouinciæ, *peruenerit, auréſque* Epiſcoporum, *ſacerdotum, monachorum, qui ſunt in* Prouincia, *vehementer commouerit.* Inter *cæteros prodijt quidam monachus ex ordine* Dominicanorum, Ioannes de Roma *appellatus, homo ad ſæuitiam & crudelitatem natura diſciplináque implicatus, qui ab* Epiſcopis, *legatóque* Auenionenſi *inquiſitionis venia poſtulata aduerſus eos qui ſectæ* waldenſis *&* Lutheranæ *nomine ſuſpecti eſſent, ex eo tempore nunquam deſtitit fideles homines vexare & affligere omnibus tormentis, quæ ad ſummam doloris acerbitatem excogitare atque exquirere poterat.* E *multis ab eo exquiſitis tormentis, hoc vnum fuit ſingulare, cíque imprimis vſitatum. implebat ocreas adipe ferueſcente, quas tibijs eorum aptabat, quos ſcamno alligatos & ſupinos interrogabat: eo modo vt tibiæ eorum ſuper exiguum ignem ſubiectum dependerent.* Primi *quos hoc tormenti genere cruciauit, fuerunt* Michelotus Serra Cábrierenſis, Marrus *appellatus, &* Gulielmus Melius, *& multi poſt illos alij, quos poſtremò grauiſſima atque acerbiſſima morte mulctabat.* Itaque Franciſcus *rex* Galliæ *de eius monachi ſingulari atque inaudita crudelitate certior factus, ad ſupremam* Prouinciæ *curiam ſeu parlamentum literas miſit, quibus iubebat illum quàm diligentiſſimè comprehendi, cauſáque eius informata & cognita eum ita condemnari, vt ipſe quamprimùm de illius condemnatione certior fieret.* Hic Ioannes de Roma, *intellecto per fautores periculo ſuo,* Auenionem *ſe recepit, vt frueretur ea præda & rapina quam inſignis latro in bonis fortuníſque* Merindolenſium *fecerat.* Verùm *præter ſpem ſuam ipſe prædo à domeſticis fuit expoliatus, qui ei opima illa ſpolia, latrocinio parta, eripuerunt.* Paulò *itaque pòſt incidit in morbũ ita grauem & acerbum, vt nulla adhibita fomenta aliquam doloris leuationem adferre poſſent. nullus erat, qui*

Vualdenſes Barbas no- min at ſuos mini ſtros.

De Roma monachus crudeliſſimus.

Tormenti genus inauditum.

De Roma fuga ſibi conſulit.

ob fœtorem qui ab ipſius corpore manabat, prope eum cõſiſtere poſſet: ne ipſi ſodales Dominicani *ferre poterant, imò ne ipſe quidẽ iam ferre poterat teterrimum illum odorem, qui è carne corporis exulcerata, ac vermibus ſcaturiente exhalabat.* Dolore *eum cruciante ac premente, ſæpe ita exclamauit,* Quis *me liberabit aut occidet? neque enim voluntas necis ſibi conſciſcendæ deerat, ſed vis & facultas.* Itaque *in his tantis cruciatibus doloribúſque corporis, atque in ſumma horrendáque animi deſperatione, homo impius & ſæuus, qui alios crudeliſsimè necauerat vitam ſuam miſerrimè finiuit.* Vix *etiam inuentus quiſquam eſt, qui eum vellet attingere, vt mandaret ſepulturæ, niſi monachus eius ordinis è* Nouitiorũ *gradu, qui pro optimo ſepulturæ iure atque honore, correptum & ligatũ pedibus cadauer in foueam ad id paratam pertraxit.* Poſt *mortem huius nefandæ belluæ, epiſcopus* Sextienſis *perſecutionem excepit & continuauit, vtens ad eam opera* Peironeti *officialis ſui, multóſque in carcerem conijciendos curauit, quorum nonnulli, magnitudine tormentorum ac dolorum, veritatem abiurarunt: alij verò qui firmiores & conſtantiores inuenirentur, poſteaquam hæreſis damnati eſſent, in manus tradebãtur ordinarij iudicis, qui tunc erat* Meiranus, *homo in hoc crudelitatis genere nobilitatus, qui ſine vlla cauſæ informatione & cognitione, eos quos* Officialis *hæreticos pronũciauerat, vltimo mortis ſupplicio afficiebat.* Is *non multo pòſt tempore, recepit mercedem ſuæ iniuſtitiæ ac ſæuitiæ meritam, quemadmodum poſtea videbimus.* Porrò *poſt obitum* Cuiſineti, *optimi præſidis, parlamentum* Sextienſe *complures fideles morte mulctauit, quandiu* Dominus Reueſti, *in ea ſumma curia locum primi præſidis obtinuit. qui quidem ea iuriſdictione ac poteſtate abdicatus,* Reueſtum *domum ſuam ſe recepit: vbi ea vi morbi & ſæuitia correptus atque agitatus fuit, propter quam vxor ipſius, cæteríque propius accedere ad eum non audebant.* Ita *rabie ac furore mortuus, dignas ſuæ iniquitatis & crudelitatis pœnas dedit.* Eius *officium & munus in ea iuriſdictione, magiſter* Bartholomæus Chaſſaneus *excepit.* Quo *præſide, anno à mortalibus ſalute reſtituta milleſimo quingenteſimo quadrageſimo,* Procuratore *generali* Re-

Horrenda mors perſecutoris veritatis.

Curię Sextienſis præſides aliquot.

gio in ſuprema Senatus curia, poſtulante, dicta fuit ad ſiſtendum iudicio dies Andreæ Maynardo, Ioanni Cambrio, Franciſco Maynardo, Ioanni Bonio, Antonio Palenco, Guilielmo Armantio, Michaeli Maynardo, Ioanni Palenco, Mondono Brumerollo, Facio Bernardo, Merindolij *pagi ciuibus, vt quibuſdam rebus de quibus in eos inquiri cœptum eſſet, reſpondere poſſent, ad ſtatum vt tempus vadimonium obirent.* Ac *omnes quidem ad diem præſtitutum vt vadimonium obirent* Aquas Seſtias *profecti ſunt: egerúntque cũ doctiſſimis quibuſque patronis, vt haberetur foreſi ritu deliberatio, videretúrque quẽadmodum ipſos ſe gerere, quomodo negotium adminiſtrari oporteret.* Quibus *patroni procuratoréſque reſponderunt, minimè ſibi licitum eſſe cuiquam ipſorum copiam conſilij ſui facere, quos à religione deſciuiſſe, atque in impietatis* Lutheranæ *ſuſpicionem incidiſſe cognouiſſent: tametſi quidem patronorum vnus aliquis appellatos ſeorſum vniuerſos ac ſemotis arbitris admonuit diligenter, non debere eos omnino in Senatum venire, niſi fortè ſenſim igni concremari, igni, inquam, ſtraminco, ídque ipſum indicta cauſa, ſtuderent ac cuperent. ſic enim ab eodem Senatu cautum atque conſtitutum eſſe.* Hac *oratione perculſi* Merindolienſes *vehementer obſtupuerunt, maximè verò cùm pleróſque viros bonos torqueri tam inhumaniter, ac cruciari ſuis oculis ipſi vidiſſent: nullam ob aliam cauſam damnatos, depreſſóſque ad ſupplicium, quàm quòd ſermones habuiſſent* Lutheranos, *animaduerſos à* Theologis *doctoribus, eóſque ad extremum vſque tutati eſſent: cùm hi quidem ſermones omnes & cum veriſſima eſſent coniuncti pietate, & locupletiſſimo Scripturarum teſtimonio confirmati.* Itaque *cùm patroni illius oratione, tum eo ſpectaculo perterriti* Merindolienſes, *vadimonium deſeruerunt, cóque nomine factum poſteà Senatusconſultum eſt, inde ſemper* Merindolienſe *Senatusconſultum appellatum: de quo maxima diuturnáque fuit* Lutetiæ *in Senatu, interpoſita ſcilicet à procuratore* Regio *prouocatione, contentio.* Hoc *Senatusconſulto non modò* Merindolienſes *ij, quos appellatos à Senatu docuimus, tanquam delati conuictique imminutæ humanæ diuinæque maieſtatis, flammæ, quamprimùm comprehendi poſſent, adiudicati, eorúmque proſcriptæ poſſeſſiones*

Citantur q[ui]dã Merindolienses viri numero 10 ad supremã Senatus curiã in Iurisdictione Sextiensi.

Merindolienses p[re]monentur à quodã Patrono, q[uo]d illis ag[...] consiliũ Senatus, q[uo]d [...] ab eo in ipsos constitutum sit: quare Merind. vadimoniũ deserunt.

Senatusconsultum de Merindoliensibus funditus extirpandis: q[uo]d deinde illi vadimonium deseruissent.

fiſco addictæ: verumetiã omnes quicunque Merindolium *ipſum(quo in loco fuiſſe octoginta circiter vrbana prædia feruntur) tũ viri tum mulieres incolerent ac inhabitarent, ne paruulis quidem exceptis infantibus, eidem incendio traditi damnatíque fuerunt.* Eodem Senatuſ *conſulto decretum, vt omnia, quæ tum illic eſſent, ædificia deturbarẽtur: vicus totus excinderetur: omnes ad vnum ab eo vico lapides, tam oliuæ, quàm alíus generis arbores (vt ea deſerta vagáq; colonia, habitationis in poſterum occaſio præcideretur) radicitus interlucarentur ac interciderentur.* Ac *ſenatuſconſultum quidem illud omnibus hominib⁹ adeò mirabile viſum fuit, nullus vt eſſet in* Prouincia *tota locus, quo non in loco de eo aliqua ſemper à patronis ac literatis hominibus excitaretur maxima contentione diſputatio.* Nec *deerant qui mirari ſe, profiteri publicè non vererentur,* Senatum *illum in tantam inſaniam incidere potuiße, decretum vtî tale faceret, tam perſpicuè iniquum, tam ab omni non modò ciuili iure & ratione, ſed etiam æquabili vitæ ſtatu ipſo, communíque ſenſu humanitatis alienum.* Violato *præterea ſolenni iureiurando illo, quod in omni* Curia *ſuprema ab hominibus muneris alicuius forenſis publici functionem petentibus fieri conſueſſet:* Iu*ſtè ſe videlicet æquabilitérque, ex præſcripto diuinæ* Legis, *populariúmque regni conſtitutionum eſſe iudicaturos, cóque iudicaturos modo, vt ſuis ſententijs* Deo *quidem ipſi plurimum ad honorem deferretur, ius ſuum vnicuique conſeruaretur ac tribueretur.* Ali*j contrà, qui decretum illud æquum affirmarent, in omni* Lu*therana cauſa neminem teneri iudicem iuri ac rationi locum dare,* Le*gum aut conſtitutionũ rationẽ habere, dicebãt:* Iudices, *vtram in partem ſtatuerent ferréntque ſententiam, errore duci non poſſe: nimirum id agentes, vt qui* Lutheranorum *nomine ſuſpecti eſſent opprimerentur.* Excipiebant *patroni, cæteríque non indocti viri, ex eo quod hi iam in ſermonem intuliſſent, facilè conſequi,* Iudices *huius ætatis eandem vſurpare planè rationem in proſequendis iudicio* Chri*ſtianis eis, qui vulgò* Lutherani *~~poſtulentur~~, quam olim* Sacrificos, Scribas, Phariſæos *in inſectando, condemnãdóque* D. *noſtro* Ieſu Chri*ſto, ſecutos* Euangelium *teſtatur.* Atque *eo ſanè modo illius decreti fama momẽto percrebreſcebat: neq; vſquam aut conuẽtus fiebat vll⁹*

appellentur.

aut

aut celebrabatur conuiuium, vbi de eo non agitaretur vltrò citróque certatio. Quinetiam duodecimo circiter die poſtea quàm interpoſitũ decretũ illud fuit, ſplendidiſsimum conuiuium in ea vrbe apparatum aiunt: eóque acceptum Bartholomæum Chaſſanæum *præſidem, compluréſque tũ* Senatores, *tum alios viros clariſsimos, ſummæque apud populum authoritatis:* Archiepiſcopum *etiam* Arelatenſem, *ipſúmque* Aquenſem Epiſcopum: *denique fœminas vrbe tota nobiliores: atque vnam quandam ex eis, quæ nuntio rumore populari ſcortum* Epiſcopi Sextienſis *vulgò teneretur.* Hæc *ipſa, vixdum cùm eſſet accubitum his verbis* Præſidem *adorta, ſic ait: Domine præſes, num ſenatusconſultum illud quod in* Merindolienſes *iſtos* Lutheranos *ſuperioribus diebus factum eſt, executioni mandandum iubere vis?* Ad *hæc, conniuens, nihil omnino præſes.* Mox *nobilis vir quidam petere cœpit,* Ecquod *tandem ſenatusconſultũ in* Merindolienſes *factum eſſet.* Illa *verò eodem quo factum eſſet modo à capite progrediendo ad calcem memoriter ac iucũdè recitauit nihil oblita, haud ſecus atq; ſi memoriam ipſius longè antè recordari cœpiſſet.* Audiebatur *interim à cõuiuis ſumma cum attentione & ſilentio, dum ſermocinationi ſuæ finem atque modũ ſtatuit.* Ac *tum quidem* Dominus Alencius, *vir & pietate inſignis, & in literis minimè contemnendus homo:* Didiciſti, *inquit, aut hanc ab aliquo fabulã, qui rem in illud vellet adductam iam eſſe diſcrimen: aut decretũ huiuſmodi ab aliquo muliebri ſenatulo factũ & profectum eſt.* Bona *verba domine* Alenci, *inquit ſenator* Senenſis: *non id, non id inquam, commentitium eſt, quod audiuiſti, ſed planè decretum* Senatus. Nec *verò tibi crebrius eſt vtendum eadẽ libertate diſſolutionéque verborum, niſi* Prouinciæ *quoque* Curiã *concilium ſenatúmque fœminarum appellari mauis oportere.* Alencius *tum ipſe locum excuſationi quærere, déque ſua perpetua erga viros illos voluntate polliceri: profiteri palàm nihil ſe quicquã velle dicere vnde vllius ſupremæ* Curiæ *dignitati detractum eſſe videri poſet: adduci tamen omnino non poſſe, verum id vt eſſe quòd mulier illa commemorauiſſet, arbitraretur: decreto nempè* Senatus *(qui quidem in* Prouincia *haberi cœptus ſit) totam* Merindoliorũ *nationem: fœminarum, proh dolor! impotentiam: miſerè vagientes in cunis infantes,*

Bartholomæus Chaſſanæus iuriſcõſultus conſuetudinum Borgundiæ interpres.

Conuiuiũ in urbe apparatum.

Colloquiũ de Senatus consulto.

Scortum Epĩ Sextiensis recitat Senatusconsultum in conuiuio, quod sc. ipso scortationis actu didicerat & cognouerat ab Amatore suo Episcopo.

Respondet D. Alencius.

hos inquam vniuerſos gladio crudeliter adiudicatos: vici totius ædificia omnia, ne qua eius in poſterum memoriæ vis exiſteret, ruinis & incendio: culpa præſertim ac vitio duodecim neſcio quorum hominum, quos in Senatu præſtò maturè non fuiſſe, vadimoniúmque deſeruiſſe conſtaret. Nec *ipſe quoque, inquit* D. Belloiocius, *perſuaderi mihi facilè patior, tale decretum, tam alienum à ratione, tam expers omnis humanitatis, tam impiè* Turcicum, *tã* Geticum *crudeliter ex* Curia *proficiſci potuiſſe: præſertim cùm quantum ego de* Merindolijs, *quos iam olim me noſſe memini permultos, iudicare ſanè poſſum, nihil in eis eſſe mihi videatur non cum integritate vitæ ſingulari, naturæq; bonitate quadam maximè coniunctum.* Eximerétque *hunc nobis, ſi videretur, ſcrupulum omnium optimè* D. *præſes. ſcitum eſt enim, muliebri teſtimonio ſtari ſemper, ac fidem haberi non oportere.* Mulier *interea quæ* Senatuſconſultum *aperuiſſet, expectandum ſibi minimè putauit dũ à præſide reſponſum auferretur, ſed conuerſa quamprimùm ad* Epiſcopũ Aquẽſem, Mirarer, *inquit, niſi proſiluiſſet hîc aliquis, qui ſceleratorum illorum ſtatim cauſam defenſionémque ſuſciperet. Sublatíſque oculis in cælum, ac muliebris iracũdiæ tumore feruida:* Vtinã, *inquit, omnes qui ſunt in prouincia* Lutherani, *ipſa denique tota* Gallia, *cornua in frontiſpicio gererent: non deeſſent vbique cornuti.* Cui *dominus* Belloiocius *extemporè,* V*tinam ſcorta ſacerdotum omnia loquerentur ea vocis articulatione, qua anſeres. tum illa,* Non *eſt, ô* Belloioci, *ſic obloquendum tandem matri noſtræ* Sanctæ Eccleſiæ: *nullus vnquam canis crucifixo oblatraſſe reperitur, qui non idem in rabiem actus aliquando ſit.* Aquenſis *tunc* Epiſcopus *arridere ſtatim cœpit, leuitérque mulieris humerum percutiens, ac petens dicere:* Per *ordines ſacroſanctos meos, gratiſſimum mihi feciſti, mea lux.* Illa *te perſtrinxit eleganter, ô domine* Belloioci, *retineto, quæſo, id quod ab illa tibi prælectũ fideliter ac præceptum eſt.* Non *moror, inquit* Belloiocius *ira paulò concitus magis, veſtrûm vtriuſque gymnaſiũ: nihil enim à vobis ambobus quod honeſtũ quidẽ ſit, aſſequi poſſum.* Itaque *licet* Epiſcopos *vt plurimùm atque ſacerdotes flagitioſos, adulteros, cæcos, idololatras, raptores fallaces, latrones, depeculatores,*

*ores, impoſtores appellarem, nihil alienum me dicere, aut omnino cõ-
itium* Eccleſiæ *catholicæ facere arbitrarer: inſectari me quidem in-
ceſtiſsimum ac importuniſsimum luporum, canum, porcorum, eiuſ-
demque generis brutorum animantium quoddam agmen & gregem
onfiterer: nec verò propterea rabiem mihi pertimeſcendam puta-
em, niſi fortè in rabiem impetu quodam animi ferimur eo tempore,
uo teſtimonium veritatis amplectimur atque conſectamur.* Ac tũ E-
piſcopus impotenter & furioſè, Malè tu locutus es, ô domine Bello-
*oci, loco ac tempore redditurus rationem eorum omnium, quæ tu
multa de viris* Eccleſiaſticis *intuliſti. Vellem profectò, inquit* Bello-
*ocius, primo quoque die iſtud accidere, neque moleſtiam ad eam
quam tu putas, temporis aliquid mihi prorogari. reciperem enim me
plura longe vitia ſacerdotum, grauiores* Epiſcoporum *noxas in lu-
cem editurum, quàm eæ ſint adhuc quas attulimus. Superſedeamus,
inquit præſes* Chaſſanæus, *hoc toto genere diſputandi, ô* Belloio-
ci, eiſque veſtigijs, quæ maiores noſtri fixerunt, inſiſtamus. Cui Bel-
*loiocius, Neſcio me filium eſſe ſacerdotis, beneficium vt illud huic ho-
minum generi debeam, vtî ſcelera quibus affines ſunt, mihi tuenda
exiſtimem hoc tempore. Veros autem* Eccleſiæ *paſtores ac miniſtros,
eruditione, vitæque confirmatione præſtabiles in honorem adducen-
dos eſſe facilè, minimèque contumeliarum aculeis compungendos
ſtatuo. Verùm, heus tu domine* Arelatenſis, *túque rurſum ô* Aquen-
ſis, cùm Dominus *noſter* Ieſus Chriſtus Hieroſolymæ *ſacerdotes,
hypocritas, cæcos, latrones, impoſtores eſſe diceret, híſque nomini-
bus illos honeſtaret, vobíſne contumelioſus erga eos ac maledicus
extitiſſe videatur? Minimè, inquiunt. Nec ipſe quoque, cùm* Epi-
*ſcopos iſtos atque ſacerdotes iſto modo ſum executus, eis iniuriam
obtuliſſe videri debeo. Sic enim ad eorum ſceleratiſsimæ vitæ com-
memorationem obſtupeſco horreóque totus, vtî ne mediam quidem
partem earum rerum quas de nebulonibus illis intellexi, audeam in
lucem apertumque proferre. Itaque ſi ad comprimendam meretricis
alicuius improbæ loquacitatem veritati ſubſcribo, non video quæ
tandem ex eo ſacerdotum animus afferri iure poſsit offenſio. Obſecro
miſſa iſthæc faciamus, inquit* Senator Senenſis, *meminerimúſque eo*

conſilio conueniſſe nos in hunc locum, nõ vt ipſi nos ægritudini dederemus, ſed vt perfuncti neceſſarijs occupationibus, ad animi remiſſionem ludúmque deſcẽderemus. itaque pro ea qua te complector beneuolentia, Domine Belloioci*, non pigebit admonere te triũ præceptorum, quæ ſi quemadmodũ quidem ego ſpero, tu tenueris, & te ſummum à nobis accepiſſe beneficium, & tuis omnibus rebus optimè conſultum eſſe iudicabis. Primum illud eſt, ne quos acceperis eſſe* Lutheranos*, eos vlla re vnquã aut omnino cõſilio aut verbo iuues. Secũdum ne mulieres in eo quod illis collibuiſſe, in deliciíſque fuiſſe ſentias, tibi cenſendas vnquam palàm, atque reprehendẽdas putes. Tertium, ne quid in vitæ genere ſacerdotum, quantumuis imbuto ſceleribus, quantumuis* Chriſtianæ *~~vel~~ profeſſioni contrario, non ſolùm animaduerſione dignum tu, ſed ne tantum quidem nefas animo concipiẽdum eſſe arbitrere: ſcitum eſt enim,* Nolite tangere Chriſtos meos. Cui D. Belloiocius *ita reſpondit: Quòd ad primum attinet, ego nec vllos noui* Lutheranos*, neque quid* Lutheraniſmus *ſit intelligo: niſi fortè* Lutheranos *eos eſſe definitis, qui doctrinam* Euangelicam *publicè profiteantur.* Nec *verò Senatus conſultum illud vnquam, quod in abſentes, indictáque cauſa, maximè fœminas & pueros, ipſos etiam vixdum in hanc humanæ vitæ lucem editos infantes, factum ita ſit, vt populum illum vniuerſum immaniſſimè trucidandum exurendúmque cenſuerit, æquabile ac legitimum eſſe meo iudicio poteſt. ne quid hîc de vlla* Galliæ *totius* Curia *ſuprema commemorem, de qua ſic ſtatuo, nullam vt inueniri poſſe profectò quæ decretum eiuſmodi fixum ac ratum ſit habitura, facilè mihi perſuadeam. Quòd autem mulieres reprehendi non putauiſti oportere, ſanè ſicundè reſciuero conſanguineam vllam meam adeò tranſuerſam atque fractam, vt omiſſa rei bene gerendæ occaſione vitium inferri ſibi à ſacerdote aut clerico quem vocant, (* Cardinalis *ille ſit, aut* Epiſcopus *) ídque quod antiquiſſimo loco ducere debeat, ſibi turpiter eripi permiſerit, non dignabor reprehenſione mulierem: ſed aut euulſo certè, aut illi præciſo naſo, teſtatum apud animos omnium relinquam quid egerit. Poſtremò, quòd in vitam irruere ſacerdotũ, alienum quoque à viri prudentis officio eſſe voluiſti, non impedio quominus eadem omnes impuni-*

tate

tate & licentia viuant, qua velint: ea tamen lege, dum meam mihi libertatem ipſi concedant, atque ita poſthac in domum meã venire deſinant. Certum eſt enim, ibi ſi quos offendero, detonſum eis ſic, raſúmque iri coronam ſacerdotalem, minimè poſteà laborandum eis vt ſit, vnde porrectum ad humeros capitis amictum inuenire poßint. In eandem ferè cum Senatore ſententiam & præſes Chaſſanæus ratiocinatus dicitur. Cæterùm egregia illa Aquenſis Epiſcopi amica, quam iam altercationis initium introduxiſſe oſtendimus, *Nondum mihi placebo, inquit, donec verbum adhuc vnum cum domino* Belloiocio *fecero:* Arbitraris ô Belloioci, *tot* Cardinales & Epiſcopos, Abbates & *ſacerdotes cæteróſq; ſacroſanctos viros, eccleſiaſticæ religionis alũnos ac miniſtros, qui in hominũ illuſtriũ quotidie domib⁹, regũq; ipſorũ ac principum palatijs maxima familiaritate verſantur, omnes hoc animo illò proficiſci, vt & mereri peßimè de principibus, & in* Dei *optimi maximi offenſionem incurrere poßint?* Equidem *ſi ſemper iſtius ordinis ſententiam tueri vis, nec ab opinione vnquam, obfirmatóque iſto animo facere diſceßionem, non dubitem te vocare (ſi* Deo *placet)* ex *iure manu conſertum, accuſaréque planè læſæ & humanæ & diuinæ maieſtatis. Suntque hoc in cœtu viri minimè ſanè verituri, inſtituti tui rationem à te aliquando repoſcere.* Vixdum eo *ſermone conſumpto, ſtomachabũdus* Belloioci⁹ *ac feruens*, Abi, *inquit,* ô Herodias, *ſcortum impuriſsimum atque impudentiſsimum. ſiccine tandem hiſcere te, hoc hominum conuentu decet?* Intelligeréne *potuiſti quid eſſet humana diuináque læſa maieſtas?* Non *deberes ſatisfactum tibi iam eſſe ducere, neque tanto conuitio ſanguinem humanum effundi curare?* His *verbis perturbatior aliquanto mulier, concertandi finem factura videbatur: iámque factum omnes qui aderant exiſtimabant: incumbebant in eã curã, vti nulla mora interpoſita ad facetias vrbanitatémq; cõuerſo ſermone ab iſtiuſmodi cõtentione diſcederetur.* At *mulier impatiens contumeliæ (vt interpretabatur) ſuperioris, qua ſibi ſanguinem innocentium obiectum meminerat, omnium interrupto ſermone vociferans ait,* Si *perinde vir ipſa eſſem, atque fœminã natura eſſe voluit, experirer ego mehercule duello tecum,* Belloioci, *iuréque vindicarem extremo, neque eam eſſe me quam tu tuis verbis*

Scortū.

Belloioci: sagt der huren die sich wardt.

Scortū.

eſſe voluiſti,neque cupidam vllo modo reſpergendi ſanguinis innocẽ-
tium. Quod vt ita quidem ſit, impiorúmne tu ſanguinem illorum,ſce-
leratorúmq; Merindoliorum,innocentium hominum ſanguinem inter-
pretaris? Deſidero profectò, meáque omnia in hanc rem vnã pollice-
ri ac conferre non deſino , vt peruerſiſſimæ nationis illius ſtatu con-
uulſo,omnes ad vnũ illi nebulones eorumque ſubſcriptores de medio
tollantur:idque videre aliquando vt poſſem,eorúmque cùm corpori-
bus extinctam planè memoriam intelligerẽ,quantum gratia,quantum
ſubſidijs amicorum efficere licuit,deniq; quoad efferre ſe meæ vires,
facultates effundere potuerũt,tantum artificio,labore, diligẽtia mihi
perpetuò conandũ exiſtimaui. Internecionẽ igitur & cladẽ Luthera-
norũ,ô Belloioci,ſanguinis innocentis effuſionem appellari placet. eia
perge videlicet vt inſtituiſti:ego verò,fremãt omnes licet,honoris mei
ſalua dignitate,próq; eo iure quod ego libenter matri noſtræ S.Eccle-
ſiæ debeo,quoties interdiu atq; noctu aut ad ſacerdotes exire aut do-
mos Epiſcoporũ celebrare mihi licebit,nõ prætermittã: at eos viciſſim
ipſa recipiam in domũ omnes familiariter, cũ eis initura rationẽ quẽ-
admodũ iſtos Lutheranos vniuerſos ad cædẽ & vaſtitatem deducere
poſſimus. Belloiocius mulieris garrulitatẽ faſtidiens,ſuperſedit.erat
enim nemo,qui non eã iã nunc in contemptionẽ adduceret, ac audiẽdi
ſatietate defeſſus eſſet.Interquieſcere tũ omnes occeperãt, cùm ecce
nobilis quidã adoleſcens iocò illã adortꝰ,dicere ſtatim cœpit,Neceſſa-
riũ eſt,ô domina,nefarios illos ac perditos homines in offenſa eſſe ve-
hementer apud te,quibus tu tam grauiter infenſa profectò ſis.At illa,
Equidẽ omni aſſeueratione confirmare poſſum,ex miſeris illis ac pro-
fligatis hominibus eſſe planè neminem quẽ ego nouerim,quẽ viderim:
longéque libentius in cacodæmones ipſos decem, quàm in illorũ vnicũ
incurrerim.nam ſic eſt eorum ſermo vitioſus,fœlices vt exiſtimẽ atq;
cum eis agi præclarè,qui nunquã de eo quicquã intelligere potuerũt.
méque nõ mediocriter erraſſe fateri debeo, atq; meæ culpã imprudẽ-
tiæ præſtare,quòd D.Aquenſem Epiſcopum ſemel aliquãdo conſpi-
cata perturbatũ & anxium eo modo,vt cibi ac potionis vſum amiſiſſe
videretur,vix precibus ac minis ab illo tãdẽ expreſſi cauſam ægritu-
dinis ac ꝑturbationis ſuæ.quã intellexi fuiſſe hãc, Regnare videlicet

hodie

hodie paßim genus quoddã hominum hæreticorum, noſtrã matrem S. Eccleſiam petulãtißimis maledictorũnotis inurentiũ. Hac ſopita cõcertatione, deductáque tandẽ ad otium, magna poſteà conſecuta perturbatio atque contentio, terroréſque non contemnendi propoſiti verborũ. de quibus hactenus. Longiores enim ſunt, quàm vt hiſtoriæ ꝓpoſitæ anguſtijs, includi poßint. Intereà præſes Chaſſanæus, & ſenatores ſimul ac nobiles illinc digreßi diuerſis itineribus proficiſcũtur. Ex eo tempore Archiepiſcopus Arelatenſis, Epiſcopus Aquenſis, Abbates nonnulli ac Priores, Præpoſitus Aquẽſ. cum quibuſdam ſenioribus Canonicis, non prius conquieſcendum ſibi putauerunt, quàm in locũ aliquem vniuerſi conuenirent, vbi de rebus quæ acciderant, deliberationẽ habere poßent. Quo in conuentu conſtitutũ fuit, vt vnuſquiſq; eorũ pro re nata & ſuſcepta, Merindolienſ. Senatuſcõſ. memoriam chariſsimam atque commendatißimam haberet: perſequeretúrque diligenter omnes vias, quibus illud ad extremum deduci poſſet: compararet nouas inſectationum faces, eáſque ipſas viuidiores atq; torrentiores, quàm eæ fuiſſent quas Ioannes de Roma Dominicanus de quo anteà diximus, excitaſſet. Alioqui enim agitur, inquiunt, ſtatus ac dignitas omnium noſtrûm: nemóque reperietur, cuius in reprehenſionem atque ludibrium non incurramus. Atqui leuis ac momẽtanea res ſit, ſi præter Merindolios, eiúſque generis idiotas ac ruſticos nemo nobis inſultaret, non etiam eſſent qui ferè perniciem Reipublicæ noſtræ molirentur: ſed præter ordinem eſt, emergere quotidie non paucos Theologos doctores viróſque religioſos, nonnullos etiam ſenatores ac patronos, alióſque reconditioris eruditionis ac ingenij monimentis præſtãtes viros, denique bonam partem (ſi dici licet) illuſtrioris nobilitatis, ſed eius quoque nobilitatis quæ altißimo loco ſita ſit in omniũ hominũ conſpectu, ac Europæ totius oculis, à quibus omnibus deſpicatui duci paulatim incipiamus, miniméque veri Eccleſiæ paſtores exiſtimemur: vt niſi diligẽter occurrimus & cauemus, non modò vt omniũ ſacerdotiorum quæ nos ampla ac lauta poßidemus, naufragium faciamꝰ, ipſique proſcribamur: verũetiam ne ſuis orba parẽtibus atque paſtoribus Eccleſia, ad triſtes miſerabiléſq; caſus poſtea properatura ſit, periculũ eſſe profectò videatur. Quamobrẽ in diligẽ-

Conſilium capiunt Epi, Abbates, Priores, Canonici & alii ejusmodi Diaboli mancipia de tollendis e medio Merindoliensib.

Causæ istius instituti. 1.

2.

tia & celeritate poſita ſunt omnia hoc tẽpore. Hac *habita inter ipſos oratione.* Archiepiſcopus Arelatenſ. *Hiſpanicæ calliditatis nondũ oblitus, retulit in eã ſententiã:* Aduerſus *nobilitatẽ nihil temere ſuſcipiẽdum, ſed applaudendũ omnino. illam enim omnium* Eccleſiaſticorũ *eſſe propugnaculum ac præſidium. Quòd quãuis nemini dubiũ eſſet plæróſque nobiles exiſtere, qui peſſimè de eis & loquerẽtur & exiſtimarẽt: nec ipſi quoque dubium haberent illos ex eorum hominũ eſſe genere, qui noui* Euãgeliſtæ *vulgò dicerentur: cauendum eſſe tamen ne eorum animos cõtrouerſiarũ anfractibus aut delationibus exulcerarẽt: ſed plus iam ſatis immutatos, largitionibus recolligere potius ac retinere ſtuderẽt: hoc artificio potiſsimùm, eorum ſe patrocinio, quaſi quodam vallo, tutos ac munitos fore. certũ enim eſſe, ſi quid aduerſus nobilitatis authoritatẽ ſplendorémque molirentur, ciuilium iudices cauſarũ eius cognitionẽ ad ſe reuocaturos, nullúmque ſe hac in re compẽdiũ facturos ipſos, quẽadmodum quidẽ clariſsimis antea monimentis & exemplis probatum atque conſignatum ſit.* Eleganter *id quidẽ & rectè, inquit,* Aquenſ. Epiſcopus: *at ipſe medicinam afferam non vulgarem qua morbus iſte ſanari facile poſſe videatur. Profundenda ſunt omnia, amici tentandi omnes, in eo denique cogitationes omnes noſtræ figendæ ac locandæ, vtì tanta* Merindoliorum *& ruſticorũ cædes efficiatur, nemo poſthac vt ſit, quantumuis affinitate ac ſanguine regio, qui ad malè de nobis, aut* Eccleſiaſtica *viuendi conſuetudine loquendum, vel os ipſũ aperire audeat.* Idq; *vt minori negotio conſequamur, antiquiſsimum eſſe videtur* Auenionem *concedere: qua in vrbe reperire liceat* Abbates & Epiſcopos *complures, alióſque in* Reipublicæ *luce ampliſsimos viros, non dubitaturos ſe nobiſcum ad noſtræ matris* Eccleſiæ *maieſtatem tuendam ſuſtinendámque coniungere.* Hoc *cõſilium cùm omnes approbauiſſent,* Arelatenſis Archiepiſcopus, Epiſcopus *ipſe* Aquenſis, *cæteríque coniuratores nihil prius habuerunt, quàm vt reiectis omnibus rebus,* Auenionẽ *quamprimùm proficiſcerentur.* Quò *cum veniſſent,* Epiſcopos *ipſos celeriter, viróſque totius illius ciuitatis opibus & gratia florentiſsimos atque potentiſsimos, vtì maturè de negotio deliberaretur, vnum aliquẽ in locum cogere cõſtituerunt.* Orandíque *prouinciã* Aquenſis *ſortitus* Epiſcopus, *traditionum*

tionũ paternarum acerrimus propugnator, in hanc rationem exorſus dicitur: Nõ ignoratis, ô patres fratréſq; chariſſ. aduerſa maximè tẽpeſtate ventorum iactari Ieſu Chriſti nauiculam: procelláſque concitatas, in illam eo impetu ferri, vt ſtrangulata propemodũ, parum abſit quin obrui ſe fluctuum inundatione reſorberíque patiatur. Ipſe turbo ab Aquilone proficiſcitur, quem eundem maximus motus rerũ omniũ perturbatióque conſequitur. torrẽtes vndique procurrũt ac profluũt, ſummáque iactura venti, ac propè naufragio noſtrarum omniũ rerum paſſim reflant, ínque domicilium noſtrum ſæuiunt. Nam oblationes feriantur, peregrinationes & deuotiones refrigerantur, charitas apud nos otio ferè congelauit, quódque peſſimè nobis cedet, authoritatis noſtræ magnitudo non mediocriter inflecti, iuriſdictio præuaricari, rei eccleſiaſticæ ſanctiones infirmari perfringíq; cœperũt. at ipſi hoc potiſſimùm loco conſtituti, populorũ regnorúmq; ditionibus præfecti quodãmodo ac prærogati ſum⁹, vt etiã abrogare ac diſſoluere omnia, ac perrumpere ſoli poſſemus. Quamobrem ſeriò quæſo expergefiamus, ínq; poſſeſſionis noſtræ iure conſiſtamus, vt Lutheranorum familiam totã: Lutheranorum, inquam, illorũ vulpium, vineã D. nõ decuſſantium ſed ſubuertentium: Balenarũ, filij Dei nauiculam non conſtituẽtium ſed ſubmergẽtium fundit⁹, ex hominũ omni memoria deleamus. Incepimus quidẽ certè iam non inauſpicatò meo iudicio, atq; vt in Lutheranos illos impios Merindolios, Senatuſcõſ. horrendum ingẽs, tandiu Præſidũ ac Senatorum pectoribus incluſum, aliquãdo tandem erũperet, foráſq; ꝓijceretur, maximo Reip. bono perfecimus: eóque rem planè deduximus, nihil vtî cogitãdum hodie nobis ſit, niſi vt cõcinnati iam operis reliquias fortiter diligẽtérq; ꝓſequamur. Quapropter, ô viri, laboremus, efficiamus, occurramus, ne quod interim rebus præclarè geſtis impedimentum inferatur, denique caueamus ne, ſi in tam pio chriſtianóque faciundo ſacrificio pecuniæ parcimus, aurũ noſtrum & argentum extremo illo diuini iudicij die nos perſtringere ſuo teſtimonio poſſit. Ego quidem pro mea parte polliceor, in meq; recipio, me cũ maturum erit, cẽtum homines armatos rebus omnibus diligẽter inſtructos Reip. curaturum, eíſque ſtipendium, quoad exitiũ & internecionem perditis illis nebulonib⁹ intulerint, propria pecunia numeraturũ.

Querela ob imminutam Eccleſiaſticorum rerũ.

Aquenſis Epiſcopi oratio plena minarũ.

Hæc oratio cùm vehemẽter multitudini placuiſſet, Baſsinetus *Dominicanus,* D.*theologus, referre ſic inſtituit:*Con*ſilij magni rem eſſe. itaque in ea verſari religioſè, neque temerè quicquam efficere oportere. Si enim iniuria miſeros illos ac ærumnoſos homines morte mulctẽt, eáque facinoris atrocitas ad* Regẽ Princi*péſque perueniat, periculum eſſe ne in ipſos idem ſtatuatur, quod in* Sacerdotes Baal *meminit religionis antiquitas. Cogi ſe nunc demùm ingenuè fateri (quod ipſi tamẽ confeſsionis vice dictũ exiſtiment) eorum qui hæreſeos accuſati ſæpè ſint, pleráſque cauſas atque lites à ſe leuiuſculè profectò ſubſignatas:* Deũ *tamẽ qui & nos intueatur, & omniũ noſtrûm corda ſcrutetur, obteſtari poſſe, vt primùm ſubſignationũ ſuarũ triſtes euẽt⁹ ipſe viderit, ſe videlicet ſuíque ſimilibus doctoribus referentibus, ciuilium iudicum ſententia capitis dãnatos eos, quos ipſi hæreticos pronuntiaſſent, impeditum cõſcientia requieſcere ex eo tẽpore nõ potuiſſe. Perturbationis illi⁹ animi ſui cauſam hãc eſſe, quòd paucis abhinc mẽſibus Scripturarũ deſiderio cupidior, eas propius inſpicere cœpiſſet, ex quibus cõperiſſet maximã partẽ eorũ propoſitorũ, quæ tuerẽtur ij qui* Lutherani *vocarẽtur, adeò cõſentaneam & affinẽ* Euãgelio, *vt ipſe quidẽ in poſterũ ei reclamare nõ poſſet, niſi fortè de induſtria* Dei. opt. ma. *præceptiones impiè petere, atque hoſtiliter inſectari vellet. Se tamẽ, quod* S. *noſtræ matris eccleſiæ,* S. *patris noſtri* Papæ, *ac ordinis commodo facere potuerit, doctorum* Theologorũ *opinionibus hacten⁹ adſtipulatum: idque tũ ignoratione, tum ne quid alienum ab* Epiſcoporũ, Vicariorũq; *generaliũ voluntate ac libidine quærere videretur. Iã verò cõmutandam planè illã totam vitæ rationẽ, deligendũq; aliud hac in re quoddã artificij genus ſibi videri. Satis eſſe, eos qui fuerint in eccleſiaſticis, põtificiíſque cõſtitutionib⁹ perſtringẽdis intẽperãtiores, pecunia exilióue mulctare. de cæteris ita cõſtituere vt qui blaſphemi, hæreticíq; pertinaces Scripturarũ teſtimonijs apertè cõuicti deprehẽdentur, ad mortẽ profectò illi quemadmodũ criminis ipſius ratio poſtulabit, aut perpetuos certè carceres mittãtur.* Petere *autẽ ſe tãdem ab illis, vt ſuam opinionẽ æqui boníq; cõſulerent.* Hactenus Baſsinetus: *cuius admonitio cùm omniũ animos vehemẽter, tum* Aquẽſ. Epiſcopi *magna cũ admurmuratione præcipuè concitauit.* Itaq; Epiſcop⁹, O *homo paruæ fidei, quare du-*

quare dubitauiſti? Ha ha magiſter.n. adeon' te rectè feciſſe pœnitet? Dictitaſti quædã hîc tu palàm faſciculos ſulphuratos haud dubiè reſipientia. Intereſſéne tibi videtur aliquid inter hæreſes & blaſphemias quæ in Scripturas afferũtur, & opiniones matri noſtræ S. eccleſiæ, ipſiq; diuo P. noſtro D. Papæ, in terra Deo veriſſimo cõtrarias? tu magiſter es in Iſrael, & iſthæc ignoras? Tũ Archiepiſcopus Arelatẽſis, *Magiſter noſter, inquit, tibíne videtur de Ieſu Chriſti nauicula diſputari poſſe rectius à quoquam quàm eſt à D. Aquẽſ. epiſcopo diſputatũ? Sanè, inquit* Baſſinetus, *Epiſcopi reuerẽdiſſimi cõcio expreſſit elegãtiſſimè mores, vitæq; cõditionem hominũ Eccleſiaſticorũ: fuítq; reprehẽdendis etiam mortaliũ hui⁹ ætatis vitijs & hæreſibus accõmodatiſſima. Itaque cũ primùm de Ieſu Chriſti nauicula fieri mentionẽ intellexi, tum demiq; reuocare cœpi memoriã ſacrificatoris illi⁹ maximi* Hie*ruſalẽ, Sacerdotũ, Doctorum legis, Scribarũ, Phariſæorũ, qui cõſtituti paſtores in* Eccleſia Dei, *aliquo certè tẽpore ad gubernaculũ illius nauiculæ ſẽderunt: at poſtquã legem* Dei *repudiantes, hominũ conſtitutionib⁹ ei ſeruire voluerũt, iratus ipſe hypocritas illos operoſos omnibus reb⁹, euertẽdos cauit: tũ verò miſertus hominũ qui ad ouiũ ſimilitudinẽ deſtituti paſtore vagabãtur, demiſit ſedulos piſcatores, vt homines expiſcarentur: in meſſem ſuam operarios, in vineã inſtitutores cultoréſq;: quæ omnia cõſecuta maturitatẽ legitimos ætatis fruct⁹ afferẽt. Secũdo loco,* D. *epiſcopi orationẽ audiẽs, ſuccurrit ſtatim 4. cap. 1. ad* Timoth. *Emergẽt, inquit, extremis tẽporib⁹ deſciſcẽtes à fide, ſpiritus immũdos & diaboli dogmata ſectãtes: ſubijcítq; ſtatim* Paulus *ſigna quædam quib⁹ illi cognoſci poſſunt.* In *eandẽ quoq; rationẽ &* D. *noſter* Ieſus, *ait* Matthæi 7, *Pſeudoprophetas, qui veniunt ad nos induti veſtib⁹ ouium, intrinſecus aũt lupi rapaces, ex fructib⁹ cognitũ iri.* Ex *his duobus, aliíſq; ſimilibus pleríſque locis intelligere procliue eſt, quinã demum ij ſint, qui* Chriſti *nauiculã euertere, ac machinis omnibus perfidioſe deprimere conẽtur. Ii videlicet omninò, qui illã cœno & luto, aquíſque putredine tabeſcẽtibus perfundunt: qui* Chriſto, *aquæ viuæ fonti limpido atque perpetuo, vt puteos interuſos ac hiantes ſibi defoderent, nuntium remittere non dubitauerunt. Ii certè, qui ſe terræ ſal eſſe (ſaporis habentes nihil) vulgò iactitant, qui ſe* Paſtores

appellitant, cùm nihil minus ipſi ſint quàm certè paſtores, huiúſq; cognomenti profectò longiſsimi temporis præſcriptione ius amiſerint. Non enim paſtum legitimum ouibus impertiuntur: non ipſum verbi diuini panem diſcindunt atque diſtribuunt. Ac ſi tāti myſterij piaculum efferre planè licet, nunquid eiuſdem hodie miraculi prodigiíque ſit, Epiſcopum nos vnum aliquem concionantem audire, ac aſinum pegaſeo traiectu per aera volitantem conſpicere? Nunquid à Deo diris omnibꝰ defixos eos ac deuotos intelligimꝰ, qui ſe claues regni cælorum habere gloriātes, nec ingrediuntur ipſi, nec eos qui veniunt ingredi patiuntur? Innoteſcent illi ſuis ſanè fructibus, abiurauerunt enim & fidē, & iudicium, & miſericordiā, neq; in illis præter veſtimentorū ac lineorum ſuperficiem, ſpecioſum eſt quicquam ac candidum: intrinſecus autem luxuria ac mulieroſitate delibuta omnia. Extrinſecus nitidi quidem illi plus ſatis, in receſſu verò rapinis & ingluuie ſordidi ſupramodum ac vitioſi. Nempè ſepulchra ſunt dealbata quædam, quæ ſplendorem atque venuſtatem præ ſe ferētia, intrinſecus obſcœnitate turpitudinéque deformata diffluunt. Innoteſcēt, inquam, ſuis fructibꝰ illi lupi rapaces, qui prætextu longiſsimarū orationum, ſuperſtites ſugunt ipſos ac mortuos. Itaq; quando progreſsi eò ſumus vt cōcedendū veritati ſit, me'que magiſtrū in Iſrael ipſi dicitis, Scripturarum teſtimonijs aſſerere nō verebor, magnū illum gubernatorem Papā, ipſóſq; vectores ac remiges Epiſcopos, ſimileſq; nauiculatores, qui vt ſcaphas conſcēderent, Ieſu Chriſti nauiculā impudētiſsimè deſeruerunt, pyratas, pſeudoprophetas, impoſtores, nō Eccleſiæ Chriſtianæ paſtores exiſtere. Vix abſoluerat Baſsinetus ſermonem inſtitutum ſuum, cùm vniuerſa multitudo circūfundi ſtatim, editóq; murmure in illum inuehi cœpit. At Epiſcopus quidem Aquēſ. inclamans atq; vociferās, Exi foras, inquit, apoſtata ſcelerate: nec enim dignus es, qui nobiſcum hîc ſis. Diſpereunt incendio quotidie quāplurimi, ſed eodem tu incēdio dignior. Itaque videmus nullum hominū genus paſsim in fide conſtātius, in fide feruentius canonicis doctoribus: eſtq; primo quoque Generali cōcilio futurum operæpretium, edicto publico ſanciri, ne quis præter Canonicos doctores viros religioni manum admoueat, ab iſtis enim monachis nebulonibus omnia peſſundatum, omnia conuulſum iri.

Mendici

Mendici tum reliqui doctores audacter illũ incuſare, expoſtularéque cum eo cœperunt de iniuria, qua ordinem vniuerſum homo concitus afficeret, nõ ſine maximo vtrinque motu ac tumultu: eóque tãto, vt tum quidẽ de negotio cõfici minimè potuerit. A prãdio vniuerſi illi venerãdi Præſules conciliũ habuerũt, Mẽdicis reiectis minimèq; conuocatis ac monachis, niſi ſi quis inter eos Abbas exiſteret: tandemque interpoſito iureiurãdo conſpirauerunt daturos ſe quãprimũ operã vt Merindolienſe Senatuſconſ. expediretur: pollicitiq; ſunt ad vnũ omnes, certũ ſe numerũ armatorũ hominũ ſingulos effecturos, ac pro parte, quantũ quidẽ ad Merindoliũ euertẽdum ſatis eſſet, ſtipendiũ eſſe ſoluturos. Mãdauerũt Aquẽſi Epiſcopo, Præpoſitoq; canonicorũ, vtî rẽ ſumptibus cõmunibus perſequerentur: omniq; artificio præſidi atq; ſenatoribus perſuaderẽt, metu minimè premẽdã Senatuſconſulti quod ipſi fecerint expeditionẽ: ſed imperterritis animis, adhibito tubarũ cãtu, prolatis ſignis, cõductis in rẽ præſentẽ machinis ac tormẽtis, in aciẽ quaſi ꝓdeundũ. Hac ita conflata cõſtitutáq; cõſpiratione, Aquenſis epiſcop⁹ Auenione ſtatim Aquas Sextias, mãdatũ effectur⁹ ꝓfectionẽ moliebatur. Intereà tamẽ cũ rogatus vt lautiſſimo cuidã cõuiuio, quod poſtridie domi Riuiẽſis Epiſcopi parabatur, intereſſe vellet, expectat. Eodẽ conuiuio & mulieres Auenionenſes eæ, quæ cæteras pulchritudine, exiſtimationéq; omnes antecellere ferebantur, ad reficiendã ex tot quotidianis Eccleſiaſticis laborib⁹ præſulũ iſtorũ humanitatẽ & cõſcientiã, accipiuntur. Confecto prãdio, ductis choreis, alea ludẽdi reperto fine, qualia menſas Epiſcoporũ vulgò ſubſequũtur, reuerẽdiſſimi viri cœnã expectantes, in ambulationẽ veniẽdum ſibi putauerũt. Itaq; tranſeuntes via Menſularia, ducentéſq; ſub axillis ſinguli domicellas, quas vocãt: cõſpicati quendã imaginũ inhoneſtiſſimarum vẽditorẽ, eam ſcripturæ vim præ ſe ferẽtiũ, qua animi ad libidinẽ incẽdi facilè poſſẽt, ad illũ vniuerſi cõfluxerunt. Coemptæ omnes ab Epiſcopis imagines, ac plures quoq;, ſi fuiſſẽt: tametſi quidẽ erãt ea multitudine, vt muli legitimum onus hominum opinione perficere poſſe viderẽtur. Quòd ſi quid aut ænigmate obſcurius, aut difficultate ſubtilius ea pictura contineretur, totum ab eruditis ingenioſiſq; præſulibus in promptu, iucundéq; deridebatur. Erat in eadem via etiam librarius quidã peregrinus, facturus auctionẽ Bibliorũ, quorundam Latinorũ, Galli-

Hiſtoria librarii ob Biblia Auenione vẽdita exuſti.

corũ, quorum ipſe numerũ aliquẽ venditioni iam expoſitum habebat, libros aũt præterea multos. quẽ præſules intuentes, mirati ſunt, ab eóq; petiuerunt, qua audacia fret⁹ eas merces tali in vrbe venales propoſuiſſet. nũ talium auctionẽ librorũ interdictã meminiſſet. quibus librarius, Nũquid & vos, inquit, Biblia ſaltẽ in tanto beneficij loco ponitis, támque bona & excellẽtia putatis, quàm illas imagines & picturas, quas ad harũ domicellarum voluptatẽ cõparaſtis? Vix poſtremũ librari⁹ verbum abſoluerat, cùm epiſcop⁹ Aquenſ. eodem veſtigio intonuit, Abiuro paradiſi partẽ meã totã, niſi Lutheran⁹ iſte ſit. Heus, heus, inquit, cõprehendatur. Mox abrept⁹ in carcerem cõtumelioſiſſimè deductus fuit. nã cohors quædã ganeonum ac latrunculorũ, quæ præſules ꝓximè cõſequebatur, vt illis gratificaretur, vociferari ſtatim cœpit, In Lutheranum, in Lutheranum, ad ignem, ad ignem. Mox vn⁹ ei pugnum impingebat, alter capillis abreptum præcipitẽ ferè in terrã dabat, terti⁹ ei barbã auellebat: adeò vt tot⁹ cruore maderet miſer, antequã in carcerem ꝑductus eſſet. Poſtridie adductus in iudicium præſentibus Epiſcopis, in hanc rationem interrogatus fuiſſe dicitur: Venaliáne propoſuiſti hæc Biblia, atque hæc Teſtamenta Gallica? Feci, inquit. Neſciebas in toto Chriſtianorũ orbe ꝓhibitum, ne Biblia excuderẽtur aut venderẽtur alia lingua, quàm Latina? Sciebã oĩo aliud, inquit, quũ Imperatoris priuilegio Gallicè cõuerſos Bibliorũ codices permultos à me diſtractos eſſe meminerã: nec Imperatoris priuilegio ſolùm, ſed & Regis ipſius, Lugdunẽſib. typis excuſos: nullũ ſe locum inter Chriſtianos audiuiſſe, nullam eſſe hodie regionem ſcire dicebat, in qua nõ idiomate populari Scriptura loqui cœpiſſet. num qui Auenione cõmorarẽntur, ſoli eſſẽt ex vniuerſa Chriſtianorum ratione, apud quos Patris cæleſtis inſtrumẽtum odio inuidiáq; premeretur. cur impedirent, quominus authentica monumenta literarũ, quib⁹ aſſertio diuina cõtineretur, vtiq; ꝓferrentur ac illuſtrarentur. idne interdicere ac tegere niterentur, quòd Chriſt⁹ ipſe detegendum, ꝓferendúmque mandaret. neſcirent permiſiſſe Chriſtum Apoſtolis omni linguarum loqui varietate, vt omni creaturæ nuutiaretur & innoteſceret Euangelium. quin libros atque picturas, quibus omne genus obſcœnitatis ac flagitij ad parendum libidini, Deúmq; negligẽdũ cõprehẽderetur, interdicerent.

liceret. Quæ tādē arrogātia, quod faſtidiū intolerabili⁹ ſit, quàm Dei *opt. max. ſcripturas, quib⁹ animi paulò magis tenebris obducti, ad veritatis lucē adduci: vagi diſperſiq;, ab errore ad viā ſalutis æquabilē traduci poſſint, interdicto publico prohiberi! Quæ ſæuitia, quæ crudelitas miſeris animab⁹ ea quibus alūtur, quib⁹ educātur eripere!* Atqui *redituros de eo rationē reuerendos præſules qui ſuauib⁹ reb⁹ amaritudinē, amaris dulcedinē ſuauitatēq; tribuant, qui deprauatiſsimorū librorū picturarūq; voluptatem aucupētur: quæ ſunt ſpiritus atq; veritatis facilè cōtemnant.* Ac *tū quidem* Epi*ſcopi furore impotenter impio diſrumpebantur, crepitúq; dentium interuallato minimè verebantur animū ſuum ipſa maleuolētia ieiunum & inanem inſani ꝑdere* Iudicibus. *Qui cùm furoris impetū illius ferre non poſſent, conclamarunt omnes vna voce, Quid opus illum interrogari pluribus? mittendus rectà in ignem eſt, ne quid ipſi de illo verboſius.* Laberius *iudex, aliíque nonnulli qui iudiciū illud exercebant, in eandem cum* Epi*ſcopis ſententitiam adduci non poterant. intelligebāt enim minimè iuſtā ſatis habere ſe cauſam rei condemnandi, miniméque ex æquo & bono ſatis hac in re verſari poſſe.* Itaq; *cenſebant irrogari ſolùm ei mulctam honorariam, ipſumque* Præ*ſules eos à quibus in iudicium vocatus eſſet, veros eſſe* Eccle*ſiæ paſtores, agnoſcere profiteríque oportere.* At *librarius id ſe ſalua cōſcientiæ ſuæ religione, facere non poſſe oſtēdit, quādo flagitioſas ab illis ſuſtineri picturas atque libros, verbū* Dei *haberi pro derelicto conſpiceret: eáque ſe de cauſa ſacrificos illos potius quoſdam* Bacchi ac Veneris, *quàm* Eccle*ſiæ catholicæ paſtores eſſe exiſtimare, quamobrem ilico poſteà adiudicatus igni fuit, ac eodem ipſo die morte mulctatus.* Ge*ſtabat autem in ſignum cauſæ condemnationis, Bibliorum codices duos: vnum à gutture porrectum ad ſtomachum, alterum à ceruice ſpectantem ad humeros.* At *in his aſperitatibus rerum, vitióque temporum, ei ſolatium dabat* Diuini *verbi commemoratio, quam fixam in corde, in ore promptiſsimam habebat.* Nec *verò ceſſabat in ipſo itineris curſu, eóque loco ac tempore, quo ad ſupplicium raperetur miſer, populum hortari ac monere vt* Scripturas *perluſtraret ac euolueret: cuius oratione, pleríque permoti, veritatis, quam oppugnabant ſtudium accuratiſsimè poſteà perſecuti putantur.*

Esa: 5. 20.

Act: 7. 54.

Luc: 22. 71.

Mulcta honoraria.

Sacerdotes sacrificij Bacchi & Veneris potius sunt quam Catholicæ Ecclesiæ pastores.

Miſcebatur interim populo motus ac ſeditio ſuboſcura quædam, cùm quòd eius viri mors iniquiſsimo iudicio pronunciata videretur, tum verò quòd ſacroſanctos vtriúſque teſtamenti libros ignominia quodammodò notari cœptos magna pars hominū exiſtimaret. Quod cùm Epiſcopi animaduerterent, timoréque propoſito populo facilius imperare poſſent, proclamandum præconis voce in vrbe quidē, comitatúque Veniſsiæ toto curauerunt, vti quicunque libros haberent vllos Gallicos, mentionē aliquā omnino Ieſu Chriſti faciētes, eos ipſi libros aſportarent, manibúſque ſubijcerent eorū, qui delegati nominatim ad hanc rē eſſent: aliter ſi facerent, atque penes eos hi libri reperirentur, fore vt morte quoque ipſi plecterētur. Comparatis igitur à D. præſulibus, atque compoſitis ad Chriſtianorum inſectationē omnib⁹ rebus, Aquēſ. Epiſcopus Senat. Merindioliēſe perſecuturus ex vrbe proficiſcitur. Aquas Sextias vbi peruenit, accurrit quamprimùm ad præſidē Chaſſanæum, huic molitionem quam Auenione fecerint, oſtendit: mirificè de præſulum eorum qui quidē in Prouincia, Auenionéque ſint, omniū erga ipſum voluntate pollicetur, ſiquidem Senatuscōſ. quòd factum iam ſit, nec non ad opus tandem deductum iri planè ſperetur, extrema perſequi velit. Obiectis eo modo magnis ab Epiſcopo, ac infinitis propè pollicitationum molibus, Chaſſanæus præſes reſpondit, rem neque parui negotij eſſe, neque mediocris deliberationis atque cōſilij: itaque quòd decretum ipſi tale feciſſent, eo conſilio factum potius, vt Lutheranis, quorum multitudinem augeri quotidie intelligebant, metus incuteretur, quàm vt reuera id efficeretur quod ipſius decreti capitibus cōtinebatur. Tum Epiſcopus, Video inquit, nobiles eos qui aderant nobiſcum nuper in conuiuio, facultate dicēdi ſua cōſecutos apud te plurimum, ſaltem inieciſse tibi ſcrupulum. Cui præſes, Merindolienſe decretum nondum planè diffinitiuæ eſt ſententiæ, vt quemadmodum res eſt ita loquamur: deinde Regni cōſtitutiones eius executionē abſque pluribus litium inſtrumētis minimè patiuntur. Mox Epiſcopus, Si qua te lex, aut conſtitutio impedit, indemnitatē ipſi vobis, culpǽque præſtationē pollicemur. Præſes verò, At impium, effundi ſic ſanguinē humanum. Merindolienſium quidem ſanguis, ait Epiſcopus, nobis ipſis noſtríſque ſucceſſoribus adſcribatur. Rurſum Præſes, Non dubito

quin

quin ſi eò progredimur, Rex *tantam ſuorum hominum calamitatem indigniſſimè laturus ſit.* Si Rex *impetu primo commouebitur, habemus vnde* Principis *animum tẽporis decurſu molliamus.* Accedit *omnium* Cardinalium, *maximè verò* Turnonij *ſtudium ac voluntas: quẽ cùm noſtræ cauſæ defenſionem vltrò ſuſcepturum facilè mihi perſuadeo, tum nihil ei gratius, quàm* Lutheranorum *interimendorum occaſionem accidere poſſe certò ſcio. Quare ne dubitemus, quin eius ſi conſilio præſidióue hac in re egebimus, eo nos vti facilè commodéque poſſimus. nam quis* Lutheranorum *oppugnandorum artifex atque princeps cum reuerendiſſimo* Cardinale Turnonio *comparãdus?* His *omnibus, ac alijs huiuſmodi rationibus argumentandi* Epiſcopus Aquenſis Præſidibus *ſenatoribúſque perſuaſit ſenatuſconſulti* Merindolienſis *executionem. Vnde haud ita pòſt multò delectus tota* Prouincia *haberi cœpti: imperatores conſtituti: equitum peditúmque maxima multitudo ſublatis ſignis* Aquarum *ex vrbe paulatim egreſſa, procedere,* Merindoliúmq; *perpetuis itineribus proficiſci cœpit.* Quibus *de rebus* Merindoliẽſes *facti certiores, collachrymari, ſéque cauſámque ſuam* Deo *ſummis precibus commendare: hoc vnum perfugij ſibi reliquum eſſe ducere, vt tanquam oues ad carnificinam adductæ, ſic ipſi ſe hoſtium explendæ crudelitati præpararent.* Itaque *in ſqualore ac ſitu miſeri mortales, pater videlicet cum filio ſuo, filia cum matre, vxor cum viro verſabantur, quum repentino motu nuntiatur, aciem retroceſſiſſe: & quorſum tandem res euaderet, intelligere neminem. cognitum tamen fuiſſe poſteà, dominum* Alencium, *hominẽ in* Theologia, *ciuilíque iure verſatum, adductum iuſtitiæ quodam ardore cum* Chaſſanæo *præſide audacter locutum:* Aduerſus Merindolienſes *minimè viribus & armis, indicta cauſa, nec innocentium à nocentibus facta diſtinctione, contra communem fori conſuetudinem dimicare oportere: optare vehementer eum vtì præſes ſui cuiuſdam conſilij recordetur, quod ille ei libro conſignarit, quem* Catalogum *gloriæ mundi, inſcriptũ reliquerit, quo in loco perſecutus fuit litis cõteſtationẽ factã à præfectis iuriſdictioni* Epiſcopi Heduenſis *aduerſus mures.* Nam *cùm in iurisdictione ferè tota* Leuſſenſi *murium numerus infinitus erupiſſet, totius illius regionis frumenta corrodentiũ,*

[Handwritten marginal notes:]
Perſuadet Aquenſis pſidibus ſenatoribusq ſenatusconſulti executionem.
Suſcipitur expeditio adversus Merindolienses.
Merindolienses ad lachrimas et planctum se convertunt et verbo Dei seseconsolantur.
D. Alencio à Deo missus tanquam alter Daniel, qui Merindolienses ex calamitate liberat. Similis est historia ei quæ describitur in libro Esther.
Parabola quædam de muribus in tota regione Leussensi frumenta corrodentibus: quam Chassanæum à proposito retrahit Alencio.

ſtatutum fuit, vtî res ea Officiali Heduẽſi ſignificaretur, muréſque qui tantam patriæ vaſtitatem intuliſſent, excommunicarentur. Itaque audita Procuratoris fiſci poſtulatione, decreuit Officialis antequam ad excõmunicationem procederetur, ex iuſtitiæ formula monitione opus eſſe. cauítque ea de cauſa vt Heduẽſi in vrbe publicè facta proclamatione ipſi mures ad tertium poſteà diem citarentur: Quòd in iudicio ſiſterent, proceſſum iri aduerſus eos, &c. Tribus illis elapſis diebus, fiſci Procurator ipſe ſiſtit: aduerſus mures, quod idem ipſi non feciſſent, vadimonij deſertionem obtinet: eáque fretus poſtulat vt ad excommunicationem procederetur. Iterum ex æquo cautũ, vt quoniam murium tantæ multitudinis exiſtimatio atque ſalus illo iudicio diſceptaretur, ſéque ipſi excluſos exceptione queri poſſent, curaretur eis aliquis, patrocinio cuius eorum cauſa ſuſtineretur. Itaque Chaſſanæum præſidem eam cauſam totam egiſſe, patronum tum Regium apud Heduos: ſuperiorémque citationem irritam varijs nominibus oſtẽdiſſe. Decretum propterea ſecundam citationem quam de ſuggeſtu pronuntiari oporteret. Qua re perfecta, Procurator idem fiſci ſiſtit, quemadmodum initiò fecerat. at Chaſſanæum ipſum, ſiſtendi tempus muribus præſtitutum breuius eſſe docuiſſe, quàm rei tantæ magnitudo poſtularet: tot præterea feles in villis excubias agẽtes, vt mures abeſſe non immeritò cogerentur: itaque nullum eſſe contumaciæ locum. Quare non temerè muribus inferendam litem, ſed ea de re tota conſulendas Scripturas, ex præſcripto quarum intelligeretur, quẽadmodum ipſos ſe gerere oporteret. Adductos autem ex Scripturis ab eodem Chaſſanæo complures locos, vt ipſe quoq; in illo ſuo libro memoriæ proditum reliquiſſet. Atque eo patrocinio quidem, quod alioqui parui momenti videretur, magnam eum laudem fuiſſe conſecutũ: perſecutum enim illum iuris anfractus omnes, quos Iudices criminalibus in cauſis ex officio ſequi maximè teneantur. Iam verò, cum qui cæteros ipſe docuerit, num eodem illo ſuo libro velit eſſe prudentior: quo libro oppreſſus conſcientia conuictuſque teneatur, ſiquidem vlterius progrediatur, miſeróſque Merindolienſes, qua cœperit inhumanitate, ſibi perſequendos arbitretur? Nam quid habeant miſeri, quare Chriſtiani viri non ſint? num æquitatis fructum & idem of-

ficium

ficium ipſi mereantur, quod olim aliquando in cauſa murium, præſes conſeruãdum exiſtimaßet? Hac *oratione vehemẽter illum fuiſſe perculſum, exercitúmque, qui iam tribus à* Merĩdolio *circiter milliaribus abeßet, regredi iußiſſe. Quod cùm* Merindolienſes *intellexiſſent,* Deo *quidem primùm gratias egerunt: conſolatione ſe inuicem ſuſtentantes: hortantes,* Dei *timorem ſemper ob oculos ſtatuendum, cuius præceptis obtemperare, volũtati parere debeant ſubijcientes ſe prouidẽtiæ ſuæ, expectantéſque fructum beatorũ ac fœlicium, Salutis ſcilicet æternæque vitæ poßeßionem: ſibi proponentes exẽplum* D. *noſtri* Ieſu *Chriſti, filij* Dei, *qui quidem afflictionibus multis & anguſtijs in gloriam ſuam ingreſſus ſit.* Hoc *modo ſe* Merindolienſes *ad omnia parabant genera tormentorum & cruciatuum, quæ accidere potuiſſent, erátque ſemper huiuſmodi reſponſum illorum ijs, qui aut vicem ipſorum commiſeratione perſequebantur, aut qui perniciem eis occultè moliebantur.* Manabat *autem ea fama quotidie latius, cùm propter Senatusconſultum ipſum, quódque non defuiſſent qui illius executionem aggredi non dubitauiſſet: tum verò propter* Merindolienſiũ *animi fortitudinem ſingularẽ, atque conſtãtiam: adeò vt pauci eſſent in* Gallia, *paulò magis curioſi nouarum rerum, quorum ad aures ea fama non perueniſſet.* Nec *verò tam leuis hæc cauſa viſa fuit, quin perlata quoque fuerit ad* Franciſcum Regem *haud ita diu ante eius obitum,* Regem, *inquam, excellẽtißimo ingenio, iudicio grauißimo ſanè præditum: qui* Guilielmo Bellaio Langeio, Proregi Thaurini, *vrbe* Pedemontana, *ſignificandum ſtatim curauit, vt quo ſtatu* Merindolienſium *res eßent, maxima diligentia ſciſcitaretur.* Itaque Lãgeius *expediuit in* Prouinciã *homines duos, probitate inſignes illos, integritate ac fide præſtãtes: quibus mandauit vt exẽplum* Senatuscõſ. Merindoliẽſis *ad ſe deportarent, ac ſimul de omnibus rebus quæ poſteà conſecutæ eßent, inquirerent: intelligerent denique qua vita, quibus moribus* Merindolienſes *tum ipſi, tum alij quibus in* Prouincia *negotium exhiberetur, inſtituti eßent.* Quæ *cum omnia diligentißimè fideliſſiméque curauiſſent, exemplum ſenatuſconſulti, rerúmque omnium quas poſtea conſecutas intellexiſſent, ad* Langeium *detulerũt.* Commemorauerunt *iniquitates, exactiones, oppreßiones, furta, rapinas,*

Merindolienſes Deo gratias agunt ex liberatione.

Deſcriptio vitæ & morum Merindolienſium & Religionis ad normam præceptorum Dei & Apostolorum accedens.

tyrannides, crudelitates, quibus ſingulis ferè diebus Iudices Eccleſiaſtici*, ciuiléſque aduerſus eoſdem* Merindolienſes *abuti conſueuiſſent. Quòd autem ad ipſorum vitam moréſque pertineret, retulerũt ex cæterorum* Prouincialium *teſtimonio & ſententia, eos operis laboribuſque maximè deditos: ducentíſque ab hinc annis ex regione* Pedemontana *profectos, in* Prouinciæ *partem illam commigraſſe, quã vacuam hominum conſuetudine iniuriâ bellorum, planéque deſertam, emphyteutico nomine tenere poſteà, poſſideréque cœpiſſent. Eámque terram* ex *eo tempore tantis corporis laboribus, ſudoribúſque ſubegiſſe, eo artificio coluiſſe, vt conſecuta fœcunditatem, frumento, vino, oleo, melle, amygdalis, pecudibus, armentis abundaret:* ex *quibus rebus maximarum fructus commoditatum ad* Prouinciam *totã, aliáſque regiones quotidie peruenirent. Quinetiam antequam ibi conſediſſent,* Merindolium *nunquam pluris annuis quibúſque cenſibus, quàm quatuor aureis conduci ſolitum: cùm ante vrbis ipſius vaſtitatem quotannis ſupra trecentos quinquaginta, diſſolutis aliarũ omnium rerum oneribus, à domino loci conduceretur.* Tantundem *&* de Lormarino *aliíſque permultis* Prouinciæ *locis vulgò dicitur, qui tot latrocinijs antequam eos hi viri celebrauiſſent, infeſtabantur, vt ſummo periculo illac tranſiretur.* Affirmabãt *etiam* Prouinciales, Merindolienſes *ipſos cæteróſque ad quos illa calamitoſa peſtis, tempeſtáſque peruaſiſſet, amatores maximè pacis & tranquillitatis: morum ſuauitate cõfirmationéque ſingulari, nec non æquabilitate vitæ quadam ac perpetuatione præditos: dictorum conuentorúmque veritate & conſtantia cõmendabiles: nomina, ſi qua feciſſent, aut expungere omnino ſi tum quidem poſſent, aut certè transferre, eos verò qui in ære eſſent ipſorum, nunquam in ius educere ſuetos: atque hac de cauſa potiſſimùm & ornatos honoribus, & amoris vinculo ſingulari cum vicinia coniunctos. Si manſuetudinem ac humanitatem quis deſideret: & eleemoſynarum beneficio viatorum difficultatibus commodantes, & ſuorũ egeſtatem, quatenus illi neceſſitate premerentur, quantúmque in his ſitum eſſet, humaniter ac piè ſuſtentantes:* Internoſci *quidem ſolitos eos, ab aliíſque diſtingui his nominibus, quòd temerè nunquã ad iuſiurandum adigi, aut omnino proferendum* Diaboli *vocabulum eorum*

vlli

vlli poſſet: quòd nunquã ad ſermonẽ adduci obſcœnũ ac vitioſum: quin quoties alicubi verſarẽtur, vbi aut laſciua alicuius cõmemoratione, aut blaſphemiarũ aliquo genere Deũ offẽdi ab hominib⁹ arbitrarẽtur, illinc cõfeſtim ſe ſubmouerẽt. Verum quidẽ eſſe (quemadmodum iidem Prouinciales oſtenderent) cùm aut ad nundinas ad negotiãdum, aut in vrbes animi gratia proficiſcerentur, vix vnquam eos in templis conſpici: aut ſi conſpicerentur quidem, tamen Deum orãtes, obuerſas habere perpetuò ceruices ab imaginibus, quibus nec cereos offerrent, nec oſcula pedibus figerent: reliquias Sanctorum aut Sanctarum adorare planè nunquam, ac ne dignari obtutu quidem: ſi peregrè profecti in cruces aliquas ligneas inciderent, illis quoque nunquam honorem exhibere conſueuiſſe. Teſtabãtur deinde Sacerdotes ſuo loco, eos nullas vnquam ſibi aut Miſſas, aut Libera me, aut De profundis iniungere: aqua luſtrali nunquam ſe reſpergere: quòd ſiquando in illos ab aliquo mitteretur, gratias ei nihilo magis agere: imò animaduerti facilè, faſtidiri ab eis genus hoc totum conſperſionum irrorationúmque, tantum abeſſe vt eo nomine debere ſe quicquam exiſtimarent. Suſcipere verò peregrinationes, Sanctis vota nuncupare, peccatorum remiſſiones ære propoſito comparare, quamuis obolo redimi potuiſſent, horum omnium nihil efficere. Porrò cùm tonaret, cùm coruſcaret, nũquam ſe ſigno crucis inaugurare: tãtum ex imo ſuſpirãtes, oculos in cælũ alios attollere, quoſdam flexis genibus orare, ſignum cru cis aut luſtralem aquam minimè requirere. Denique pro luminaribus, pro confratrum ſodalitio, pro refectione templorum, pro ſuperſtitibus ac mortuis nihil in peluim iniicere, nullas oblationes offerre. harum rerum expenſas nullas faciebant, ſed facultates in ſubſidium afflictorum ac pauperum ſeruabant. Atque hæc ſunt omnia, quæ de Merindolienſium, aliorúmque eandem cum illis vitæ rationem inſequentium planè, moribus ac ritibus à ſuperioribus legatis miſſis ad G. Langæum perlata fuére fideliter: déque Senatuſconſulto, eíſque rebus quæ poſtea conſecutæ dicebantur, ſingulatim quoque ei relata fuerunt. De quibus rebus Franciſcus Rex Langæi literis factus certior, ex optimi Principis officio expedienda diplomata curauit, quibus non ſolùm eos qui deſerto vadimonio capitis damnati fuiſſent, verumetiam omnes quorum in tam populari cauſa

Signa quibus internoſcuntur qui vulgò Lutherani habentur.

Religio.

Franciſcus Galliarum rex à Domino Langæo certior fit de Merindolienſium cauſa.

Diplomata ſeu literæ Regis.

eadem videretur eſſe defenſio, ab omni impoſtorum iniuria ſartos ac tectos iuſsit eſſe: Senatuique Prouinciæ mandauit, ac nominatim etiam iniunxit, caueret etiam atque etiam diligenter, ne quid Merindolienſium Reſpublica detrimenti caperet: neue in eodem negotij genere, tantam in poſterum vim acerbitatis vſurparet, quantam ſuperioribus temporibus feciſſe diceretur. Quòd ſi quis reperiretur, quem poſt legitimum inquirendi munus atque tempus ignorantia hallucinatum, aut cacodæmonis alicuius aſtu circumuentum, à vera religionis Chriſtianæ profeſsione declinaſſe conſtaret, huius animus ex informatione diuini verbi, ac vtriuſque Teſtamenti locorum inductione recolligeretur: eóque modo ſenſim adhibito verbi gladio, vir is in Eccleſiam Domini noſtri Ieſu Chriſti reſtitui curaretur. Sic enim ſibi placere, vt qui hæreſeos inſimulati, eo, quo dictum eſt, modo conuincerentur, errorem, quo duci cœperint, abiurare cogantur. Ad extremum verò interdixit Princeps omnibus cuiuſuis ordinis hominibus, ne quid aduerſus Merindolienſes ipſos, eorúmque ſubſcriptores alia via molirentur: ſed abrogatis omnibus iudicum condemnationibus atque ſententijs, ijs etiam ergaſtula ſoluerent, quos in vinculis ſectæ Lutheranæ nomine ſuſpectos retinerent. Ea diplomata temporis interuallo quodam obſignata delituerunt: tandemque Aquas Sextias perlata quum eſsent, petitum fuit à captiuis, num diplomatum eorum (quorum exemplum aureo propoſito ipſis exhiberetur) iure vti vellent. Hac ratione miſeri homines carceribus emiſsi fuerunt, deductis ſumptibus, factáque fide iudicio ſe ſiſtendi, quoties Curia mandaret. Scriba interim, cæteríque pragmatici ſibi inuicem diplomatum illorum nomine gratulabantur, quòd eorum beneficio magnam ſe pecuniæ vim conflare quotidie viderent, ſperaréntque quinque circiter millia exemplorum exaratum à ſe iri oportere: quem numerum totidem nummi aurei adæquaturi aliquando putarentur. Cæterùm Merindolienſes primùm quidem eam Regis voluntatem eſſe cognouerunt, vtî diplomata ea in omnibus oppidis ac pagis totius Prouinciæ, publicè pronunciarentur. Itaque ſupplicem libellum ſummo Senatui obtulerunt,

Diplomata auro redimenda.

Qua ratione ij q[ui] hereseos accusantur, conuincendi, sc: gladio verbi Dei, non ferro & flamma

lerunt, quo eorum diplomatum promulgationem ex Regij *mandati ſententia poſtulabant: quorum item exemplum petiuerunt: ſimulac oſtenderunt,* Regis *ipſius animum cò minimè pertinere, vt omnes quos odium aduerſariorum in* Lutheranæ *doctrinæ ſuſpicionem vocaret, ſinguli diplomatum eorum exemplum accipere cogerentur. eam enim exigendi rationem iniquam & nouam, miniméque ab eis, qui ſe homines eſſe meminiſſent, ſanè ferendam.* Valuit *libellus: neminem videlicet ad exẽplum accipiendũ cogi poſſe: ſi qui tamẽ requirerẽt, quinque ſaltẽ aſsibus auferret: ſi qui plus ſoluiſſent, reliquum ex edicto reciperẽt.* Conſtitutum *ab eodem* Senatu *quoque, vt infrà tres à promulgatione diplomatum menſes, vniuerſi qui tum quidem in* Lutheranorum *ſuſpicionem veniſſent, cuiuſcunque eſſent ipſi ſexus, quamcunque etiam ætatem degerent, ſiue in vrbibus ſiue ruri agerẽt, iudicio ſe ſiſterent.* Huic *ſententiæ vehementer ab vtroque Syndico* Merindolienſi *reclamatum fuit, libellúſque ſupplex ſecundò propoſitus, quo continebatur, rem maximæ molis ac laboris eſſe, ſumptus propemodũ infiniti, vt viri, fœminæ, pueri, qui partim* Merindolii, *partim ruri commorarentur, in* Senatum *venire neceſſe haberent.* Orare Curiam, *id vt per procuratorem efficere ſibi liceret: exceptis iis aduerſum quos* Procurator *regius ipſe concluderet, quorúmque potiſsimùm exceptionẽ deſideraret: hos enim viros promittere vadimonium oportere.* Acquieuit Senatus. *itaque octauo poſtea die incolæ* Merindolii *duo venerunt in* Senatum *tum ſuo, tum omnium nomine* Merindolenſium, *quorum ipſi nomen & cognomen in procuratione ſua diligenter expreſſum atque conſignatum ſecum deportarant: poſtulantes, vt ſeruato iudiciorum forenſium more, hæreſes quarum nomine ſuſpecti haberentur, in medium adducerentur: his enim ſe promptiſsimè veriſsiméque in tempore ac loco ſatisfacturos.* Quòd *ſi quid à fidei* Euangelicæ *ſynceritate, officióque virorum* Chriſtianorum *alienum aſſeruiſſe conuincerentur, expeditos ſeſe ac paratos vniuerſos canere palinodiam (vt eſt in prouerbio) abiuraréque omnia quæ quidem ex præſcripto verbi* Domini Dei *noſtri hæreſes eſſe conſtaret. genus enim hoc diſceptationis totum ad illud vnum, tanquam ad certam normam, eſſe dirigen-*

Secundi libelli ſupplicis exẽplum.

dum: tametſi eo ſceleris ſeſe progreſſos minimè profectò arbitrentur. Omnino tamen obire vadimonium eos, vt quibus de rebus accuſarentur, quarúmque hæreſium inſimularentur intelligere poſſet. Porrò Se*natus cùm neque diplomatum* Regiorum *ſententiam percepiſſet, neque* Principis *ipſius mẽtem conſideraſſet, multò verò minus eorum, quæ ſe facturos* Merindolienſes Procuratores *ſpoponderant, rationem habuiſſet, decreuit vt qui errores ſuos abiuraturi eſſent, beneficio* Principis *vti quidem illi poſſent: reliqui verò qui manerẽt in ſentẽtia, eodem ſupplicio quo hæreſeos conuicti afficerentur, nulla amplius informatione habita. Quod decretum cùm* Merindolienſes *contra ius ac rationem factum animaduertiſſent, miſerunt* Procuratores *ſuos* Aquas Sextias, *vt eorum nomine ſupplicem libellum* Senatui *ſubijcerent in hanc rationẽ:*

Decretum Curiæ Aquenſis.

Supplicant Franciſcus Chay, *&* Gulielmus Armantius *tum ſuo tum incolarum* Merindolii *nomine: quòd cùm ex* Regiorum *diplomatũ promulgationis ſententia, poſtulati hæreſeos, aut omnino ſectæ* Lutheranæ *nomine ſuſpecti, iudicio ſiſtere teneantur infrà menſes tres poſt eandem promulgationem, ipſi quidem procuratorio nomine vt &* Regis *voluntati obtemperarent, & diplomatum eius ſententiam maximi duxiſſe viderentur, munere ſuo legitimè perfuncti ſint: tamẽ* Senatus *neglecta diplomatum mente & ſententia, neglecto* Merindolienſium *iure, quod cum diplomate* Regis *prorſus conueniebat (qui æquitate verè* Regia *conſilium attulerat, quo* Merindolienſes *aut affines culpæ, aut ab eadem liberi dignoſcerẽtur.) Senatus, inquã, ipſe tamen decretum fecit alieniſſimum ab omni eo iure, planéque diplomatum* Regiorum *æquitati contrarium, neminem videlicet diplomatum ipſorum beneficio vti poſſe, præter eos, qui ſe ſtatim hæreticos eſſe profiteantur. Itaque poſtulare eos, vt decreti ſuperioris ſententia reuocetur: ſimulac legitimis inquiſitionibus oſtendatur, quænam demũ hæreſes eæ ſint, propter quas ipſi in iudicium hoc tempore vocentur.* Idẽ *eos hoc libello polliceri, quod illo ſuperiori fecerint: quòd ſi in tanta æquitate cauſæ eos* Senatus *iure deſtitutos eſſe patiatur, profitentur ex diplomatũ ſententia, querelam ſuam ad* Regem *ipſum ſe delaturos, probaturóſque propriæ vitæ periculo, quicquid aduerſus eos ſtatuatur, id non ab ullo religionis ſtudio, ſed ab ambitione auaritiaque proficiſci: eóque maxi-*

Supplex libellus Merindoliorum.

me

mè pertinere vti facultatum, quas maximo labore temporíſque diuturnitate conſecuti putentur, iacturam iniquiſsimo iudicio facere poſſint. Id *enim ex omnibus litium inſtrumentis quæ quidem aduerſus eos ſcripta ſint, eſſe perſpicuum: quorum inſtrumentorum exemplum ipſi petant, nec non huius libelli ſupplicis, & formula qua par ſit, vt* Regi *eiúſque conſilio fidem facere poſsint contemptionis & deſpicientiæ, in quam adducta diplomata ſint ipſius, quibus ratio maximè contineretur qua cauſæ propoſitæ veritas cognoſci poſſet*. Eámque *veritatem pleróſque Senatores iudicio niti confundere, quòd falſis delationibus obtinuerint, vtî bonorum quæ ab optima parte* Merin*dolienſium hominum poſsideantur, ad eos, aut ipſorum conſanguineos proſcriptio perueniat: ídque ipſum indicta cauſa, ciuili ſaltem & æquabili: ſicut negari minimè profectò poſsit. quinetiā affirmare poſtulātes ipſos optimo iure liberéq; poſſe, non habituros quoſdam ex Senatoribus, eorúmque conſanguineos vnde victum vitámque colerent, ſi bona non eſſent miſerorum accuſatorum, quorum in poſſeſsionem olim irruperint. eóque conſilio miſeros homines quocunque artificio poſſunt, accuſare, calumniari, appetere ignominia contendunt, vt eos aut euertāt omnibus rebus, aut certè in exiliū proficiſci cogāt: ſic enim fore, vtî bona liberè pacificéque teneant, quorum poſſeſsionem vſurparint.* Q*uamobrem poſtulant etiam atque etiam, vt Senatus miſerabilis ipſorum cauſæ rationem habeat, eiſque ius ex præſcripto diplomatum* Regis *conſtituat: cuius optimi* P*rincipis voluntas ea mādatúmque ſit vt ipſo iure primùm adhibitis inquiſitionum formulis omnibus liqueat, quínam denum errores hæreſéſque ſint, propter quas in iudicium miſeri rei deferantur.* Deinde Euangelica *propoſita veritate commoneantur: conuicti abiurare teneantur: denique eo ordine conſeruato, quaſi poſtliminio quodam,* Eccleſiæ *reſtituātur. Senatus tū cenſuit, vt libellus patrono procuratoríque* Regio *communicaretur, ipſíque poſtulantes octauo poſtea die ſeſe ſiſterrent, vt quid hac de re tota decerneretur, intelligi poſſet.* Audito *patrono procuratoréque* Regio, *exhibitóq; poſtulātibus exēplo inſtrumētorum litis libellíque ſupplicis, eodē ipſo die* Chaſſanæus *præſes ac Senatores delecti quidam, procuratórq;* Re-

Inſtrumentū · · · ſtas

Papam nō agnoſcere Patrem Sanctiſs. ē in errore [illegible] verſari iuxta opinionem hom. [illegible] ſed [illegible] inſcientiam.

gius poſtulātes ſeorſum allocuti, oſtēdere cœperunt, nihil opus eſſe inquirere in errores quos tueantur: neminem enim eſſe neſcium, alienā eos ducere ſolitos vitam ab eccleſiæ conſtitutionib⁹, nihilóque ferè plus Sāctiſſi. Patri, *diuo* Papæ, *quam cuilibet homini populari deferre. quāobrem eos in errrore apertè verſari, extra controuerſiam eſſe: abiurādíque occaſionem minimè differre oportere: quòd ſi faciant, vitam eos in omni quiete tranquillitatéque liberè propagaturos.* His Poſtulantes *reſponderunt, quod etſi literarum ne tenuiſſimam quidem particulam vnquā attigiſſēt, tamē ſi* Præſidi *Senatoribúſque videretur, ſe libēter fidei ſuæ capitūq; ac locorum quos ipſe* Præſes *obieciſſet, rationē eſſe reddituros: ídq; ſe nulla mora interpoſita, omníq; ſublata diſſimulatione optimè veriſſiméque facturos.* Tum Præſes *atq;* Senatores, Eius *rei prouinciam à* Senatu *minimè ſibi tributam eſſe: longè verò ſibi videri præſtātius, vt ſcriptū cōficerent, quo vitæ ſuæ genus totū, doctrinæq; rationem quam accepiſſent à maioribus, diligēter exequerētur: auferéntq; à* Merindoliēſibus *omnibus procuratoriū libellū, quo eandē illos vitæ rationē perpetuò ſecutos eſſe nominatim intelligeretur.* Poſtulantes *id ſe curaturos, perfecturóſq; reſpōderunt. profectíque* Merindoliū, *omnia quæ geſſiſſēt, quæ* Chaſſanæus *præſes* Senatoréſq; *cōſtituiſſēt, ordine recitauerunt: protulerūt etiam libelli ſupplicis exēplum à* Scriba *ſubſignatū. itaq; magna* Merindoliēſium *admiratio conſecuta, quod nunquā hactenus vllū inſtrumentorum litis exēplū auferre ab illo* Senatu *potuiſſēt: quin fuerat etiā interdictū, ne quis aut* Scriba, *aut tabellio, vllíue forēſes adminiſtri inſtrumētum vllū litis illorū accipere deſcriberéue tētaret. Quo nomine* Regijs *quoq; diplomatib⁹ cautū eis fuit: quibus mādabatur vt omniū litis inſtrumētorū exēpla, quæ* Merindoliēſes *poſtularēt, eis quāprimum expedirētur, vt ſi quid ineſſet in illis vitij ad culpæ præſtationē* Senatus *ipſe cogi poſſet.* Regis *igitur diplomata poſtulātes obtinuerunt, à* Scriba Curiæ, *ſicut initiò diximus, ſubſignata: necnō ab eadē* Curia *mādatū, quo* Tabellionibus *omnibus iniungebatur, ne litis inſtrumēta* Merindolienſiū *accipere, deſcriberéq; dubitarēt: quicquid* Senatus *cōſ. aliter antè cautū fuiſſet, quod in hoc genere* Senatus *ipſe reuocauiſſet.* Itaq; *repētè* Merindoliēſes *tabellionē quēpiam ex oppido quod vulgò* Malemort *appellatur, acciuerunt: quē*

admonuerūt

admonuerunt ſe ex Præſidis Senatorũq; ſententia liberè profiteri conſtituiſſe doctrinæ inſtitutionẽ quã hauſiſſet à pueris, cultúmq; religionis eius quam à Maioribus quaſi per manus accepiſſent, ab hinc anno poſt Chriſti incarnationẽ milleſimo ducẽteſimo, quemadmodũ ex omni memoria ætatũ ac temporum à veteribus intellexerint. Quare tabellio quidem cum & diplomata Regis & Curiæ ſimul alligatum mãdatum inſpexiſſet, nihil veritus hominum inuidentiam, facilè eorum fidei capita omnia atque cõfeſſionem ſcripturæ ſuæ monumẽtis cõmendauit: fuítq; paulò pòſt ipſa cõfeſſio ab ipſorum ꝓcuratoribus delata in Curiã: ſimulac libellus ſupplex, quo capita quædã eodem ferè pertinẽtia cõtinebãtur. Iis omnibus rebus ex Senat⁹ præſcripto diligẽtiſſimè cõfectis, non defuerũt qui cõfeſſionis eorum illuſtriorẽ cõmemorationem deſiderarent. Itaq; Merindoliẽſes exiſtimãtes operæpretiũ fore requirẽtibus omnib⁹ fidei ſuæ reddere rationẽ: reputãtes præterea, quicũque Chriſtũ Euãgeliíque veritatẽ & amplitudinẽ abiurauerĩt coram hominibus, eos ab eodẽ Chriſto corã Patre cæleſti & Angelis abnegatũ iri: deniq; memoria tenẽtes maiores eorũ in Bohemia in capitis adductos periculũ idẽ ipſos aliquãdo feciſſe, ſuæque fidei cõfeſſionem ad Vladiſlaũ Hũgariæ & Bohemiæ Regẽ, à quo premebãtur, miſiſſe: hæc inquã, omnia cogitãtes ſecũ Merindolienſes, vberiorẽ fidei ſuæ declarationem Cardinali Sadoleto, conſulibus Auenionẽſibus, Epiſcopo Cabaglionenſi curauerunt: necnon omnibus hominibus, qui publicè priuatímue illud ab eis efflagitauerunt. Quin etiam Franciſcus olim Rex, Merindoliẽſium vitæ rationem noſſe voluit: cuius in conſpectu Regio ipſorum confeſſio publicè per Caſtellanum eius Anagnoſten recitata fuit. qua ad verbum ferè perlecta tota, Rex ipſe petere cœpit, ecquid in illa confeſſione de qua & audiuiſſet antea permulta, & nunc ipſo exitu cognouiſſet, deſiderandum videretur. At conticuere qui aderãt omnes, neque quiſquam proſiluit qui in illam quicquam auderet adducere. Confeſſio autem fuit eiuſmodi.

1. Pet. 3. 15.

Matt. 10. 33.

Sequitur confeſſio fidei Merindolẽſium.

De ſacra Scriptura.

CRedimus & confitemur vniuerſi, ſanctam Scripturam incluſam veteri nouóq; Teſtamẽto, diuino afflatu planè inſtinctúq; cælitus infuſam: neque humana aliqua voluntate demerſam in has terras, ſed ab ore ſanctiſſimorum hominum Spiritus ſancti beneficio

2. Pet. 1. 21.

impulſúque profectam. Ipſumque Deum ex omni memoria vetuſtatis
Heb.1.a.1 *Prophetarum ſuorum ore loquutum: verùm extremis hiſce temporibus loquutum profectò per vnicum* Filium *ſuum, cui præſtandam modis omnibus attentionē imperauerit: pereundum ei vt ſit qui docilitatem & attentionem illi minimè præſtiterit.* Itaque *qui ex* Deo *eſt,*
Jo. 8. 47. *facilè eius ſermonem audit & auſcultat: qui ſermo formula quædam ſola, certa, perfectáque eſt ipſius veritatis, vitæque rectè inſtituendæ, vtilis ad omnem eruditionem, ad omnem animaduerſionem, ad* 2. Tim. 3. 16. *reprehenſionem, ad iuſtitiæ informationem, vt qui ex* Deo *eſt, ad integritatem operum paratus ſit.* Hinc *conſequitur, Scripturæ ſanctæ volumina ſatis eſſe fuſa ampláque ad reſtituendam ſalutem hominibus: ad verum* Dei *cultum illuſtrandum: ad depellendum errorem eorum qui oppugnant veritatem: ad hæreſes & vitia, deprauatóſque hominum cenſendos atque corrigendos mores.* His *de cauſis ſanctæ Scripturæ ſcientiam auro & gemmis longè magis expetendam eſſe: eiúſque diſciplina omne hominum genus ad præceptorum omnium obſeruationem erudiri, ad eius lectionem aſſuefieri oportere.* Nec *verò quicquam eſſe tentandum extra cancellos verbi* Dei, *cui nec adiungendum ali-*
Deut. 4. 2. *quid, nec detrahendum omnino ſit: ne qua* Dei *animaduerſio in nos, aut impoſtoria noxa maximo hominum incommodo conſequatur.*

De Deo Patre. Ex *eiuſdem Scripturæ diſciplina confitemur, & credimus in vnum* Deum, Patrem, Filium *&* Spiritum *ſanctum, tribus diſtinctum perſonis, ſed eadem vna, ſpirituali, æquabili, perpetua, nullum neque principium, neque diuinitatis exitum habente eſſentia præditum: qui maxima potentia ſua, infinitáque bonitate crearit omnia, eáque vegetet, tueatur, & conſeruet.* Et *quanquam maieſtas eius eſt planè tanta, vt eam in hac humanæ vitæ luce, cogitatione nullo modo conſequi poſſimus (quicunque enim eam inueſtigare ſupra ſortem humanæ conditionis, ad ipſámque perrumpere conabitur, gloria eius opprimetur) tamen inanis præſtantiſſimarum rerum teſtimonijs & inſignibus re-*
Rom. 1. 19. 20. *licta non eſt.* Inuiſibiles *enim* Dei *actiones, eiúſque virtus & diuinitas immortalis, oculis animi facilè ſubijciuntur cùm ex orbis vniuerſi con-*
Argumenta diuinitatis. *ſtitutione, ex harmonia & quaſi concentu, conſeruatione denique omnium rerum quas admirabili, & incomprehenſibili conſilio*

ſuo

ſuo & ſapientia creauit, conſiderantur. Illuſtratur quoque eadem Dei potentia iudicijs ſuis iuſtis & æquabilibus, ſupplicijs hominum pernicioſorum, præſidio liberationéque eorum omnium, qui ipſum amore venerationéque complectuntur. Quod ipſum eiuſdem verbo facilè declaratur, vbi peccantium hominum diluuij tempore ſupplicium animaduerſióque, Noah autem eiúſque familiæ totius conſeruatio deſcribitur. Declaratur item Sodomæ ſubuerſione, & ereptione Lothi: poſtremò, vaſtitate ſubmerſionéque Pharaonis & Aegyptiorum, & contrà liberatione Iſraelitarum: aliíſque compluribus hiſtoriarum monumentis & exemplis, quibus homines inſtituti Dominum Deum æternum, Regum Regem ac Principem agnoſcere confiteríque debent. Ac teſtimonia quidem hæc omnia cùm ad præcidendam hominibus excuſationis occaſionem ſi minus Deum cognouerint, nec in gloria qua par eſt, ipſum quoque poſuerint, optima locupletiſſimáque ſunt: tùm prolixius adhuc ac familiarius nobiſcum agens, exprimere ſe mortalibus in perſona Filij ſui voluit: quemadmodum nos in his quæ ſequuntur, piè veréque confitemur.

Certum habemus, Dei Filium in hunc mundum veniſſe, & humanæ carnis inuolucro tegi voluiſſe: qua in re vna Chriſtianæ religionis myſteriũ eſt conſtitutum, eóque nomine ſpem noſtrã totã & fidem in Ieſu Chriſto, filio Dei, Domino noſtro, Deo admirabili, authori æternæ vitæ, ſolo ſaluatore, iuſtificatore, ſanctificatore, ſolo interprete, & patrono generis humani, ſolo Sacrificatore, cui ſucceſſore non ſit opus: cúmque verè Deum, ac verè hominẽ exiſtere. De Ieſu Chriſto filio Dei

Credimus atque confitemur Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ conceptum eſſe ex Spiritu ſancto, opere virili in totum detracto ſublatóque, quemadmodum Angelus ante conceptionem ipſe nunciauit, ídque eo conſilio potiſſimùm, vtî Sanctus integerque naſceretur, cuius procreationem ab omni labe deformationéque vacuam eſſe neceſſarium eſſet. De conceptione.

Credimus & confitemur Ieſum Chriſtum omni detracta corruptione ex virgine Maria natũ in Bethleẽ ciuitate (ex Michæa Propheta) corpúſque ſumpſiſſe ad noſtri planè ſimilitudinẽ, excepto peccato, De incarnatione.

Heb. 2. 16. *cui obnoxius eſſe minimè potuit: Angelorum autem naturam noluiſſe ſuſcipere, ſed ſeminis Abrahami, quod teſtimonio Prophetarum omnium prædictum fuit, vt in peccatorum humanorum expiationem & ſacrificium offerretur.*

De Paſsione.

Credimus & confitemur Ieſum Chriſtũ *ſub* Pontio Pilato *paſſum, crucifixum, mortuum, ſepultum pro peccatis noſtris. Illum enim vnum Agnum verè Paſchalem eſſe, in victimam oblatum, vt nos ex* Diaboli *faucibus eriperet, quemadmodum adumbratum id fuit per ſerpentem Aeneum in deſerto erectum: quoniam qui in Chriſtum crucifixum aciem oculorum direxiſſet, omni morbo leuaretur, maledictioni, ac morti eriperetur: paſsionéque ſua iјs qui in eum crederent ſalutem & vitam reſtitueret.*

De deſcẽſu ad inferos.

Credimus & confitemur deſcendiſſe illum ad inferos: non tantùm enim corporea morte defunctus eſt Chriſtus, verùm etiam oportuit eum cum inferorum copiјs æternæque mortis horrore quaſi conſertis manibus luctari.

De Chriſti reſurrectione.

Credimus & confitemur Dominum *noſtrum* Ieſum *Chriſtum tertio poſtea die ſuſcitatum à mortuis, ad iuſtificationem noſtram, veriſsimúmque teſtimonium ſalutis & conſecutionis æternæ vitæ eorum qui libenter in Chriſto fideliterque moriuntur.*

De aſcenſione.

Credimus, & confitemur Dominum noſtrum Ieſum *Chriſtum quadraginta poſt reſurrectionem ſuam diebus in cælum aſcendiſſe, corporeámque præſentiam ſuam ex his inferioribus locis ſubmouiſſe, quemadmodum prædixerat diſcipulis ſuis* Ioã.16. *& ſicut Angeli quoque teſtati ſunt.*

De ſeſsione ad dexteram Dei Patris.

Credimus, & confitemur, ſedere illum ad dexteram Dei Patris *omnipotentis: in omnia quæ ſunt in terra & in cælo imperium habentem, conſtitutum* Dominum *omnibus ditionibus ac dominationibus: hoſtes ſuos noſtróſque duxiſſe captiuos in triumphum: eiſque exinanitis omnibus rebus, populum ſuum diuitiјs omnibus & opibus auxiſſe: ingreſſum etiam in Sanctuarium, humano artificio minimè factum atque conſtitutum; vbi patronus & mediator generis humani perpetuò conſiſtit & apparet.*

Credimus, Ieſum *Chriſtum iudicatum venturum ſuper ſtites ac mor-*

ac mortuos ſemel aliquando extremo ipſo iudicij die, qui quidem ſoli Deo perſpectus exploratuſque ſit: Venturum, inquam, eum in Regia ſua maieſtate, Angelorum comitatu ſeptum, ad iudicium orbis vniuerſi conſtituendum atque pronunciandum. De ſecundo Chriſti aduentu.

Credimus in Spiritum ſanctum, tertiam eiuſdem cum Patre *&* Filio *diuinæ eſſentiæ perſonam, ex eodem* Patre Filióque *manantem, vtrique eorum æqualem, depulſorem moleſtiarum omnium, conſolatorem vnicum humani generis: cuius inſtinctu ſancti* Patriarchæ*, omnes* Prophetæ Apoſtolíque Domini *noſtri* Ieſu *Chriſti loquuti ſunt: per quem ſancta* Eccleſia *omni tempore conſtituta & gubernata fuit. Hic eſt doctor ſyncerus, cuius afflatu omnes Chriſtiani veritatis cognitionem habent: hic Spiritus in ipſis habitat, regenerans eos in vitam nouam, veterem hominem in iis mortificans, eoſdémque viuificans ad omne opus bonum, in afflictionibus conſolans, confirmans in ærumnis, qui ſuis adeſt in rebus aduerſis, teſtificans eos eſſe filios* Dei *per adoptionem, cæleſtis hæreditatis cum* Ieſu *Chriſto participes.* De Spiritu ſancto. Jo: 14. 16. Rom: 8. 16.

Credimus ac confitemur ſanctam Eccleſiam *catholicam, quæ eſt congregatio & cœtus omnium verè credentium, fidelium, & electorum* Dei *qui fuerunt à principio mundi, & erunt vſque ad finem: cui⁹ quidem* Eccleſiæ Ieſus *Chriſtus eſt caput, concilians eam ſibi per ſuũ* Spiritum, *eámque ſceptro verbi ſui regens, vna eadémque voluntate ac ſpiritu eam coniungens vinculo fidei & charitatis. Omnia itaque* Eccleſiæ *membra coniuncta, vnum* Deum*, & caput vnum ac mediatorem* Ieſum *Chriſtũ agnoſcunt, vnam fidem ac legem habent, vnus iis eſt* Baptiſmus*, & eadem menſa ſpiritualis, in qua idem cibus ac potus ſpiritualis proponitur.* Pro *hac* Eccleſia *Chriſtus ſeipſum tradidit vt eam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo: vt ſiſteret eã ſibi glorioſam* Eccleſiam, *non habentem maculam aut rugam, aut quicquam tale: ſed vt eſſet ſancta & irreprehenſibilis. Sola corporis, carnis & oßiũ ipſius membra in ſancta cenſentur* Eccleſia: *exulãt hinc ſuperbi* Pharaones, *pertinaces* Phariſæi, *& Simones magi. nullum eſt membrum putridum, corruptum, aut alioqui infectum: nec in ea locum habent* Iudæ *ſimiles, Caino, aut malo Diuiti: recipiuntur in eam tantum oues & agni: putidi verò ac fœtidi hœdi remouẽtur & excluduntur.* Atque De ſancta Eccleſia. Eph. 5. d. 26. 27.

hæc differentia eſt inter Eccleſiam quæ aliâs capitur pro congregatione bonorum & malorum, & Eccleſiam quam nos credimus, quæ ſancta vocatur, ſanguine Agni illius immaculati mundata atque ſanctificata, extra quam non eſt ſalus. Quare in eam qui ſunt verè Chriſtiani conuenire debent, nam eadem Eccleſia eſt communio ſanctorum, qui omnes ſunt membra capitis ſui Ieſu Chriſti: ita coadunati, vt ſimul coràm viſuri ſint conſpectum Dei. Hæc eſt egregia fraternitas, in quam cooptati & conſcripti ſunt quicunque verè ſunt fideles, vocati à Deo ad communionem Filij ſui Ieſu Chriſti.

Sanctorum communio

Credimus & confitemur remiſsionem peccatorum gratuitam, à miſericordia & mera bonitate Domini noſtri Chriſti profectam, qui mortuus eſt ſemel pro peccatis noſtris, iuſtus ille pro iniuſtis, qui tulit peccata noſtra in corpore ſuo ad crucē: qui eſt Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Is eſt Ieſus Chriſtus ille iuſtus, qui noſter eſt aduocatus apud Deum: ipſe eſt pretiū reconciliationis noſtræ: fidelis & iuſtus vt nobis omnem iniquitatem condonet, ſanguis eius delet chirographū quo obligati eramus, & mundat conſcientias noſtras ab operibus mortuis, vt ſeruiamus Deo viuo, qui ſolus peccata condonat, & abolet iniquitates hominum, vt conuertantur à vita mala, & deponant iniquitatem quæ in manibus ipſorum eſt, vt triſtitiam habeant, quæ eſt ſecundum Deum, quæ gignit certam pœnitentiam ad ſalutem. cuius rei exempla habemus, Dauidem, S. Petrum, filium prodigum, Peccatricem illam, ac plures alios Iudæos. Vt non eſt inter homines qui macula careat, & ſe iuſtum præbere poſſit natus ex muliere: ita nec eſt quiſquā per ſe innoxius corā Deo. Quū ſtellæ non ſint mūdæ in cōſpectu eius: quāto minꝰ homo in ſua putredine, & filiꝰ hominis, qui nihil eſt quàm vermis? Omnes facti ſumus velut immūdi, & iuſtitiæ noſtræ quaſi pānꝰ mulieris mēſtrualis, &c. proinde ſinguli gratia Dei per Chriſtū oblata opus habent, qui ſolus pro fidelibus ſatisfecit, quibus peccata non imputantur, quemadmodum incredulis atque reprobis.

Remiſsio peccatorū.

1. Pet:3.18

Joh.1.29

1 Joh.2.1

Col:2.14

Job:25.4

Job:19.2

Jes:64.6

Credimus reſurrectionē carnis benedictorum Dei, ad poſſidendū regnum cæleſte in æternū: maledictorū verò Dei, ad ignē & cruciatum perpetuum, vbi erit ploratus, &c. Credimus itē animas eſſe īmortales: fideliū autem ac filiorū Dei animas quāprimum ex hoc corpore migrarunt,

Carnis reſurrectio.

runt, ad gloriam cælestem tranſire, in qua Dominus *noſter* Ieſus *Chriſtus reſidet. certi enim ſumus cùm hæc noſtræ commorationis in terra domus deſtructa fuerit, reſtare habitationem diuinam, ac domum æternam in cælis, quæ non eſt facta manibus.* Infidelium *verò ac reproborum animas, cùm è corporibus diſcedunt, ad inferorum cruciatus ſe conferunt vſque ad diem iudicij & reſurrectionis carnis, vt ibi corpore & anima in perpetuum torqueantur in gehenna ignis inextincti.* Luc. 16. 22. 23.

Credimus vitam æternam, nobis gratia Dei *per* Chriſtum *oblatam, qui verè vita eſt, ac mortem confecit, vt fideles vitæ æternæ hæredes fiant. nam quotquot in ipſum credunt, & mandata eius ſeruant, nunquam morientur: neque eſt vlla condemnatio ijs qui ſunt in* Ieſu Chriſto, *qui non ex carne, ſed ex* Spiritu *ambulant: ij non ſubeunt reatum, ſed tranſeunt à morte ad vitam. Qui enim credit in* Ieſum Chriſtum *non condemnabitur: qui verò non credit iam condemnatus eſt.* Hæ *ſunt duæ (quas nobis ob oculos Scriptura ponit) viæ, nec vllam nouimus tertiam: quarum altera ampla quidem eſt & ſpatioſa, atq; ea ducit ad interitum, quam magna multitudo & frequētia hominū celebrat: altera verò arcta, quæ ducit ad vitā, ac pauci admodum per eam ingrediūtur.*

De vita æterna. Rom. 8. 1. Jo. 5. 24. Jo. 3. 18. Mar. 16. Matt. 7. 13. 14.

Credimus & confitemur, Dominum *noſtrum* Ieſum *Chriſtum abolita Circuncisione inſtituiſſe* Baptiſmum, *per quem in populi* Dei Eccleſiam *recipimur, vt* Domino *conſecremur, & ſegregemur ab alijs omnibus qui varias & diuerſas religiones colūt: quæ nota eſt & ſignum viſibile.* Baptiſmus *verò exterior, alium quoque interiorem nobis exhibet, gratiā ſcilicet* Dei, *quæ cerni his oculis non poteſt, & beneuolentiā qua nos proſequitur propter* Ieſū *Chriſtū, qui nos ſuo Spiritu baptiſat, lauans, purgans ac mundans animas noſtras ab omnibus pollutionibus & iniquitatibus, renouans corda noſtra: atque eas explet conſolatione, fiducia paternæ ipſius bonitatis, ex veteri nouā efficiens creaturam, vaſa iræ in vaſa miſericordiæ mutans. idque virtute* Dei *inuiſibili ſic in nobis operante. nā Chriſti ſanguis lauacrū eſt animarū noſtrarū, nō autē elementum aquæ.* Forma *autem baptiſādi præſcripta eſt à* Ieſu *Chriſto, qui dicit: Ite, & docete omnes gētes, baptiſātes eas in nomine* Patris & Filij & Spiritus *ſācti.* Ioannes Baptiſt. Apoſtoli *atque alij miniſtri* Eccleſiæ *baptiſant, prolato verbo* Dei

De Baptiſmo. 1. Jo. 1. 7. Matt. 28. 19.

Jo: 1. 26. 33. 1. Cor: 3. 6.

ad ſacramentum, ac ſignum viſibile tantùm donant: Dominus *verò* Ieſus Chriſtus *ἀρχιποίμην, ſolus incrementum dat, & facit vt res ſignatas percipiamus: gratiis & donis quæ ſub viſum non cadunt, ſuos ornat. Quæ ſacrifici ad* Baptiſmum *addiderunt, præter ſacræ Scripturæ autoritatem: vt ſunt, aquæ coniuratio, chriſma, ſal & ſputum, mera ſunt hominum commenta.* Errant *etiam grauiter qui pueros Chriſtianorũ à* Baptiſmo *remouent.*

De ſacra: Cœna.

Credimus & confitemur Dominum *noſtrum* Ieſum *Chriſtum deinde ordinaſſe ſacramentum* Cœnæ, *quæ gratiarum eſt actio, & memoria mortis ac paſſionis* Ieſu Chriſti, *in cœtu populi* Dei *ritè celebrata. in quo quidem panis & vinum diſtribuuntur & ſumuntur, vt viſibilia ſigna & monimẽta rerum ſacrarũ: corporis videlicet & ſanguinis* Ieſu *Chriſti ſuſpenſi atque in cruce oblati pro peccatorũ noſtrorum remiſſione, & generis humani cum* Deo *reconciliatione. Quiſquis credit* Ieſum *Chriſtum tradidiſſe corpus ſuum, & profudiſſe ſãguinem ad remiſſionẽ peccatorũ, ille comedit carnẽ & bibit ſanguinẽ* Domini, *& vtriuſq; fit particeps: conſiderans conuenientiã earũ rerũ quæ oculis ſubijciuntur, & cibi quo corp⁹ iſtud ſuſtentatur, cũ ijs reb⁹ quæ non videntur, atq; cibo ſpirituali.* Etenim *vt corp⁹ in hac vita pane corroboratur, vinũq; cor hominis recreat: ita etiã corpus* Ieſu Chriſti *morti traditũ, eiuſq; ſanguis ꝑ nobis effuſus nutrit, cõfirmat, & reficit animam triſtem & afflictam.* Cæterùm *ne quis exiſtimet ſignum viſibile cum re per id ſignificata, quæ eſt inuiſibilis, adeò coniungi aut conglutinari, vt diſiungi aut diſſolui nequeant, quin vnum ſine altero eſſe poſſit.* Nam Iudas *ſignum quidem cœpit, rem verò ſignificatam & fructum non percepit, nec vnquam corporis & ſanguinis* Ieſu *Chriſti particeps factus eſt: ſed infidelitate ſua partem ſibi apud Sathanam eſt conſecutus, & membrum* Diaboli *factus.* Probet *itaque ſeipſum homo, an ſyncera fide & pœnitentia cum charitate Chriſtiana coniuncta, ad hanc ſanctam menſam accedat: nam alioqui reus erit corporis & ſanguinis* Domini, *dum mortem* Ieſu Chriſti, *& conſilium* Dei *pro nihilo ducit, qui non temerè ſacroſanctum iſtud ſacramentum inſtituit, ſed nos hac ratione excitare ac perducere voluit ad ardentem ſui & fratrum noſtrorum dilectionem, vt verè efficiamur tẽpla* Dei,

Analogia ſignorum & rei ſignatæ.

Unio Sacramentalis.

Probatio ſui ipſius.

qui

ui in nobis habitare dignatur, quemadmodum apud Ioan. teſtatur Dominus, Siquis me amat, ſeruabit verbum meũ, & Pater meus illũ amabit, & veniemus ad eum, atq; cum eo habitabimus. Atqui iſtud non eo modo accipiendum quo nõnulli opinati ſũt, verum Chriſti corpus & naturale, carnẽ & oſſa in pane illo Cœnæ eſſe ac deliteſcere, aut in eũ cõuerti. nã hæc opinio pugnat cũ verbo Dei, & fidei noſtræ articulis eſt cõtraria, in quib⁹ clarè habemus, Chriſtũ aſcendiſſe ad cælos, ſedere ad dexteram Dei Patris omnipotentis, vnde & vẽturus eſt ad iudicãdũ viuos & mortuos. ſed Dominus Ieſus Chriſt⁹ ſacramẽto Cœnæ adeſt potẽtia, virtute, atq; præſentia Spirit⁹ ſui in cordib⁹ electorũ ſuorum & fidelium. Nullus igitur Chriſtianus carnalem quandã inter Chriſti & eius electos cõmunitatẽ atq; vnitatẽ imaginetur, quãuis reuera coadunati ſint corpori ac ſanguini illius, vtpote carnis & oſsium eius membra. myſterium enim coniunctionis & communionis Ieſu Chriſti magnum eſſe norunt fideles, atq; hæc ratio copulæ cùm ſit ſpiritualis, hominis ingenio nec percipi nec intelligi poteſt. Chriſtiani autẽ corporali Domini præſentia non opus habent. Incarnatio eius & paſsio, ad ſalutem mortalium prorſus neceſſariæ fuerunt: id quod ipſe teſtatur, dicens, Exiui à Patre, & veni in mundum: rurſus relinquo mũdum & vado ad Patrẽ: quare certũ eſt impoſtores eſſe qui docẽt panẽ Cœnæ eſſe ꝓprium & reale (vt loquũtur) Chriſti corpus. Errant etiam qui affirmant, in Cœna Chriſti corp⁹ comedi corporaliter. caro enim comeſta nihil prodeſt: Spiritus eſt qui viuificat. Fideles igitur verè Ieſu Chriſti carnem edunt, & ſanguinem bibunt ſpiritualiter in ipſorum cordibus. Quapropter ſacrilegi meritò cenſendi ſunt, qui iſtud Sacramentum contemnunt: pij verò credunt & confitentur vno ore omnes, Cœnam Dominicam publicum eſſe conuentum ad teſtificandum Ieſum Chriſtum panem eſſe vitæ, qui de cælo deſcendit. In Cœna complementum eſt ac veritas Agni illius & ſolennitatis Paſchæ: participatio nempe corporis & ſanguinis Chriſti: memoria mortis & paſsionis eius: confeſsio fidei ſub ſymbolis atque inſignibus veri Regis: ſeparatio & ſegregatio ab omnibus ſectis: coadunatio in vnum corpus: mutua inter Chriſtianos charitatis obligatio, neruus ac vinculum fraternæ illius coniunctionis: exemplum ac monimentum

Ioan.14.c. 23.

De vera presentia Christi in Cœna

Ioan.16.d. 28.

poſteris: arrhabo miſericordiæ Dei:*figura* Cœnæ *æternæ.*

De cultu Dei. *Credimus & confitemur ſyncerum* Dei *cultum conſiſtere in eo, vt voluntati eius pareamus, atque omnem noſtram diligentiam, operam, ac ſtudium conferamus in hoc vt, quoad in nobis erit, eam ſequamur.* Regula *verò obſequij quod* Deo *præſtandum eſt, in* Præceptis *diuinæ* Legis *nobis præſcripta eſt, quibus docemur quid* Deo *primùm, deinde*
1.Timoth. 1.a 5 *quid proximis noſtris debeamus.* P*orrò finis præcepti eſt* Deo *obedire in vera charitate, ex puro & integro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata.* H*æc demùm eſt ratio ſuum* Deo *honorem tribuendi, qui nec ex noſtro ingenio aut hominum traditionibus coli, nec quod cuique bonum & æquum videbitur, ſed quod ipſe præcepit tantùm fieri vult. nam omnia bona opera, quæ præparauit* Deus *vt in ijs ambulemus, in* Mandatis *ipſius habemus.*

Rom. 7. 7. De Lege. *Confitemur, agnitionem peccati ab ipſa* Legis *intelligentia proficiſci, quæ noſtram nobis quaſi digito oſtendit imbecillitatem, quum nemo ſit mortalium qui eam implere valeat.* O*mnes enim homines peccatores ſunt:* L*egis neutiquam obſeruantes: naturâ filij iræ : iuſto* Dei
Ephe. 2. 3. *iudicio obnoxij, & quouis reatu ac morte æterna digni.* V*nde ſequitur nullum reſtare aliud remedium quàm vt ad gratiã* Dei *& miſericordiam veniamus, quæ nobis in ſolo* Chriſto *offertur: ſicut ſcriptum eſt,*
Rom. 10. b 8. 9. 10. 11. Verbum *propè eſt in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus.* Q*uòd ſi* Dominum Ieſum *ore tuo confeſſus fueris, & credideris in corde tuo quòd* Deus *ſuſcitauit illũ ex mortuis: ſaluꝰ eris. corde enim creditur in iuſtitiã, ore fit cõfeßio in ſalutẽ. omnis qui credit in eum non pudefiet.* N*ã* Dei *promißiones fide apprehenduntur,*
Quid ſit fides. *quæ certa eſt cognitio amoris* Dei *erga nos, in gratuita* Dei *promißione, quam in* Ieſu Chriſto *habemus, fundata: deinde per* Spiritum *ſanctũ in cordibus noſtris confirmata atque obſignata, qua gratis ſalui ſimus:*
Ephe. 2. 8. 9. *nec id à nobis, ſed dono* Dei, *non autem operibus, ne quis gloriari poſ-*
Phil. 3. 8. 9. *ſit.* P*roinde* Paulus *omnia ſibi detrimẽto eſſe duxit, nec pluris quàm fimũ æſtimauit, vt ſibi* Chriſtũ *lucrifaceret, vtq; in* Chriſto *inueniretur indutus non iuſtitia* Legis, *ſed fidei, quæ quidem iuſtitia à* Deo *eſt.*
Gal. 2. 16. P*ræterea idem alibi infert:* N*os itaque ſcientes hominem non ex operibus, ſed per fidem iuſtificari: credimus etiam in* Ieſum Chriſtum, *ut per*

fidem

idem in eum, non ex operibus Legis iuſtificemur. Eadem eſt doctrina Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui quærentibus diſcipulis, ecquis igitur ſaluus fieret: reſpondit, apud homines id quidem eſſe impoſſibile: apud Deum verò, omnia eſſe poſſibilia. Vbi itaque reſtat gloriatio? prorſus excluditur. Qua tandem lege? Operum-ne? Non: ſed per legem fidei, quæ reputatur ad iuſtitiam. Matt. 19. d. 26. Rom. 3. e. 27.

De bonis operibus.

Confitemur bona opera, quæ Deus præparauit vt in iis ambularemus, quæque in verbo eius propoſita ſunt, fieri debere atque ſtudioſè adimpleri: non quidem ſpe promerendi aliquid apud Deum, aut metu æterni exitij: ſed ex officio atque amore quo communem omnium noſtrûm Patrem complecti oportet, vt obſequium noſtrum ad ipſius gloriam & proximi ædificationem ſpectet: vtque vera ac viua fides, tanquam arbor à bonis fructibus, dignoſcatur. Huc tendunt verba Petri, cum ait, Quamobrē, fratres, date operam vt bonis operibus certior reddatur electio veſtra, conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in quo detrahunt de vobis tanquam maleficis, ex bonis operibus vos æſtimātes, glorificent Deū in die viſitationis. Quoniam autē frigidi & pigri ad omne op⁹ bonū impij in hoc ſe excuſant, quòd Lex ſit impoſſibilis carni, atque ita ducti falſo gaudio, ſibi in peccatis placent: certum eſt quod qui veram fidem habebunt, fructus illius & opera quoque producēt: increduli verò mala opera perpetrabunt, necnon hypocritæ qui tantùm fidem mortuam iactitant, quos Diuus Paulus inquit, ore quidem confiteri ſe Deum noſſe, operibus verò negare: quandoquidem abominabiles ſunt, infideles & ad omne opus bonum inutiles. 1. Pet. 2. c. 12.

Frigidi & pigri quo se excusent, ... bona opera praestare cogantur.

Matt. 7. 16. 17. 18. 19. 20.

Tit. 1. 16.

De ieiunio

Credimus & confitemur, ſobrietatem & continentiam nobis ex præceptis diuinis, in omnibus rebus ſeruandam. Ieiunium quoq; nobis in Scriptura iniunctum eſt, quod corporis afflictione atque humiliatione conſtat, non id quidem vt tantummodò caro affligatur, ſed vt alacriores, magíſque ad precandum idonei reddamur. Vnde facilè patet, verum ieiunij vſum his temporibus negligi, imò prorſus aboleri. quod quidem Iſaias reprehendit in Iudæis, atque oſtēdit quínam ieiunio abutantur, Nolite, inquit, ieiunare quemadmodum ad hunc vſque diem feciſtis, &c. Eſa. 57. 2. 4

De ciborũ quorũdam abſtinẽtia.

Cõfitemur etiam in veteri quidẽ Teſtamẽto certos cibos fuiſſe prohibitos, quorũ tamẽ apud Chriſtianos liber mãſit vſus per Ieſum Chriſtum, *qui nos planè immunes ac liberos fecit iſtiuſmodi ceremonia atque ſeruitute* Legis. *Qua de re omnia munda mundis, contráque impuris & incredulis nihil purum eſſe poteſt, quorum mens & conſcientia impura eſt. Atqui eſca nos* Deo *gratiores non reddit. nam quod per os intrat, nequaquam hominem inquinat: omnis creatura* Dei *bona eſt: proinde nec aſpernanda, modò cum gratiarum actione vtamur. ſanctificata enim eſt verbo* Dei *& oratione. Sed diligenter nobis videndum eſt, ne libertatem hanc ad carnis voluptatem traducamus, atque in primis cautio adhibenda, ne corda ingluuie aut ebrietate, aut ſolicitudinibus & curis huius ſeculi impediantur, ac penitus obruantur.*

De Magiſtratibus.

Confitemur Reges, Principes, *ac magiſtratus perſonas eſſe à* Deo *conſtitutas, vt gladium geſtent ad bonorum defenſionem, atque punitionem facinoroſorum.* Ideóque *ijs obedientia debetur non modò propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Reddendum *enim ſuum cuique. tributum, vectigal, honorem & alia pro ſuo cuique iure perſoluenda cenſemus.* Ad Regem *in primis obedientia pertinet, vtpote qui cæteris dignitate præſtet: ad* Duces *verò quòd ab illo miſſi ſint.* O*mnibus denique proceribus ac magiſtratibus parendum, quòd* Deus *in hoc ordinauit, vt præmio bonos, ſceleratos verò pœna afficiãt.*

De paſtoribus & miniſtris.

Confitemur miniſtros & Eccleſiæ *paſtores, exemplo gregi, & fidelibus eſſe oportere, in ſermone, conſuetudine, charitate, fide & caſtimonia alijs prælucere, concionando* Verbum Dei, *& perſeuerando in ſyncera doctrina.* Contrà *verò paſtores auari, qui turpis lucri cauſa ſub prætextu nihilominus cultus* Dei, *falſas doctrinas cõminiſcuntur, iſtiuſmodi mercatores, propolæ, qui ſuarum rerum aſpectum atque eandem rem plus millies vendunt, qui templum* Dei *prophanant, vt ſpeluncam latronum efficiant: qui pecunia ſe animas, è* Purgatorio *vt vocant, redimere poſſe confirmant, atque accepto precio veniam & peccatorum remiſſionem promittunt, qui mala opera venditant: tales inquam, impoſtores, ſacrilegi, atque idololatræ, de gradu demouendi* Regum *ac* Magiſtratuum *authoritate, aliíque in ipſorum locum*

ſubſtituendi

ſubſtituendi forent. Quanquam hoc tempore pleríque ſe à Princi*pum obedientia non modò ſubtraxerint, eorúmque iuga planè excuſſerint: ſed etiam ambitione ac tyrãnide diabolica totius ferè orbis dominatum ſibi attribuerint.* Principum *potẽtiã atq; authoritatẽ vſurparint, derelicto proprio officio, quod erat gregẽ* Dei *paſcere, prouidere ei non inuito, ſed alacri & prompto propter* Deũ *animo: non autẽ occupare imperium in* Clericatũ*, quemadmodum ſatis declarat triplex illa* Antichriſti *corona, regnum etiam* Epiſcoporum *atque* Ab*batum, qui tandem ſtipendium iniquitatis ſuæ recipient.* Sed *cum* ἀρχιποίμην *ille venturus eſt, qui fideles ſerui inuenti fuerint, coronam gloriæ incorruptam accipient.* 2. Pet. 2. 10. Iud. v. 8.

Hæc confeſſio fidei primùm oblata fuit ſummæ Curiæ *ſeu* Parla*mento* Prouinciæ*, deinde additis aliquot articulis tradita & expoſita latius fuit* Epiſcopo Cabellionẽſi*, vt ipſemet petierat.* T*ũ etiam totidem capitibus deſcripta & exhibita fuit* Cardinali Sadoleto Epiſco*po* Carpentoractenſi*, aſcripta quadam poſtulatione in hanc ſententiam:* Incolas Cabrieræ *in comitatu* Veniſſæ*, officioſè poſtulare, vt æquo animo reciperet atque perlegeret doctrinam, in qua patres eorum & ipſi à longa temporũ ſerie inſtructi fuerant: quam quidem iudicabant, cum veteris ac noui* Teſtamenti *doctrina congruere.* Ac *quoniam* Car*dinalis ille peritus & ſtudioſus ſacrarum literarum habebatur,* Ca*brierenſes ab eo petebant vt notaret propoſitiones eorum, quæ ſibi à doctrina* Dei *diſcrepare viderentur, & ſi quid eſſe contrarium veræ religioni probare poſſit: ſe non modò non recuſare quin ad eius abiurationem adigantur, verumetiam ſubituros vel capitis vel fortunarum omnium diſcrimen.* Ad *hæc ſi quis eſſet iudex in comitatu* Ve*niſſæ qui certa inquiſitione affirmare poſsit, eos fouiſſe doctrinam impiam, aut aliam religionem coluiſſe quàm in articulis* Confeſsionis *eorum contineretur: rogabant vt is cum ipſis communicaret, ſéque viciſſim æquo animo obtemperaturos pollicebantur.*

Ad *hanc poſtulationem,* Cardinalis Sadoletus *reſpondit epiſtola manu* Secretarij *ſui ſcripta, propria verò manu obſignata, atque ipſius ſigillo confirmata, quam plures, etiamnum ſuperſtites, viri graues legerunt, in hanc ferè ſententiam:*

Sadoleti iudicium de Merindoliorum doctrina.

Poſtulationem veſtram accepi, & confeſsionis veſtræ articulos perlegi: ampla profectò eſt materia, nec vos de alia doctrina accuſari vnquam intellexi, niſi quam ipſi confitemini. Certum quidem eſt leues homines quædam de vobis ſparſiſſe in vulgus, quæ reprehēſionem acrem merebantur. ſed vbi accuratius inquiſitum eſt de re ipſa, meras calumnias & falſas criminationes fuiſſe compertum habuimus. Cæterùm in veſtris articulis nonnulla verba rectè mutari poſſe videntur, ita tamen vt ne quid veſtræ confeſsioni detrimenti accidat. Præterea non neceſſe habebatis (meo quidem iudicio) tam apertè in Paſtores eccleſiæ inuehi. Quod ad me attinet, ego vobis benefieri cupio, contráque malè me profectò haberet, ac vehementer ipſe angerer, ſi, quod alijs de vobis vaſtandis decretum eſt, exequerentur. Atque vt quantum vobis faueam certius cognoſcatis: ego breui profecturus ſum ad prædium quod habeo propè Cabrieram, eò vobis integrum erit ad me venire: ídque ſiue pauci ſiue plures numero, abſq; veſtro incommodo aut malo facere poteritis, ibíque quod in rem veſtram, quódque ad ſalutem tuendam faciendum cenſeo, ingenuè exponam.

Eo quidem tempore, anno ſcilicet M.D.XLII. *Vicelegatus Auenionenſis, hortatu Cabellionenſis* Epiſcopi *delectū militū habebat ad deſtruendam Cabrieram: cúmque exercitus ad milliare vnum prope Cabrieram acceſsiſſet, Cardinalis Sadoletus ſumma feſtinatione obuiam iuit Vicelegato, eíque oſtendit poſtulationem Cabrierenſium: & fidei eorum confeſsionem cum eo communicauit, additis conditionibus, quibus illi ſe ſtaturos receperant. Quò factum eſt vt eius rogatu exercitus inde receſſerit, nec vlla ſanè tum Cabrierēſibus iniuria illata fuerit. Poſtea verò Sadoletus Romam iturus, priuſquam ſe viæ daret, plures Cabrierenſium cum ſuis villicis quos ſciebat ex eorum numero eſſe qui Lutherani appellantur, accerſi iuſsit (nec enim alios in tota ditione ſua villicos ſibi dari optabat) his, inquam, pollicitus eſt ſe ipſorum memorem fore, ac quamprimùm Romam perueniſſet, totam confeſsionem, corúmque articulos communicaturum cum Cardinalibus. hácque ratione ſperare futurum vt Concilio aliquo melior inſtituatur reformatio: quæ res ad gloriæ Dei amplificationē, & ad Chriſtianæ concordiæ conſeruationem perquàm foret vtilis ac neceſſaria,*

Sadoleti admonitio ad Cabrierenſes.

nec

nec dubitare quin eodem modo abuſus ſaltem qui nimis ſunt craſſi & noti omnibus, corrigerentur. Interea etiam monebat eos, vt prudenter ſe gererent: vigilandum ipſis diligentérque ac ſeriò precandum, quoniam hoſtibus vndique cingerētur acerrimis. Hæc autem Sadoleti *oratio* Cabrierenſibus *magnæ conſolationi fuit, qui huius ſedulitate, breui aliquod reſponſum ad confeſſionem ipſorum redditum iri ſperabāt: attamen poſtquā* Roma *reuerſus eſſet* Cardinalis, *intellexerūt eū illic res omnes vſqueadeò deprauatas offendiſſe, vt nulla inde reformationis ac correctionis ſpes foret, ſed potius crudelis belli apparatus aduerſus eos qui* Eccleſiæ Romanæ *ordinationes atque traditiones nō ſequerentur: facilè quidem perſpici abuſus tam craſſos diu durare nō poſſe, cùm præſertim multitudo hominum cuiuſlibet nationis qui ſacræ doctrinæ notitiam ſunt conſecuti, in tantum numerum excreuerit.* Tātundem *quoq; dicebat* Theſaurarius Carpentoractenſis, *qui licet pecuniam ſuppeditaret ad perſoluēda ſtipendia militibus, quorū delect⁹ habebatur ad euertendam* Cabrieram, *occultè tamen ipſi opem ferebat: verùm non potuit adeò tectè rem gerere, quin ad* Vicelegatū *delatus fuerit, qui illum feſtinanter recedere coegit.*

Epiſcopus *autē* Aquenſis & Cabellionenſis, *ſedulò inſtabāt vt decretum* Merindolienſe *executioni mandaretur. Vnde à* Senatu *ac* Parlamento Prouinciæ *conſtitutū fuit ſecundū* Regis *diplomata, vt* Ioan. Durandius *conſiliarius* Curiæ, *cum quodam Secretario &* Epiſcopo Cabellionēſi, *ac* Doctore *aliquo* Theologiæ, Merindoliū *ipſum adirēt, eiúſq; incolis errores & hæreſes, quas in cōfeſſione fidei ipſorū agnouerint, oſtenderent, certíſque rationibus falſas eorum opiniones arguerent, conuictos deinde per* Verbum Dei, *abiurare cogerent ſuas hæreſes: id qui facerent, ipſos omni pœna ac reatu liberarent. Quòd ſi* Merindolienſes *hæreſeos conuicti, oblatam abiurationem præſtare recuſarent: tum eorum omnium quæ geſta fuerint dicam ſcribi oportere, vt tandem* Curia *quid agendum ſit ſtatuat.*

Promulgato *hoc decreto,* Epiſcop⁹ Cabellionēſis *nō expectauit diē executioni à* Senatu *præfixum, ſed ipſemet doctore* Theologiæ *aſſumpto* Merindoliū *venit, vt eos ad abiurationē adigeret. Qua de re per* Merindolieſes *reprehēſus fuit, quod præter authoritatē* Senatus, *ne-*

gotium ſuſciperet, dicentes id eum non habere in mandatis. Nihilominus haud deſtitit eos vrgere vt abiurarent, idque ſi facerent, aiebat in tutela ſua ac protectione, velut ſub alis gallinæ latent pulli, fore tutos, nec amplius ab vllo hoſtili incurſu ipſis metuendum. Merindolij incolæ petierunt, vt ea explanaret quorum abiuratione̅ fieri volebat. Reſpondit Epiſcopus, non opus eſſe vllam inſtituere diſputationem: ſe ſolùm poſtulare vniuerſalem quandam errorum omnium abiuratione̅, qualem vel ipſemet facere non admodum grauaretur. ídque etiam ipſos ſine vllo ſuo incommodo facere poſſe. At Merindolienſes negabãt ſe violaturos vlla in re Senatus areſtum, aut Regis literas, quibus ille diligenter cauerat declarandos primùm errores quoru̅ rei aguntur: vt verbo Dei edocti, Regij diplomatis argumento ſatiſfacere rectè poſſint. alioqui enim ſimulatione̅ tantùm & turpem hypocriſin fore, imò conte̅ptum iuris ſibi à Rege præſcripti. Itaque quod anteà ſæpius profeſſi ſunt, id etiam nu̅c confirmant: nempe, ſi idonea inquiſitione habita probentur in aliquo erraſſe, aut ex verbo Dei hæreſeos conuincantur, ſe abſque vlla cunctatione abiuraturos eſſe quicquid in ipſoru̅ confeſſione reperietur quod cum ſacroſancta Dei doctrina non conſentiat. contrà, ſi ipſos nullo errore ductos, nulláue hæreſeos nota vel macula infectos, conſtet puram Euangelij doctrinam ſemper docuiſſe & coluiſſe: non eſſe conſentaneum ſe ad canendam palinodiam errorum, quib⁹ obnoxij non ſint, impelli aut vlla vi cogi. Tum Epiſcop⁹ Cabellione̅ſis mirum in modu̅ excãduit nullam admittens mentione̅ verbi Dei, quo errores Merindolienſium arguendos Rex & Senat⁹ ipſe decreuerant, ſed tanquam amentia quadam corrept⁹, diris imprecationibus deuouebat qui primi hanc ratione̅ excogitaſſent. Tande̅ Doctor theologus, qui illuc cum Epiſcopo venerat, rogabat quinã eſſent articuli, quos Merindolij incolæ propoſuiſſent (Epiſcopus enim eos cum Theologo non co̅municarat) Hîc Merindolienſes: Epiſcopus, inquiu̅t, Cabellione̅ſis eos quide̅ habet: attamen nobis alteru̅ ad manu̅ eſt eorum exe̅plum. Tu̅ Epiſcopus Cabellione̅ſis tradidit Theologo doctori confeſſionem integrã: vixque eam perlegerat, quu̅ ipſe Epiſcopus inclamaret: Quid quæris teſtimonia? aut quid diſputationib⁹ egemus? omnia hæc ſunt hæreſeos plena. Cedo, inquiu̅t Merindolienſes, quonã in loco? Epiſcopus aute̅ non habebat quod reſpo̅deret. Doctor verò theologus

*oſtulabat ſibi tẽpus dari, quo articulos iſtius confeſſionis exactiꝰ ex-
enderet: atque examinaret num à Scriptura diſſentanei eſſent. quocir
a Epiſcopus ſummo cũ animi dolore illinc re infecta digreſſus eſt. Poſt
riduum iuſſit Epiſcopus accerſi Doctorẽ, vt ex eo cognoſceret qua
otiſſimùm via vti poſſet ad demonſtrandas hæreſes quæ in illa con-
eſſione haberentur. Ad hoc Doctor aiebat, ſe nunquam ita fuiſſe atto-
itum quàm quum articulos expendiſſet, & diligenter contuliſſet te-
timonia ſacrarum literarum, quæ ad confirmationem eiuſdem confeſ-
ionis adducta in ea fuerant. fatebatur etiam liberè, tota ſe vita tan-
um in diuinis ſcriptis nõ profeciſſe, quã illis octo diebus, quibus Scri-
pturæ locos in ijs articulis citatos excutere coactus fuerat. Paulò autẽ
póſt Epiſcopus Cabellionenſis, comitatus tantummodò famulis ſuis,
Merindolium venit: ibíque pueris grandiuſculis ſimul & paruis ad ſe
vocari iuſſis, pecuniã ſingulis largitus, blandè præcepit vt orationem
Dominicã cũ ſymbolo Apoſtolorum Latino idiomate ediſcerent. Pleri-
que eorum excipiebãt, ſe Latinè quidẽ noſſe Pater noſter, & Credo:
non poſſe tamen reddere rationẽ eorum quæ recitarent niſi ſuo, id eſt
Gallico idiomate. Quibus tunc Epiſcopus dixit, non requiri tãtam in
ipſis ſcientiam, ſatis eſſe modò ea Latinè tenerent: neque ad ſalutẽ con-
ducere tam exactam fidei rationem atque intelligentiã: multos Epiſ-
copos, Parochos, quin etiam Doctores theologiæ inueniri, quibus ſatis
negotij exhiberet vel tenuis ac rudis expoſitio orationis Dominicæ, aut
ſymboli Apoſtolici. Hæc audiens Merindolienſis Præfectus An-
dreas Maynardus, Quid, quæſo inquit, proderit verba non intellecta
proferre, & pſittaci more recitare Pater noſter aut Credo? mentitur
certè, & Deum irridet quiſquis abſque intellectu vſurpat hæc verba,
Credo in Deũ: & quid ipſa valeãt ignorat. Intelligíſne tu, inquit Epi-
ſcopus, quidnam valeat Credo in Deum. Cui præfectus, miſerũ ſanè
me deputem, niſi intelligerem: ac tũ ordine rationẽ fidei reddere cœpit.
Qua quidem re Epiſcopus perculſus, ei dixit, Non putaſſem meher-
cule Merindolium tantos habere doctores. Quid? inquit Præfectus,
etiam infimæ ſortis homuncio qui Merindolium incolit, rectius mul-
tò quàm ego fidei capita tibi enarrare poterit: ſed periculum fac,
ac percontare, amabo, pueros iſtos, aut iſtorum aliquem: vt rectène*

Episcopus Cabellionensis pecuniam largitur pueris Merindolientibus, ut orationem Dominicam et Symb. Aptorum Latine ediscant.

Praefectus Merindoliensis ad Episcopum Cabellionensem

an perperam inſtituti ſint, ipſe iudices. Epiſcopus *qui neq; reſpōdendi neq; interrogādi ſciētiam tenebat, fremitu atq; indignatione pudorem obtegēs nihil reſpōdit. Quod facilè perſpiciēs alter Syndicus* Merindolij *cui nomē erat* Perronius Regius, *Domine, inquit, ſi velis vt paruulorū aliquis ſuos interroget ſodales, nō ægrè id præſtabit.* Permiſit Epiſcopus. *Ibi tū vnus è pueris interrogare cœpit alios ſumma grauitate, ac ſingulari gratia: dixiſſes planè præceptoris partes illū agere. Alij verò viciſsim pueri, quærēti adeò aptè & commodè reſpōdebāt, vt ea res auditoribus non mediocrē admirationē afferret. geſta enim fuit hæc res coram multis. inter quos erant etiam religioſi quatuor, qui non ita multò antè à* Pariſiēſi Academia *redierāt, quorū vnus ſic* Epiſcopū *allocut⁹ eſt,* Neceſſe *eſt, inquit, vt verum fatear, me ſæpius quidē diſputationibus theologicis* Sorbonæ *interfuiſſe, nūquā tamē ex ijs tātùm pfeciſſe, quātum nunc audiēdo iſtos puerulos fructus percepi.*

Matt. 11. d. 26. 27. *Cui tum quidā* Gulielmus Armātius *dixit,* Legiſtíne *vnquam quod apud* Matt. *ſcriptū eſt de* Ieſu Chriſto, *Gratias ago tibi* Pater, *Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapiētibus & prudētib. & reuelaſti ea paruulis: Sanè* Pater, *quoniam beneplacitū tuū eſt eiuſmodi. Omnia hæc verba, atq; reſpōſa, quæ dabāt* Merindolij *incolæ, cunctis ſummæ admirationi fuere.* Epiſcopus *cùm hac nō ſuccederet, alia aggreſſus eſt via, & conatus eſt blādis verborū lenocinijs* Merindoliēſes *in ſuā pellicere ſentētiam.* Remotis itaque *extraneis, ſeorſim faſſus eſt perſpectū quidē habere minus in ipſis mali eſſe quàm multi arbitrarētur, ſed vt perſequētibus ſatisfieret, leui quadā abiuratione opus eſſe, quam generatim coram ipſo præfectus & ſyndici* Merindoliēſes *cōmuni ciuiū nomine facerēt, nullo adhibito actuario aut notario, qui eā ſcripto exciperet.* Ita *ipſos amorē atq; fauorē vel apud hoſtes cōſecuturos eſſe, nulla inuſta infamiæ nota. nam ad* Papā *tantummodò* Curiámque Prouincialē *negotiū relatū iri. Quinetiam ſi qui poſtmodò factum illud vitio verterent, aut forſan hoc prætextu moleſti ipſis eſſe velint, ſanè omnino negari poſſe quod nec literis nec teſtibus verè pbaretur.* Atq; *vt rectius hæc tranſigerētur, rogabat vt cōuenirent & inter ſe deliberarēt.* Præfectus *autē ac ſyndici, aliíque plures ex ſenioribus viciſsim reſpōderunt, iandudū deliberatū ac conſtitutū ſibi eſſe*

non

non cõſentire vlli abiurationi, niſi (quæ ſemper eorũ fuit exceptio) ex verbo Dei hæreſes arguerentur. mirari quoque admodum ſe dicebant, quòd Epiſcopus eos adigere vellet ad mentiẽdum Deo & hominibus. His dictis Epiſcopus magnis animi perturbationib⁹ agitatus illinc diſceſſit. Paucis verò poſt diebus Epiſcopus Aquenſis aſſiduè inſtabat apud Ioannem Durandium ſummæ Curiæ in Prouincia conſiliarium, vt mãdatum quod à Senatu habebat perſequeretur: de quo mandato & iam antè ſæpius & mox etiam dicemus. Durãdius itaque incolas Merindolij certiores fecit de die quo illuc cũ Epiſc. Cabellionẽſi, eiuſdemque comite doctore Theologo, & quodã Scriba vẽturus eſſet, ne quis ſtato die ibi deſideraretur. Accurrerãt etiam tunc tẽporis vndiq; viri nobiles & docti, & alii cuiuſuis ordinis homines, eò tantùm conſilio vt huius executionis ſpectatores eſſent. Merindoliẽſes quoq; præmoniti fuerant ne ſe vnà oẽs ſiſterẽt, ſed iuxta templũ ſtarẽt, vt vocati eo ordine ac numero, quo ipſis indicaretur, in mediũ prodirent. Poſtquam Durãdius cõſediſſet vbi iudicia ſua exercere ſolebãt Merindoliẽſes, iuxtáque illum Epiſcopus Cabellionẽſis, Theologiæ doctor, & Scriba: accerſebãtur Andreas Maynardus præfectus: Ienonus Romanus & Michelinus Maynardus ſyndici: Ioannes Cabrius, cum Ioanne Palenco ſeniores Merindolij. qui cùm acceſſiſſent, vnicuíque honore exhibito: Durandius orationem ſuam ita eſt exorſus, Non ignoratis, inquit, areſto ſummæ Curiæ Prouincialis, vos cũ vxoribus atq; ipſis pueris ad vnũ omnes igni & incẽdio adiudicatos, domos verò veſtras ſedibus ſuis cõuellẽdas ac diruẽdas, vt pagus omnino inutilis habitationi reddatur, &c. attamẽ placuit Regi, clemẽtiſſimo noſtro principi, literas mittere per quas rebus veſtris cõſuluit, ne ſummo iure actio gereretur, ſed ex decreti ſui moderatione: quod tum ibi prælectũ fuit. Pòſt multas itaque conſtitutiones, viſum fuit Senatui, vt ab Epiſcopo Cabellionẽſi doctoréque Theologiæ coram me de erroribus admoniti, conuictíque hæreſeos, quã vos fouere dicimini, doctrinæ falſæ renunciatis: imò publicè ac ſolenniter abiuretis errores priſtinos, prout res ipſa poſtulat. Quod ſi feceritis, gratiam à Rege principe noſtro in vos collatam conſequemini. Quare neceſſe eſt vt nunc obedientiam Deo, Regi, & magiſtratui exhibeatis. Quo dicto, rogauit quidnã illi ad ea quæ propoſita erant, reſponderent. Præfectus autem Andreas

Maynardus facto ſigno indicauit ſyndicis Merindolij *vt reſpōderent: ſyndici cōtrà, id ex* Præfecti *officio eſſe ſignificabant.* Tum *Cōſiliarius* Durandius *ad* Præfectum, Tuum *eſt, inquit, primò reſpondere qui magiſtratum geris.* Præfectus *verò, dixit negotium iſtud ad cōmune totius pagi pertinere: proinde ſyndicorū fore primò reſponſum dare. ſed quoniam, inquit, tibi ita placet, velimus aliquem nobis aduocatum dari, qui, vt mos eſt forenſis, de toto negotio certior factus cauſam noſtram agat. nam nos homines illiterati ſumus & rudiores quàm vt pro rei dignitate reſponſum reddere poſſimus. Conſiliarius autem dixit ſe nec ſcripto nec per aduocatū cauſam hāc, ſed ex ipſorū ore audire velle: haud recuſare tamen, modò nullus extraneus det eis conſilium, quin inter ſe deliberarēt quid dicturi eſſēt, ac dein viciſſim ipſi dicāt.* Præfectus *conditionē accepit, ipſeq; cum ſyndicis & ſeniorib. aliquādiu conſultatum ſeceſſere, nec aliud illorum fuit conſiliū, quàm vt ſyndici primò, deinde* Præfectus, *poſtremò ſeniores, quod cuiq;* Dei *gratia ſuggereret, eloquerētur: ac quamprimùm redierūt. mirabatur Cōſiliarius, quòd tam citò deliberaſſent.* Michelinus Maynardus *ſyndicus* Merindolienſis, *rogans* Durandium *&* Epiſcopum *ſibi ignoſcerent, vt pote ruſtico & rerum forenſium imperito, ſi minus eleganter diceret: in hanc rationem reſpondit,* Magnas *profectò* Deo *gratias agere debem⁹, quòd ad alia beneficia quæ in ſummo diſcrimine ab illo accepimus, iſtud etiā dederit maximū, quū* Regis *animū ita affecit, vt iure nobiſcum agi præciperet, omnem vim & violētiam ſuo diplomate reprimens: qui exemplo* Dauidis *&* Solomonis *non dedignatus ſubditorum miſerrimos reſpicere, ijs prouidit vt bonum principem decet: quo quidem nomine nos illi ſummam in* Chriſto *felicitatē optamus, deinde gratiā habemus ſummo* Prouinciæ Senatui, *quia ius adminiſtrarit nobis ex mandato* Regis, *principis noſtri: & tibi quoq; domine* Durandi, *qui huc cū mādatis* Curiæ *veniſti propterea quòd viam nobis mōſtraris facilē, quæ in hoc negotio tenēda ſit. quocirca velim equidem hæreſes declarari, de quibus accuſor: ac ſi vllum me ſermonē in quo* Dei *maieſtatem læſerim, vſquam habuiſſe conſtet, libens reuocabo, & pœnam pro tuo arbitratu non inuitus dabo. poſt hūc* Ienonus Romanus, *vir admodum grandis natu, ſyndicus* Merindolienſis,

dixit

dixit ſe ſententiæ Collegæ ſui accedere, Deóque laudẽ tribuere quòd in extremo ætatis ſuæ tẽpore, lætos iſtos nũcios & audiret & videret quibus allatũ erat vt cauſa religionis ex Sacrarũ literarũ authoritate tranſigeretur. id enim iuris nũquã obtinere potuiſſe maiores, apud vllos iudices contra perſecutores ſuos. Præfectus autem Maynardus dixit Commiſſario, Scribam ipſius ſtultum adoleſcẽtulum nihil quàm ridere, nec quicquam eorũ quæ dicerentur chartæ mandare. Quod ægreferẽs Cõmiſſarius, acriter Scribã obiurgauit, & ſingulari memoria quæcunque antè dicta fuerant repetẽs deſcribi iuſsit: ac poſteà rogauit, nunquid aliud vellet dicere. Cui Præfectus, Quum mihi poteſtatẽ facis liberè dicendi quod ſentio, nulla profectò hîc mihi videtur eſſe iudicij forma, cũ nõ ſit qui accuſatoris partes agat, vt niſi probare poſſit eadẽ quib⁹ nos accuſamur, pœna afficiatur qua falſos accuſatores puniri iubet Scriptura. In eãdem rationem locutus eſt Ioan. Brunerollus Merindolij ſuppræfectus, poſtulãs exhiberi inquiſitiones certas, quibus cõſtaret incolas eius loci in errore verſari. aut ſi id non facerent aduerſarij, ipſi vt innoxij iudicis ſententia abſoluerentur, illi verò moleſti eſſe deſiſterent, ac deinceps nec capitibus nec fortunis ipſorum manus intentarent. Cõmiſſarius autem eò quòd prandij tempus inſtaret, rem in horam primam pomeridianam reiecit. ibi cùm vrgerent Merindolienſes iidẽ qui manè reſponderant, vt errores & hæreſes de quibus accuſarentur, in medio ponerẽt aduerſarij. Epiſcopus Cabellionẽſis & theologiæ doctor, rogati per Cõmiſſarium ſiquid cõtrà haberẽt, aut ſi articulos ab iſtis propoſitos impugnare vellent: Epiſcopus non auſus apertè loqui, diu multúmque in aurem Conſiliarij ſuſurrauit. quos quidem ſuſurros cùm diutius ferre non poſſet, Conſiliarius ad Merindolienſes ſermonem cõuertit, Epiſcopum dicere nihil opus eſſe inquiſitionibus, ſed eiuſmodi de ipſis vndique ſpargi rumores. Doctor verò theologiæ nullũ articulũ cõfeſsionis, quæ tum recitata fuit, impugnauit, ſed pleraq; Latinè cum Cõmiſſario loquebatur. Merindolienſes qui aderant in iudicio, petebant vt Conſiliarius in ſua renũciatione, quam proceſſum verbalẽ vocãt, accuratè deſcribi curaret tam ipſius Epiſcopi quàm Doctoris tergiuerſationes. Promiſit Conſiliarius nihil ſe omiſſurum quod in rem eorum fore exiſtimaret.

Deut. 19. 18.

addebat inſuper non neceſſe eſſe reliquos Merindolienſes *vocari, ſi nihil aliud contra eos afferri vel probari poßit.* Habes hîc *ſummã eorũ quæ in hac diſceptatione geſta fuerunt.* Quotquot *autẽ audiendæ diſputationis ſpe ducti vndique concurrerant, mirabantur admodum videntes* Epiſcopum *& doctorem* Theologum *victos planè obmutuiſſe.* Atque *ea res multis vtilitati fuit, qui exempla confeßionis* Merindolienſium *ſecum aſportantes ad ſanioris doctrinæ cogitationẽ animũ appulerũt. præcipuè verò tres illi doctores, qui ſæpius* Merindolienſes *ad defectionem à vera fide ſolicitarãt, vi veritatis conuicti, priſtinis ſuperſtitionibus abiectis, ſynccrã amplexi ſunt religionẽ, eorúmque miniſterio vſus eſt poſteà* Dominus *ad* Euãgelij *ſui prædicationẽ.*

Poſt *tam varias & graues has forenſes conflictationes, tandem* Deus *grata ocij & requietis viciſsitudine,* Merindolienſium *ac ſociorum animos refecit: ídque incuſſo hoſtibus eorũ terrore propter exempla quæ in ſceleratos eius populi vexatores adeò luculenta ediderat, non tantùm in repentina præſidis* Chaßanæi *morte, verumetiam in pleriſque aliis* Prouincialis Curiæ *primariis viris, quorum quidem horrenda mors multos perterrefecit: inprimis verò ea quam* Ioanni de Roma *impurißimo homini omnes accidiſſe nouerant: quemadmodum antea commemorauimus.* Itaque *crudelis aduerſariorum rabies multis interpoſitis impedimentis aliquandiu repreſſa fuit: viſque atque executio crudelißimæ illius aduerſus* Merindolios *latæ ſententiæ tantiſper interpellata fuit, dum* Ioannes Minerius *recutiti patris vt ferebatur, ſoboles, munus primi in ea* Curia *præſidis obtinuit.* Is *cùm antea papali magiſtratu, quem* Viguierum *dicũt,* Cabellione *fungeretur, ex depreſſo loco ad ſummas opes & dignitates repentè euectus eſt. nam ad præſidentiæ authoritatẽ acceßit etiã præfecturæ* Regiæ *dignitas, qua abſente domino* Griniano *ac in* Germania *legationem agente fungebatur.* Is *ſanè omnes vires opéſq; ſuas eò contulit, vt ſanguinolentũ illud* Curiæ *areſtum antea factum, non cõfirmaret ſolùm, atque ipſa re præſtaret: verumetiã vt* Sathanæ *adminiſter & infeſtißimus carnifex ad eius crudelitatem permultum adderet: quemadmodum ipſa executione declarauit.* Itaque *domino* Griniano, *à* Prouincia *tum abſente, egregi⁹ hic præſes* Minerius,

obſer-

obſeruatis omnibus rationibus atque occaſionibus, quibus poſſet quod ſuſceperat, perficere: omnes copias Regis (quæ tum è Pedemontio in Prouinciam venerant vela daturæ Maſſiliæ ad expeditionem belli Anglici) coegit, eáſque coniunxit cum eo exercitu quem Papæ legatus Auenione atque in toto Veniſſæ comitatu contraxerat. Atque ita magnanimus dux, oblitus ſui officij, infeſtis ſignis progredi cœpit, ad excindendum vaſtandúmque Merindolium & Cabrieram, aliáque oppida, & pagos numero viginti duos euertendos ac delendos. Atque vt id facilius efficeret, militibus poteſtatem fecit diripiendi omnia & incendendi, atque etiam homines, mulieres, infantéſque trucidandi. Antequàm autem perueniret Merindolium, incendio atque direptioni dedit oppidum Rupem nominatum, San-Stephanum, Villelaurum, Lormarinum, Mottam, Cabrierettam, San-Martinum, Pipinum, aliáque loca vltra montem Lebronem poſita. Eorum autem locorum incolæ, quorum maior pars ſe Merindolium receperat, cùm viderent tantam inimicorum immanitatem, ſeceſſerunt in ſyluam Lauram appellatam, quoad eorum vis & furor, quaſi tempeſtas quædam ſæua violentáque illata præteriret. Sed videntes eos magis magíſque confirmari, atque ad ſeſe propius accedere, omnes vnum idémque ſenſerunt, atque ſtatuerunt nihil melius eſſe, quàm ſi coniuges cum liberis relinquerent: viri aliò aliquò concederēt. ſic enim exiſtimabant ipſis abſentibus facilius eas plus miſericordiæ apud hoſtem quātumuis barbarū inuēturas. Nulla oratio explicare poſſet gemitus, dolores animi, flet⁹, queſtúſq; promiſcuos, qui in hoc acerbiſſimo diſceſſu digreſſúque editi fuerunt: cùm vir à chariſſima vxore, pater à iucundiſſimis liberis, ita abſtrahi auellíque cogeretur. Tamen habita cōcione à Miniſtris, precibúſq; vſitatis veſpertino tempore adhibitis, viri ea nocte diſceſſerunt, vt maius incommodum ac periculum vitarent. Poſtero die manè, copiæ pedeſtres propius acceſſerunt ad eum locum vbi mulieres à viris relictæ erant, pleríque eorum qui in Minerij caſtris erant, beneuolentia in eos aut miſericordia aliqua permoti, ab exercitu præcedentes, eum in locum properarunt, vt eos, qui ibi erant, de infeſto hoſtium aduentu certiores facerent, quos quidem omnes offenderunt, vnanimiter orantes, poſt conſuetam concionem, quæ ma-

Minerii diſciplina militaris.

Auulſio miſeranda.

nè habita fuerat. Porrò vt primùm exercitus eò venit, omnia bona, quæ miſeri homines ſalua ex prioribus rapinis inimicorum ac latrocinijs reſeruarant, ſtatim direptioni expoſita fuerunt: mulieres ac puellæ expoliatæ, quædam violatæ, ac verberibus cæſæ, atque omni cum contumelia petulantiáque tractatæ: aliæ verò venditæ, atque omnibus opprobrijs iniuriíſque expoſitæ. Interea Minerius via, quam vocant, regia Cadeneti, cum equitatu Merindolium contendebat, per mediam Laurenſem ſyluam. Quò quum eſſet peruentum, præſes quendam nactus adoleſcentem, iuſſit eum alligari ad oleam, globulíſque tormentorum miſſilibus, crudelem in modum à ſuis confodi & confici. Hoc in ſupplicio & martyrio, iuuenis oculos ſemper ſuos habebat in cælũ erectos & intentos, cum maximo clamore piæ inuocationis indice. Vltima eius vox hæc fuiſſe dicitur, Domine Deus, iſti quidẽ homines vitam mihi ærumnoſam miſerámque eripiũt: ſed tu per Ieſum filium tuum vitam mihi tribues ſempiternã. Merindolium igitur ſine vlla repugnantia captum ac direptum fuit & incenſum, ac per foſſores belli aſſeclas ſolo æquatum. Vaſtato igitur Merindolio, poſtea viceſima die Aprilis eodem anno, Cabrieram omnibus viribus obſederũt, quam cũ vehementer machinis bombardíſque oppugnaſſent, neque poſſent expugnare: Minerius cum domino ipſius Cabrieræ & Polino earũ copiarum duce, interpoſita fide promiſerunt, ſe curaturos, vt eorum cauſa in iudicium ciuile, ab omni armorum violentia vocaretur, neq; vlla eis vis & iniuria adferretur, ſi portas oppidi vellẽt aperire. Ea fide data propugnatores ſtatim portas aperuerunt, Polinúmq; & Dopedã cum exercitu receperunt. Sed homines nõ minore perfidia, quàm animi ſæuitia præditi, cùm ingreſſi in id fuiſſent, omnem fidẽ fefellerũt ac violarunt. Dopeda quidem viginti quinque ex ijs quos ſelegerat, comprehendi iuſſit, vinctóſque extra vrbem in pratum quoddam deduci ſuburbanum, vbi milites eos crudeliſſimè omnes cõtrucidarũt. Ac ne quid ſceleris aut crudelitatis intentatum relinqueret, in ſexu quoque muliebri experiri voluit. mulieres etenim quadraginta, quarum quædam erant grauidæ, comprehendi iuſſit, eáſque in horreum includi: deinde quatuor ex angulis ignem ſubijci. Ac cùm iam flamma inualuiſſet & horrendum in modum clamores vndique exaudirentur, tãtum ab-

Iuuenis Merindolanus confoſſus.

Merindolium funditus deſtruitur.

Cabriera perfidè capitur.

Crudelitas pluſquam Scythica.

eſt

ſt vt hoſtis vlla miſericordia tact⁹ fuerit, vt etiã mulieres quæ ſemi-uſtulatæ ab incẽdio ſeſe proripere conabantur, contis haſtiſq; militum undique propellerentur, atque in ignem adigerentur. Complures *etiã reperti ſunt in caueis, qui bini vinculis conſtricti, in aulam arcis* Cabri-*rẽſis ducti fuerũt, vbi acerba & indigna cæde, militibus ludibria fu-runt.* Poſtremò *ductores lenonum latronúmque* Auenionenſium *tem-plũ ingreſſi, & maximum mulierum, infantium, puerorũque numerum nacti, nullum crudelitatis genus prætermiſerũt, nulliq; ſexui aut æta-ti pepercerunt.* Reliqui *verò, qui eodem tempore aut deinceps, vario mortis genere interierunt, circiter mille numero fuerunt: in quos qui-dem omnes, ſine vllo diſcrimine ætatis, ſexúſque infeſta inimicorũ li-bido graſſata eſt, vel potius ſumma cum petulãtia debacchata.* Ad *mo-numentum autem tam præclaræ rei geſtæ partæq; victoriæ, adminiſtri Papæ columnam* Cabrieræ *erigendam curauerunt, in qua dies & ann⁹ oppidi capti ac direpti, per* Ioannem Minerium Dopedæ *dominũ, Cu-riæ* Prouinciæ *primum præſidem, inciſis literis notatus fuit, ad memo-riam tam fœdæ atq; horrẽdæ immanitatis, nõ ſolùm nouæ ac inuſita-tæ, ſed etiam inauditæ.* Ex *quo ſanè poterit ipſa poſteritas intelligere quibus rationibus* Romanus *Antichriſt⁹ ſedem illã impietatũ atq; ab-ominationum tueri ſoleat, qui iam ad eum omnium ſcelerum cumulum venit, vt omni æquitate, iuſtitia, veritate poſthabita cauſæ ſuæ defen-ſionem in armis, terrore atque oppreſſione conſtitutam habeat.* Interea *ij, qui paulò antè è* Merindolio *ſeceſſerãt, lociſque in circuitu vicinis, per montes ac rupes, in ſumma inopia & rerum omniũ ad victũ per-tinentium deſtitutione vagi, aut abditi verſabãtur: qui quidẽ ante eam calamitatem importatam, priuſquam inimici eò ſceleris furoriſq; pro-greſſi, à præſide per homines apud eum aliquam gratiam authoritatém q; habentes contenderant, vt ipſis iter pacatum & tutũ daret, quò re-cipere eò ſe poſſent cum vxoribus ac liberis, quò* Dominus *ipſos vellet conducere, ſolum induſium habentes, quo carnẽ ſuam aliquo modo cõ-tegerẽt.* At *præſes amicis ſuis ita reſpõdit,* Ego, *inquit, ſcio quid mihi agendũ ſit.* Ne *vnus quidem meas effugiet manus, ego mittam eos in regionẽ inferorũ, vt ibi cum diabolis habitẽt.* His *aliiſq; minacibus a-trocibúſque vtens verbis, quibus duces exercitus præſẽtes, ad omnem*

Digni ſuo imperatore milites.

Trophæũ Dopedæ.

Arma Antichriſti.

Merindolanorum poſtulata.

Dopedæ reſponſum ferox.

acerbitatem & ſæuitiam incitabat, eoſdẽ fortis ille imperator hortabatur vt omnia oppida, domos, locáque aperta, infirma & iam diruta, hoſtiliter inuaderent, diriperent, vaſtarent, in quibus ne minima quidem ad reſiſtendum vis aderat. Sed egregius ſanè vir, qui à iudicio & foro ad bellum atque imperium, toto animi impetu ſe contulerat, quanta eſſet ſua potentia, vel potius naturæ ferocia & immanitas in hominum innocentium, Deúmque piè colentium imbecillitate inopiáque experiri voluit. nam eadem crudelitas ac vaſtitas, & ab iſtis oppidis & pagis in Coſtam oppidum, quaſi tempeſtas quædam ſæuiſſima & calamitoſiſſima delata eſt. Eius oppidi dominus ciuibus anteà ſuaſerat vt omnia arma in arcem conferrent, & murum etiam aliqua parte diruerent, vt in eos præſidio deſtitutos, clementius hoſtis ageret. Quum verò ipſe Coſta diſceſſiſſet, non longè progreſſus, obuios habuit Minerij milites, rectà in vrbem tendentes. nihil tamen primo impetu effecerunt: poſtero tamen die, incenſis circùm ædificijs ſuburbanis, vrbem crudelius oppugnantes, vi capiunt: plærique enim ſuperiori nocte, deſerta vrbe profugerant delapſi funibus. Capta vrbe ac direpta, poſt ſtragem editam excurrunt milites in locum caſtro proximum, vbi mulieres ac puellas quæ trepidantes eò confugerant promiſcuè conſtuprant: & quum aliquandiu detinuiſſent, adeò inhumaniter tractarunt, vt eæ quæ gerebant vterum, & natu minores puellæ non multò pòſt extinguerentur. Sanè impoſsibile eſſet omnes acerbos ac luctuoſos exitus euentúſque ſuſceptæ tam crudelis perſecutionis in Merindolios ac ſocios enarrare, adeò nullum ſæuitiæ genus prætemiſſum fuit: ac qui euaſerant perq; ſyluas & rupes oberrabãt, intercepti, vel ad triremes mittebantur, vel confodiebantur: multi qui ſpeluncas ingreſsi ſub rupibus latitabant, alij inedia, alij iniecto igne enecati ac fumo ſuffocati fuerunt. quæ quidem amplius cognoſci poſſent ex forenſibus actis, aduerſariíſque orationibus in primariæ claſſis Curiæ Pariſienſis auditorio, apertis valuis magnáque hominum frequentia habitis, à duobus celeberrimis & frontis prorſus panegyricæ Cauſidicis, altero quidem cui Aubrio cognomen erat, Minerium præſidem in vincula coniectum accuſante: altero verò qui Robertus nominabatur, defendente. Hæc verò omnia iuſſu atque authori-

tate

ite Henrici II. Galliarum Regis ea potiſsimùm gratia Lutetiæ, ve-
iti in ſummo totius regni theatro geri dicebantur, vt patrem Frãci-
um regẽ, cui ſucceſſerat, ab ea crudelitatis nota vindicaret, quæ mul-
orum Principum animos offenderat, vt ipſe Carolus V. imperator in
ublicis omnium ordinum Germaniæ comitijs eum perſtrinxiſſe dica-
ur, quod ſubditum populum nulla ſexus aut ætatis ratione habita
ntegrum vaſtaſſet. Hæc verò cauſa quum quinquaginta plus minus
udientijs vltrò & citro habitis peragi non poſſet, in ſumum Palatinũ
bijt, tandémque Minerius vinculis ſolutus, in integrum reſtitutus fu-
t ea conditione ac fide data Carolo Lotharingo Cardinali, vt nouos
ſtos Chriſtianos (ſic enim appellant veritatis Euangelicæ ſtudioſos)
ota Prouincia expelleret. Reuerſus itaq; in Prouinciam maiora quàm
ntè crudelitatis ſpecimina dedit: neque prius extrema quæque in ho- Minerii horrendus exitus.
nines innocentes tentare deſtitit quàm morbo correptus horrẽdas pœ-
nas admirabili Dei iudicio dedit. Etenim inuſitata per poſticã corpo-
is partem ſanguinis emiſsione, ac graui ἰσχουρίᾳ paulatim illi ingui-
na computruerunt. Ac quum nullum morbo remedium inueniretur &
iam inteſtina vermibus arroderẽtur, accerſitus fuit clari nominis Chi-
rurgus natione Gallus qui Arelate cõmorabatur cognomine La Mot-
te vir non minus pietate quàm arte inſignis, qui quum ἰσχουρίας mo-
leſtia Minerium leuaſſet, ac iam plurimùm authoritatis apud eum
conciliaſſet: antequàm alias putidi cadaueris partes attingeret vt
penitius exquireret morbi cauſas, petijt vt qui Minerio in cubi-
culo aderant, paululùm ſecederent. Illis ſemotis cœpit pluribus Mine-
rium hortari, iam tempus eſſe vt ob tam horrẽda ſcelera, maximè verò
ob innocentem ſanguinẽ manibus ipſius effuſum, veniã à Deo per Chri
ſtũ poſceret: eam demùm eſſe cauſam inuſitatæ profuſionis ſanguinis
quem emittebat. Hæc ſanè adeò impuram hominis cõſcientiam pupu-
gerunt vt morbo grauiorẽ moleſtiã tulerit. Adeſte, inclamat, cõprehẽ-
datur Chirurgus hæreticus. Lamotteus, has monitiones tyrãno dictas
quauis mercede potiores exiſtimans, protinus Arelatẽ ſe recepit. Re
uocatus tamen precibus ac præſidio ab amicis fide obfirmato Lamotte-
us ad Minerium redijt. quũ iam omnia cõclamata eſſent, & crudeles ac
horrendas voces impuro ore animam agens emitteret.

Inſignis Euangelicæ doctrinæ confeſsio, & perſecutio fidelium apud Meldenſes, quorum Quatuordecim extremo ignis ſupplicio affecti fuerunt.

Meldæ Euangelio illuſtratæ.

INTER *multas regni* Galliæ *vrbes, quibus gratia cæleſtis per verbum* Dei *communicata atque impertita fuit, oppidum* Meldenſe *primo loco numerandum eſt, quod in* Bria *poſitum ad* Matronam *fluuium, milliaria decem* Lutetia *abeſt. nam perpaucæ reperientur ciuitates ſub impio* Antichriſti *dominatu, in quibus veritas verbi* Dei *tanta fide annunciata, tanto ſtudio ardoréque recepta, tanto aucta incremento, ac ſubitò amplificata, tanta conſtãtia defenſa & conſeruata fuerit.* Ratio *autẽ qua* Dominus *hãc vrbem illuminauit, quæ nullo ferè alio hominum genere, quàm opificum ac mechanicorum frequentatur, huiuſmodi eſt:* Guilielmus Briçonnetus *eius vrbis fuit epiſcopus, homo optimis literis eruditus, ac tum quidem admirabili quodam ſtudio veritatis tum cognoſcendæ, tũ etiam alijs declarandæ inflammatus.* Is *initiò epiſcopatus, cùm eccleſias diœceſis ſuæ adiret, atque vt verus paſtor, inſpectorem ageret, reperit populum cognitione* Dei *planè deſtitutum, eúmque à* Franciſcanis *cæteríſque manticariis mendicis ea ſolùm doceri, quæ ad cœnobium illorum, ac ventrem explendum pertinerent.* Itaque Epiſcopus *eorum impoſturis ac fallacijs intellectis, ſanctiſsimo animi ſtudio permotus, eis in vniuerſa diœceſi ſua prædicationem interdixit, atque in eorum locum viros alios vocauit, ſumma cum vitæ probitate tum etiam pietatis doctrina atque intelligentia probatiſsimos.* In *quibus fuit* Iacobus *Faber Stapulenſis*, Michael *Arandenſis*, Martialis, Gerardus *Rufus. quorum cum fide & diligentia, tum etiam ſingulari ſtudio feruoréque* Epiſcopi *(qui ipſe tum veritatem* Dei *annuntiabat, nulliq; parcebat ſumptui, quo libri ad eam rem vtiles parari poſſent) cognitio* Euangelij *longè latéque cœpit propagari, & præclara huius tanti boni & ſolatij à* Deo *profecti fama per totam* Galliam *diffundi: quibuſdam in ſuauem vitæ odorem, alijs verò contrà in offenſionem.* Tamen *hoc ſemen* Euangelij *ea in eccleſia iactum, quotidie magis efflóreſcebat, atque ad electorum conſolationem, ſalutémque maxi-*

Briçõnetus Meldenſis Epiſcopus.

Franciſcanis interdicta concio.

num fructum afferebat, donec ſathan, princeps tenebrarum, & ſalutaris huius lucis inimiciſsimus, cùm videret ruinam regni ſui inſtare, vſitata ſua incitauit mancipia, ipſos nempe Franciſcanos, qui epiſcopum Briçonnetũ in iudicium & crimẽ hæreſeos ad ſummam Curiã vocauerunt: cum quibus Sorbonici doctores cæteríque veritatis inimici ſe facilè coniunxerũt. Primùm igitur ſathan his vtens inſtrumẽtis, facilè Epiſcopi fidem expugnauit, eúmque ad defectionem adduxit. deinde cæteros maiore vi aggreſſus eſt, quos in fide firmiores & conſtantiores inuenit. horum quidam fuerunt combuſti: quo in numero fuit ille de quo in fine primi libri egimus, Iacobus Pauaneus. qui quidem tanto animi ardore & ſtudio veritatem docere cœpit, vt primus Lutetiæ crematus fuerit, nomine eius potiſsimùm doctrinæ quam de Cœna pauci tum cognouerant. Alij verberibus cæſi, aut in theatro cum ignominia conſtituti, aut miſsi in exilium, atque ipſo ex regno profligati. Denique hoſtes Euangelij nunquam deſtiterunt, quoad libertas veritatis publicandæ erepta, eáque lux & cognitio ſalutaris, quæ paulò antè erat exorta, planè oppreſſa extinctáque fuerit. Nã Franciſcani quidem, cùm conciones maximis ſtudijs, ambitioſiſque rationibus ſolitas recuperaſſent, ſua vſitata mendacia cœperunt iterum populo obtrudere. Neque tamen cùm omnia maximè quidem conarentur, id ſunt aſſequuti, vt cognitionẽ veritatis in multorum cordibus infixam impreſſámque euellerent, aut eam planè delerent. Nam pij homines, in quorum animis timor Dei cum illa cognitione inſederat, cùm viderent veritatem publicis ex locis profligatam, vnà cum libertate Dei purè inuocandi, cœperunt conuentus inter ſe occultos habere, exemplo Prophetarum, qui ſub Achab extiterunt, & eorum Chriſtianorum, qui in eccleſia primùm naſcente, propter horribiles perſecutiones huiuſmodi loca ſecreta ad orandum opportuna quæſiuerunt. Ita iſti homines Deum reuerentes, vt opportunitas facultáſque eis dabatur, modò aliquam in domum, modò in reductam vallem aut ſpeluncam, interdum in dumetis aut ſyluis conueniebant. Eo in conuentu ac cœtu is qui in Scriptura ſancta maximè omniũ verſatus atq; exercitatus videbatur, verbo Dei alios conſolabatur, docebat, hortabatur: eóq; munere perfecto, omnes vnanimiter ardẽtérq; Deum compreca-

Briçõnetus ab Euangelio deficit.

Iacobus Pauaneus.

Perſecutio in Meldẽſes.

Occulti fideliũ conuentus.

bantur: alentes perpetuò ac fouentes eam ſpem, quòd ipſa Gallia *breui reciperet* Euangelium, *neque diutius impium ac ſcelerâtum* Antichri-*ſti dominatum perferret.* P*oſtremò, cùm poſt longam expectationem viderent tantum abeſſe vt religio repurgaretur ab inquinamentis, vt fœditas ſuperſtitionum atque omnium abominationum à* Papa *in* Eccleſiam *introducta, magis in dies magiſque augeretur & confirmaretur: plerique eorum qui ſpiritu erant feruentiore, & qui à primo doctrinæ receptæ tempore, ſe puros atque impollutos ab omni* Miſſarum *idololatria conſeruarant, anno* M.D.XLVI. *deliberarunt certam inter ſe piæ eccleſiolæ formam inſtituere.* Ad *id autem faciendum, imprimis fuerunt permoti exemplo eccleſiæ* Gallicanæ *quæ tum* Argentinæ *præclarè inſtituta, apud omnes fama religionis celebrabatur, & quam quidam ex ipſis adierant, ac diligenter inſpexerant.* P*ræcipui authores totius eius negotij ac moderatores erant,* Stephanus Manginus, *vir ſanè bonus, grandíſq; natu, &* Petrus Clericus, *arte ſua ac profeſſione carminarius, ſed in ſacris literis apprimè exercitatus, eo quidem genere ſermonis, qui* Gallorum *proprius eſt.* Hi *cum alijs quibuſdam quadraginta aut quinquaginta conſilium ceperunt, miniſtri alicuius ex ipſis eligendi, qui eis verbum* Dei *annuntiaret, &* Sacramenta *adminiſtraret.* Q*uod quidem ab illis non temerè leuitérque factum eſt: nam cum vno eodémq; animo aliquot dies ieiunijs precibúſque impendiſſent,* Petrus Clericus *ſummo omniũ conſenſu miniſter electus eſt. qui munus ſuſceptum diligẽtiſſimè obire cœpit, eóſque in domum* Mangini *diebus* Dominicis *feſtíſque colligere.* Eo *in conuentu exponebat eis* Scripturã, *pro ea gratia & facultate quæ ei à* Deo *tributa erat. ibi oẽs vnà preces atque orationes ad* Deum *adhibebant,* P*ſalmos canebant & cantica ſpiritualia.* Ibi *poſteaquam teſtificati eſſent ſe nunquã* Papiſticis *idololatrijs adhæſuros, ſacrã* Cœnã *ſemel aut bis celebrarunt, vt à* Chriſto Domino *eſt inſtituta.* Itaque *hæc parua eccleſia, exiguo temporis ſpatio huiuſmodi fecit incremẽtum, vt trecẽti aut quadringẽti reperirentur, tum viri tum mulieres ac cuiúſq; ætatis homines, qui eò confluebant: nõ ex vrbe modò, ſed etiam ex pagis quinq; aut ſex milliaribus in circuitu. quæ fuit cauſa vt ſtatim detecti atque obſeruati per quoſdã homines improbos fuerint.* Ea *de re*

Eccleſiola Meldis inſtituta.

Manginus & Clericus

Verus Cœnæ vſus.

-omad

admoniti quidẽ fuerũt ab amicis quibuſdam & beneuolis hominibus, vt ab inſidijs, quæ eis parabãtur ſibi cauerent. verùm hi reſponderunt Etiã *capillos capitis ſui numeratos eſſe, atq; id futurũ quod* Domino *placeret. Octauo igitur die Septẽbris, anno* M.D.XLVI. *quẽ diẽ* Pa*piſtæ natalitijs virginis* Mariæ *celebrãdis conſecrarunt, hora ſeptima matutina acceſsit quidã delator ad magiſtratũ, eos cœpiſſe iam congregari.* Eo *nuntio allato, magiſtratus eius vrbis, & præpoſitus cũ ſuis ſatellitibus atque miniſtris, ſimul etiã is qui tota in regione latronib⁹ cõprehendẽdis puniendíſque præfectus eſt, magna ſatellitũ caterua ſtipatus, ad domũ ipſius* Mangini *acceſſerunt.* Petrus Clericus, *tum exponebat eo in cœtu locũ quendã primæ epiſtolæ* Pauli *ad* Corinthios. Satellites *cœnaculũ ingreſsi in quo oẽs cõgregati erãt, aliquãdiu quaſi attoniti ſummo cũ ſilentio cõſtiterũt.* Tandẽ *Quæſitor rogauit, quid agerẽt ibi tot homines, qui ſuas parœcias non adirent.* Id *quidẽ quod ipſe vides, inquit* Clericus. *ſed æquo animo expecta, quoad nos iſta abſoluamus.* Tũ *cæteri è magiſtratu,* Eundũ *verò, inquiũt, eſt in carcerẽ.* Eam⁹, *inquit ille, ſi ita* Domino *viſum eſt.* Et *ſimul ſe ligari cõſtringíq; paſſus eſt: eãdémq; mãſuetudinẽ cæteri oẽs, tum homines tũ mulieres, numero ſexaginta duo, ſunt imitati.* In *his puella erat, quæ propter ætatẽ intelligere nõdũ poterat, qua odij magnitudine veritas verbi* Dei *premeretur. ea cùm ſe propterea duci ab illis videret vinctam, quòd in cœtu & conuentu tã ſancto honeſtóque deprehenſa eſſet, dixit magiſtratui,* Si *vos me in lupanari deprehendiſſetis, aut in loco pudendo, nunquã me his vinculis cõſtringendã curaſſetis.* At *magiſtrat⁹ impoſito ei pro authoritate ſua ſilentio, totã multitudinem in vrbis carcerẽ duci iuſsit.* Res *digna admiratione viſa eſt, cũ tot homines in vtroq; ſexu, à tam paucis ſumma voluntate ac manſuetudine ducerẽtur.* Nam *ſi aliquã reſiſtendi voluntatẽ declaraſſent, facilè à parẽtibus & ꝓpinquis, qui in ea vrbe erant, liberari potuiſſent. ſed tantũ aberat, vt hi vim aliquã aut rebellionem cogitarent, vt cõtrà læti atque hilares, per vicos vrbis irent* Pſalmos *canẽtes, in quibus præcipuè* LXXIX, Deus, *venerunt gẽtes, elatis vocibus canebatur.* His *in carcerem incluſis, cœptũ eſt anquiri in eorum ſabbatha & cõuenticula, ita enĩ inuidioſè ac crimi noſè ſanctiſsimum eorũ cœtũ appellabãt.* Inter *alia crimina, hoc ipſorũ*

Puellæ libera vox. NB

Spectaculum angelis & hominib⁹ admirandum.

iudicio grauiſſimum obijciebat, quòd Cœnam Domini facere auſi fuiſſent. Qua in re, quid opus eſt quærere, quantoperè ordo monachorum ac ſacerdotum hoc vno verbo fuerit offenſus & irritatus, quum viderent ſuam exiſtimationem aboleri, atque authoritatem, quam tandiu támque ſtudioſè inuiolatam cõſeruaſſent, delabi in manus imperitorum: opimúmque ſacrificium, non tam ad memoriã Chriſti celebrandam, quàm ad culinam ventris colendam tuendámque comparatum, iam in fumum euaneſcere? Poſtquã omnia, quæ ad cauſam innocẽtiámque eorum premendam pertinebant, diligenter eſſent expiſcati, curribus vinctos impoſuerunt nullo ſuperiecto ſtramine, in quo poſſent aliquo modo quieſcere: atque ita ſine vlla itineris intermiſſione ac remiſſione Lutetiam *ſumma celeritate portandos curauerunt.* Ac *tametſi plerique eorum iam ætate ac laboribus confecti ipſáque itineris contentione currúſque agitatione fracti eſſent, non tamẽ deſtiterunt in via ſeſe mutuò adhortari atque cõſolari: ac cùm* Pariſiẽſem *vrbem ingreſſi eſſent* Pſalmos *canere dum ad* Palatinum *carcerem peruenirent, quo excepti nouis tormentis miſerè diuexati ſunt.* Ea *autem non leuia remiſſáque extiterunt, ſed acerrima maximéque exquiſita, præſertim in reos quatuordecim, qui à ſumma curia* Pariſienſi *capitis damnati fuerunt, ſicut ſatis conſtat ex ea iudicum ſententia, quæ deinde* Lutetiæ *ad perpetuam rei memoriam publicata fuit.* Id *quidem areſtum ſummam iudicij acerbitatem complectitur, præſertim in quatuordecim viros, qui, vt firmiſſimi in confeſſione fidei piaque doctrinæ, ita etiam grauiſſimè omnium accuſati.* Hi *autem fuerunt,* Petrus *Clericus,* Stephanus *Manginus,* Iacobus *Bouchebecus,* Ioã. *Briſebar9,* Henricus *Hutinot9,* Thomas *Honoratus,* Ioan. *Baudouinus,* Ioã. *Fleſchus,* Ioan. *Piquerius,* Petr9 *Piquerius,* Ioã. *Mateflonus,* Philipp9 *Paru9,* Michael *Caillous, &* Franciſcus *Clericus, qui omnes fuerunt condemnati, vt crate ad locum ſupplicij pertracti, viui cremarẽtur apud magnum forũ* Meldẽſe, *loco* Mangini *ædibus propinquo.* In *reliquos, qui in doctrina pietatis ſuſcepta minus firmi & conſtantes extiterũt, pœna non ita acerba, et tamen varia conſtituta fuit, atque in vtrũque ſexum peruagata.* Nam *alij fuerunt cæſi virgis atque in exilium miſſi, alij verò eorum* XIIII. *quos ſupra nominauimus, acerbiſſimæ mortis ſpectatores, ſumma cum*

Meldenſes Lutetiam abducti.

Areſtũ ſenatus Pariſienſis.

Nomina xiiii. exuſtorum.

ignominia conſtituti, in quibus etiam vnus ſub axillis ſuſpēſus, laqueum habens collo ligatum, grauiſſimum illorum caſū intueri iuſſus eſt. Mulieres verò quædā ſunt cōdemnatæ, vt ſuppliciū in viros conſtituendū, ignominioſè ſpectarent. Deniq; ab eadem Curia decretum fuit & conſtitutū, vt domus ipſius Mangini, in quam illi conuenire ſoliti eſſe dicebantur, ad ſempiternā memoriā tanti ſceleris, vt ipſi iudicabant, ſolo planè æquaretur, eóque in loco ſacellum extrueretur, in quo Miſſa ad cultum maximi illius Papiſtarū dei quē in ſacramento affingunt, inſtituta ſingulis dieb⁹ Iouis celebraretur: cui prouētus neceſſarij ſuppeditarentur ex eorum bonis ac fortunis, quibus omnia cum vita crudeliſſimè eriperent. Hæc ſunt illa præclara Areopagiticæ Curiæ Pariſienſis monimenta, quæ quàm ſint iniqua, etiā qui aliquid habet ſani iudicij, facile iudicare poterit. Sed videamus quēadmodū hæc res ab illis ita decreta & cōſtituta, poſtmodū adminiſtrata fuerit. hac ſententia à Cōſiliarijs eius cameræ pronuntiata, Sathan non cōtentus innocētum ſanguine, videns nihil planè factū eſſe, quod regno prodeſſet ſuo, ſed potius ſe victū & cōfuſum, ſi hi cōſtātes in cōfeſſione ſuſceptæ veritatis permanerent, eos omnibus rationibus à propoſita ſententia abducere, eorúmq; conſtantiā inflectere conatus eſt, cùm nulla vi eā poſſet infringere. Itaq; omniū malorū author ac fabricator Petrus Liſetus primus tū Curiæ præſes reliquis Senatorib⁹ iudicib⁹ perſuadere conabatur, vt quatuordecī, qui capitis erāt dānati, per monaſteria ſepararentur alij ab alijs, atque ita ſeorſim ſingulorū fides & cōſtātia perſpiceretur. ſed cū omnia experti viderent infractos eſſe, neq; eos poſſe vllo modo à ſuſcepta ſententia deduci, tandē Aegidio Bertheloto, qui latrunculatoris tum officio fungebatur, Meldas ad ſupplicium reducendos tradiderunt, quatuordecímque illos ſeorſim in currū impoſuerunt. Vt autem eos omni moleſtia afficerent, ac priuarēt conſolatione, duo Sorbonici doctores, Maillard⁹ & Picart⁹, mulis inſidētes, currus eorum obequitabant, qui non deſinebant odioſiſſimis latratibus aures illorū obtundere, vt à veritate abducerēt: adeò vt Petrus Cleric⁹ indignatione commotus Picarto dixerit, Recede à nobis ſathan, neque impedias quò minus memoria recolamus Dei noſtri erga nos beneficia. Interea cum hoc iter omnium moleſtiarum plenum conficeretur,

Barbara ſæuities in ædificia.

Chriſti teſtes moriendo ſathanæ victores ſunt.

Maillardus & Picartus, Achilles Pontificij.

res diuinitus accidit planè memoranda, quæ miſeros homines, omnibus tum animi tum corporis laboribus affectos & quaſi viribus exhauſtos erexit & confirmauit. nam cùm tranſirent per ſyluam Liurēſem, quæ ab vrbe Lutetia tribus milliaribus abeſt, obuiam eis prodijt è pago proximo, qui Couberon appellatur, quidam telæ texendæ artifex, qui currus ſequens, eos ad confeſſionem veritatis retinendam hortari cœpit, Bono, inquiens, & forti ſitis animo, fratres mei atq; amici, neque fatigemini, vt teſtimonium, quod vos debetis Euangelio, conſtāter detis. Quoniam autem currus ſumma celeritate ferebantur, vt ab ijs qui præcedebāt, non facilè poſſet exaudiri, ſublata in cœlum manu exclamauit, Fratres, ſitis memores eius, qui ſuprà in cælo eſt. Tum ſatellites, cæteríque adminiſtri, qui Latrunculatorem ſequebantur, arbitrati illum eſſe Lutheranum, nulla inquiſitione habita conſtrinxerunt, atque ita vinctum in currum in quo quatuordecim vincti erant cōijciunt. Hæ ſunt viæ Domini admirabiles ac nullis cognitæ, niſi ijs qui eius voluntatem & prouidentiam experiuntur, quibus ipſe infirmitatem ſuorum in maximis ærumnis conſolari ſolet. nam hic homo eo animi zelo ac recenti ardore diuinitus in ipſo itinere oblatus non modò eorū vires refecit, ſed etiam noua promiſſionū Dei prædicatione animū reddidit, confirmauit, ac planè inſtaurauit. quod ſanè quidam ex ipſis cōfeſſi ſunt, inexpectato eius hominis aduentu atque occurſu, quaſi Angeli è cœlo miſſi nouas collegiſſe vires: & qui mœrore tacebant oppreſſi, caput tum erigere ac gaudere in Spiritu ſancto cœpiſſe. adeò hic homo mechanicus, prodiens è ſolitudine ſyluestri, eos ad cauſam Domini noſtri Ieſu Chriſti tuendam animauit. Paulò poſt ad pagū Liurium nominatum peruenerunt, vbi populus ex locis vndique propinquis, ad viam qua ducebantur, effuſus hominem eum qui ſe obtulerat, facilè agnouit. Quidam etiam ex illis Lutheranum eum eſſe clamauerunt, ſuppliciúmque ignis magis meritum, quàm eos quibus tum additus fuiſſet, id quod Latrunculatorem atque eius ſatellites commouit vt arctius eum conſtringerent. Conſimilis huic hiſtoria memoratur in primitiua Eccleſia, de quodam Martyre, qui ſumma voluntate ſe obtulit ad mortem cum ijs, quos ad pœnā mortis duci viderat, & quoniam ille homo incognitus fuiſſet, Adauctus eſt appellat⁹, quod nume-

Inſperatū ſolatium

Exhortatio Chriſtiana ruſtici hominis.

Mirabilis Dei prouidentia.

Nouit Dominus ſuos à tentatione eripere.

rum

um ſanctiſsimorum Martyrum teſtiúmque Ieſu Chriſti adauxiſſet. Cùm perueniſſent Meldas, in carcerem omnes incluſerunt: ac tũ quærere tormentis extraordinarijs, vt vocant, cœperunt: præſertim in illos XIIII. ad accuſandum eos qui eãdem doctrinam fouerent, quorum tamen nullus eorum ore accuſatus aut nominatus fuit. In ea quæſtione, cùm crudelem in modum tortores membra eorum diſtraherent, ac tantum nõ dilacerarent, quidam ex ipſis animo confirmatior, carnificibus clamaſſe dicitur, hortatúſque fuiſſe, ne miſero corpori parcerent, quòd tantoperè ſpiritui voluntatíque Creatoris ſui reſtitiſſet. Poſtero die quo erant ſupplicio afficiendi, diſputationem cum ijs doctores theologi renouarunt, præcipuè de ſacramento Cœnæ Domini. Sed Picartus & cæteri, incerti quid dicerent, planè obmuteſcebant cùm Clericus quæreret ab eis, in quo fundata eſſet ipſorum tranſubſtantiatio, & an cùm panem ederent aut vinum biberent, aliquem carnis ſanguiníſue guſtũ perciperent. Poſtremo hæc illis conditio oblata eſt, vt qui vellent in aurem ſacerdotis inſuſurrare, quod illis eſt peccata cõfiteri, ij aliquid gratiæ obtinerẽt, nec linguæ eis præciderentur. Itaq; ex XIIII. quos ſuprà nominauim⁹, ſeptẽ eã conditionẽ acceperũt, aut quòd id nõ magni momenti eſſe arbitrarentur, aut quòd eo pacto beneficium vocis redimere ſe poſſe exiſtimarent. idque maximo dolore cæterorum, qui nullis nec minis nec promiſsis flecti, à ſententiáq; deduci vnquã potuerũt. Hora autẽ poſt meridiẽ ſecũda, quæ ſupplicio dicta erat, cũ è carcere educerentur, carnifex linguam primùm à Stephano Mangino poſtulauit, quam ille præbuit libenter atque exeruit: qua præciſa, ſanguinem euomens, loquutus eſt, ita vt ſatis intelligeretur, huiuſmodi verbis ter precatus, Sit nomen Dei benedictum. móxque ſuper cratẽ tractus fuit, quemadmodum & Clericus: cæteri verò plauſtro impoſiti deportabantur. quos quidem ij qui non fuerant damnati capitis, proximi pedibus ſequebantur vſque ad forum magnum. Quo in loco quatuordecim patibula forma circulari erecta erant, atque è regione domus Mangini poſita. Et aliud patibulum ſeparatum ab alijs ac paulò longius remotum, in quo ſub axillis ſeſpendẽdus erat adoleſcens, Michael Piquerius nominatus, quem propter ætatem quò minus cremarent, pudore impediebãtur. Tum verò carnifices, eos non ſecus atque agnos ſacrificio deſtinatos alligarunt. Quoniam autem ij quibus lin-

Virtus humana ſuperior.

Tranſubſt. abſurditas.

Manginus præſecta lingua locutus

Fideles oues mactationi deſtinatæ.

gua erat præciſa, etiam blæſa voce Dominũ inuocare non deſinebant: cæteri verò qui linguæ beneficio fruebantur Pſalmos canebãt. Sacrificuli & monachi qui ibi aderant quaſi amentes furoréq; correpti decantare ipſi quoque cœperunt, O ſalutaris hoſtia! deinde, Salue regina, aliáſque huiuſmodi blaſphemias, neque antè nefarium hunc & inſanũ cantum intermiſerunt, quàm ſanctiſſimæ hoſtiæ in ſuauiſſimum odorẽ igne conſumptæ fuerunt. Porrò ſequenti die, qui fuit dies octauus eius mẽſis, aduerſarij, quaſi rem ſuam benè geſſiſſent, ac veritatem victam captiuámque in triumphum ducerent, magnificam inſtituerunt pompã in qua panaceũ illud ſuum idolum circunferebant, innumerabilibus tædis cereíſque medio die accenſis comitatum. Quum autem veniſſent ad ſupplicij locum, in quo adhuc ignis ardebat, idolum ibi ſuum collocarũt. Tum Picartus in medio foro ſuggeſtum aſcendit obtectum conopeo ſeu integumento aureo quo ſplẽdidius & ſine vlla moleſtia delicati hominis caput obtegeretur. Ibi theologus iſte inſignis cœpit pro ſuo more in eos, qui ſupplicio affecti erant, debacchari, & quod ſplendida bilis dictabat, planè affirmare, neceſſarium eſſe ad ſalutem credere quòd illi vſque in profundum infernũ damnati eſſent, Angelúmque, ſi de cælo veniens ſecus diceret, reiiciendum eſſe, imò verò Deum ipſum nõ fore Deum, niſi eos in perpetuum damnaret. Veruntamen vxores eorum qui combuſti fuerant, ad eam de maritis exiſtimationẽ adduci nunquã potuerunt, etiam cùm è carcere dimitterentur. Hoc enim reſponſo potius contrà pugnabant, quòd eo toto vitæ tempore, quo cum illis vixerãt, eorum ſummam integritatẽ in timore Dei ac vera pietate perſpexiſſent, quæ potius vitæ æternæ comes eſſe ſolet. Horum autem hauſto ſanguine inimici nõ contenti atque exatiati, omne ſuum ſtudiũ & conatum eo contulerunt, vt gregem Domini diſſiparent, occiderent, ac planè delerent. Itaque multi ex illis magnitudine & ſæuitia eius perſecutionis profugi ſe ad vrbes tũ propinquas, tum remotas cõtulerũt. Quæ Eccleſiæ diſperſio ac diſſipatio, nõ ſine magno Euangelij incremẽto facta eſt. Nam vnuſquiſque ſuum officiũ & ſtudiũ præſtabat, vt oblata occaſione ad cõfeſſionẽ ac teſtificationẽ veritatis vteretur, quẽadmodũ Faronus Mãginus, vir maximo ſpiritus ardore, Aureliæ aliíſque in locis faciebat: ſic Petr⁹ Bõpanius vocatus, ſe gerebat Aubigniaci, qui paulò pòſt Lutetiæ combuſtus eſt.

Furioſus ſacrificulorũ boatus.

Supplicatio ad puluinaria deorum.

Ecce tibi Rhadamãthus.

Mulierũ in ſuos viros pietas.

Vtilitas ex diſſipatione fideliũ.

Liber quartus Actionum

MARTYRVM.

FRANCISCVS SAN-ROMANVS, HISPANVS.

QVanquã Hiſpani præter cæteras Europæ totius gentes, papiſticis ſuperſtitionibus ſupra modũ addicti fuerint, adeò vt è Baſiliſcis Romanis vnus aliquando dixerit, Germaniam atque Angliam ſe quidẽ amiſiſſe, Hiſpaniam velut vnicam filiam caſtã & intactã virginem adhuc retinere: Dominus tamẽ (qui iã Antichriſtũ ſpiritu oris ſui perdere cœpit) nationẽ etiã iſtã reſpexit, ſuæq; bonitatis ac miſericordiæ teſtimoniũ locuples edidit in ſanguine Martyrum *ibi pro veritate aſſerenda profuſo. Fuit autẽ inter alios quos in* Hiſpania *Chriſtus habuit* Martyres Frãciſcus San-rom. *natus* Burgi *oppido in* Caſtilia Hiſpaniarum, *ortus parẽtibus vitæ honeſtate claris, ſed omni diſciplina* Hiſpanica. *i. omnis generis idololatria adeò delibutus, vt ipſius cõuerſio maiori admiratione digna eſſe videatur.* Anno M.D.XLV, *quidã mercatores* Bremẽſes, *cũ ſtato die ad nũdinas* Antuerpianas *nõ veniſſent perſoluturi certam pecuniarũ ſummam, quam mercatoribus* Hiſpanis *debebãt, viſum fuit ijs aliquẽ* Bremam Oſtlãdiæ *oppidum mittere, qui nummos à debitoribus exigeret, nec verò ad obeundum negotiũ promptior nec magis idoneus quiſquam inuentus eſt, quàm* Franciſcus *iſte cui mercatores* Bremẽſes *noti erant. Is igitur cũ altero quodam* Hiſpano, *qui idem in mãdatis habebat,* Bremam *proficiſcuntur.* Bremæ *cùm eſſent, pro more ſolito templum adeũt eo ipſo tempore quo* M. Iacobus *cõcionabatur, qui olim* Antuerpiæ *Prior* Auguſtinẽſiũ *fuerat, vir certè pietate & doctrina inſignis. quamuis autem* San-romanus *nõ exactè linguã* Germanicã *teneret, magna tamẽ animi attẽtione cõcionẽ auſcultauit, curioſe ſcire cupiẽs quænã illa eſſet* Germanorũ *doctrina, à qua tantopere abhorrerẽt* Hiſpani. Dominus *autẽ miris modis iſtũ hominẽ affecit. nec enim ſolũ concionem ipſam intellexit: ſed concione abſoluta, poſthabitis negotiis ob quæ illuc venerat, ad miniſtrũ accurrit:* Miniſter *verò benignè illum*

excepit, domumque ſuam deduxit, vbi Franciſcus *concionem ipſius ad verbum memoriter recitauit. Vera narramus, quæ etiam homines fide digni ab ipſo* Bremenſi *miniſtro acceperunt. Atqui* Frāciſcus *tāto veritatis ſtudio flagrabat, poſteaquàm ea in concione primùm eam deguſtauit, vt nec diſputādi nec percontandi de ea doctores, quo ampliorē cognitionem ſibi compararet, finem faceret.* Miniſter *verò ardens iſtud ſtudium ſubitámque hominis mutationē admiratus, monuit vt modeſtius paulò atque prudentius ſe gereret, & ſimul ei ſcientiam ſalutis pedetentim inſtillauit: quam quidē tā auidè arripuit, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, vt totum triduum apud* Paſtorē *hæſerit, negocium quod cum* Bremenſibus *habebat, ſocio cōmittens. Ipſe interea adeò ſtudiosè diligentérque de pietatis doctrina cum paſtore diſſerebat vt quæ illi proponebantur, cuncta memoriæ mandaret. In quo* Paſtor *facilè pſpexerat, iſtius cōuerſionē extraordinaria quadā & inuſitata ratione accidiſſe. Nam quum communis hominū natura ſit ſenſim in cognitione progredi: hic noſter exiguo temporis ſpatio ac momento præcipuos religionis articulos perceperat: quotquot ibi reperit libros* Gallicè *aut* Germanicè *ſcriptos, diligenter perlegit: frequentes etiam ſermones habuit cum* D. Machabæo, *qui tum ibi erat, à quo ſe plurima dediciſſe poſtea profeſſus eſt. Interea miſit illinc ad* Hiſpanos *ſuos* Antuerpiā *prolixas literas, quib⁹* Deo *gratias agebat quòd ipſum ad ea loca perduxiſſet, vbi & cognitionem* Chriſti Saluatoris *ſui & ſacrarum literarum intelligentiam adeptus fuerat: quam certè multis laudibus ad cælum efferrebat. Deplorabat inſuper crudelitatem* Hiſpaniarum, *& cæcitatem ſuæ gentis quæ nec oculos ad lucem* Euangelij *aperire, nec aures præbere* Deo *cunctos ad pœnitentiā vocanti dignaretur. ideóque ſibi in animo eſſe dicebat* Antuerpiam *redire, vt amicis quoque gratiam diuinitus ſibi datam impertiretur: deinde* Hiſpaniam *cogitare, vt parentes ſuos,* Dei *fretus auxilio ad veritatis notitiam,* Deíque *purum cultum pertraheret. Scripſit præterea vnam atque alteram epiſtolam ad* Imperatorem Carolum V. *quibus illi* Reipublicæ Chriſtianæ *calamitates,* Eccleſiæque *miſerum ſtatum explanabat: ipſum deinde* Cæſarem *hortabatur vt vtriuſque rationibus conſuleret atque proſpiceret: niſi turpiter ingratus*

gratus in Deum *eſſe velit, cuius beneficio ipſe ea quæ hominum opinione ſunt maxima, & monarchiã cõſecutus erat. officium enim Cæſaris eſſe tumultus* Reip. *Chriſtianæ componere: gloriam* Dei *in omnibus tueri:* Hiſpaniam, *aliáſque ſuo imperio ſubditas regiones, hominum peruerſis traditionibus deprauatas*, ex verbo Dei *emendare atque corrigere.* Confecit *ad hæc ibidẽ* Catechiſmum *& nonnullos libellos* Hiſpanicè, *in quibus veræ religionis articulos exponebat. Quæ quidem omnia, vnius menſis ſpatio cõpoſuit, dum ſcilicet ſuarum literarũ reſpõſum ab* Antuerpiẽſibus *expectabat.* Illi *verò ex literis re vt acciderat perſpecta, blandis illũ verbis reuocarũt, dolis ſcilicet & arte* Hiſpanica *inſtructi, ſpem ei fecerunt, quæ ſcripſerat, modò quã primùm ipſe rediret, facilè & rectè curatum iri.* Hac *itaque ſpe ductus* San-romanus Antuerpiam *reuertitur.* Hiſpani *interea* Antuerpiæ *illi inſidias ſtruunt, & ſubdolè monachos ſubornant, qui iſtum aduenẽtem excipiant, ac de fide interrogent, vt niſi in ſingulis conſentiret, interficiendum curarent, aut in dirum carcerẽ conijcerent, vbi viuum in terram defoſſum lenta nece trucidarent.* Miſer *ille, horum omnium ignarus, lætus ſpe ſua* Antuerpiam *venit, vixq; vrbem ingreſſus erat, quum illi qui ſtudioſè diem quo vẽturus eſſet obſeruabãt, & monachi quos ſubornarãt, in hominem ruunt, atque ex equo demiſſum abducũt in domum cuiuſdam mercatoris.* Franciſcus *autem ardore quodam animi inflammatus, quum ſe præter opinionẽ ac ſpem captum videret, magis hoc facto efferbuit.* Domum *quum veniſſet vbi detinendus erat, monachi raptim manus & pedes ei loris conſtrinxerunt: ſarcinas eius aperuerũt, in quibus libros quoſdam* Lutheri, Melanchthonis *&* Oecolampadij *repererunt, & nonnullas etiam imagines ad ignominiam* Papæ *depictas.* Tum *monachi oculis ad ipſum conuerſis,* Verè, *inquiũt, magnus hic eſt* Lutheranus. Ille *non mediocriter commotus negauit ſe* Lutheranum *eſſe, ſed doctrinam filij* Dei *profiteri, quã hoſtili animo & capitali odio proſequerentur* Papæ *adminiſtri: contráque ſe deprauatam eorum religionem, ineptias videlicet & nugas quibus ſibi adeò placẽt, prorſus deteſtari.* Intererãt *his diſputationibꝰ aliquot* Hiſpani, *qui monachis fauebant: quæ res ſanè nebulonibus animum addidit, vt liberius in hunc ſæuirẽt, ſuiſque cauillis hominem vexarẽt vehemẽtiꝰ.*

Quum à noſtra, inquiunt, abhorreas religione, & te Chriſtianum dicas, quænā eſt tua religio? quæ fides? Iā, inquit, faſſus ſum me tãtummodò Chriſtum eúmque crucifixum prædicare. mea fides eſt ea quam Chriſti Eccleſia per vniuerſum orbem diſperſa, omni tempore confeſſa eſt, atque inſtituit. Vos autem corrupiſtis & planè peruertiſtis ſynceram doctrinam qua nobis Ieſus Chriſtus crucifixus proponitur: atque aliud vitæ genus abominabile ſuſcepiſtis, veſtráque impietate magnam mundi partem in extremas miſerias conieciſtis. Sed quò plenior meæ fidei conſtet ratio, Credo in Deum Patrem, qui omnia creauit: Credò in Deum Filium Ieſum Chriſtum, qui ſuo ſanguine genus humanum redemit, dum illud è faucibus inferorum & diaboli tyrannide eripiens, in Euangelij libertatem vindicauit: Credo in Deum Spiritum ſanctum, qui occulta quadam & diuina virtute credentes ſanctificat. Credo propter Filium me gratuitò peccatorum omniũ remiſſione potitũ: Credo me ſolius Chriſti mediatoris beneficio, nullo meo merito, nulláque operum ſatisfactione, aut Papali indulgentia præmunitum atque præfultum, vita æterna fruiturũ. His dictis, Cucullati ſciſcitati ſunt an crederet Pontificem Romanum, vicariũ eſſe Chriſti, caput Eccleſiæ in terra, qui omnes Eccleſiæ theſauros in poteſtate ſua habeat, penes quem ſit arbitrium ligandi & ſoluendi quicquid libitũ fuerit, cui etiã nouos articulos facere, & eos quos nũc habemus abolere fas ſit. Frãciſcus reſpõdit, ſe nihil eorũ credere, ſed contrà affirmare Papam Antichriſtum eſſe, ſatum patre diabolo, quippe qui ſit inimicus Ieſu Chriſti, ſibi vendicans diuinum cultum, quíque œſtro patris Sathanæ percitus ſurſum deorſum omnia verſat, & ſacra prophanis miſcet vt fallacias ſuas tueatur, quibus velut lupus rabie agitatus gregem Chriſti diſſipat, ipſas denique oues Domini dilaniat & deuorat. Ac tum primùm Hiſpani reuera blaſphemum iudicarũt. nam hactenus in cõfeſſione fidei nihil à monachis diſſentire videbatur, donec Papæ maieſtatẽ læderet, Miſſam & Purgatoriũ paruipẽderet, bullas atque indulgentias acriter inſectaretur. Monachi porrò illum mortis & ignis ſupplicio terrere cœperunt. Quibus ille reſpondit, Non equidem dubito mortem ſubire ad defendendam Dei mei cauſam, imò id mihi magnæ gloriæ fore ſpero quòd ſanguine meo dẽ teſtimonium

monium

nonium doctrinæ Filij Dei, *qui ſuum pro me miſero peccatore ſanguinem in cruce profudit. Sed quámnam exiſtimatis eſſe veſtram potentiam? non poteſtis ſanè aliud mihi eripere quàm hanc miſeram carnem & peccatricem, eámque (ſi velitis) igni tradere. at ego timere didici eum qui in corpus ſimul & animam poteſtatem ſummam habet.* Beatum *certè me deputem, ſi quàm celerrimè veſtra tyramide liberer, vt veſtram conſuetudinem impuram relinquens, in æternam* Dei *gloriam &* Angelorum *ſocietatem recipiar. Hæc verò* Franciſci *intrepida oratio tantum dolorem monachis attulit, vt igni accenſo coràm libros ipſius exuſſerint.* Ipſe *videns impuros iſtos homines ne nouo quidem* Teſtamento *parcere, mirùm quanta in illos dicta ingeſſerit.* Hiſpani *hiſce auditis, hominem mente captum eſſe rati curarunt in turrim quandam deducendum, quæ* Antuerpia *ſex milliaribus diſtat, vbi in profundam foſſam demiſſus octo miſer cruciabatur menſibus.* Interea *plures illum viri graues inuiſebant, qui hortabantur vt mutaret opinionem, & modeſtius loqueretur.* Reſpondit Franciſcus *ſe nullam ſiniſtram opinionem habere, nec vllam hæreſim tueri velle.* Tandem Hiſpani, *illum ad ſaniorem mētem rediiſſe arbitrati, dimittendum cenſuerunt: dimiſſúſque fuit circa id tempus quo* Imperator *comitia* Ratiſbonæ *habebat.* Liberatus *itaque hac moleſtia* San-romanus *viginti plus minus dies* Antuerpiæ *commoratus eſt.* Inde Louaniū *profectus ad quendam amicum & ciuem ſuum* Franciſcum Dryandrum, *multa cum eo de varijs religionis capitibus diſſeruit: qui vir amicus hunc liberè monebat ne temerè mercaturæ ſtatum, quem antè ſuſceperat, cum alio vitæ genere commutaret: cùm præſertim mercaturā honeſtè & ſalua conſcientia exercere, & prodeſſe plurimis ea poſſet.* Quod *ad religionem attinet, ſedulò ac ſeriò hortatus eſt, ne quid aut diceret vnquā aut faceret in gratiā vel fauorē hominum, quo quidem* Dei *gloriam imminui poſſe ſciret: attamen etiam in hoc requiri ſanum rectúmque iudicium ad normam* Verbi *diuini conformatum: ne ſibi vſu veniret id quod pleriſque ſolet accidere, qui inconſiderato zelo acti, deſerentes vocationem propriā, dum ædificare ſtudent, omnia prorſus deſtruunt, ſéque temerè in periculum conijciunt.* San-romanus *hanc beneuolam amici monitionem non repugnanter accepit: ſed reie-*

cta culpa in monachos quòd primo impetu concitatior paulò fuiſſet, poſtmodò ſe attentius omnia & conſideratius acturum promiſit. Atqui promiſſo non ſtetit. etenim poſtquam à Dryandro *diſceßiſſet (vt quidam itineris ei comites narrarunt & exitus ipſe comprobauit) è veſtigio* Ratisbonam *profectus eſt. Quò quum perueniſſet, ac tempus* Imperatorem *conueniendi nactus eſſet, libera oratione ipſum compellauit, ac monuit vt regiones ſuas falſa religione ſolueret, ac verum* Dei *cultum reſtitueret.* Demonſtrabat *etiam,* Principes Germaniæ, *qui tum* Proteſtantes *dicti ſunt, meliorem tueri cauſam, eorúmque de pietate ſententiam infinitis partibus rectiorem eſſe quàm* Hiſpanorũ, *qui denſis ignorãtiæ tenebris immerſi prorſus ad lumen veritatis cæcutirent.* Addebat *& alia eodem pertinentia.* Imperator *patiẽter quidem ipſum audiuit, & reſponſum dedit ſatis placidum, ſibi nempe totũ negotium cordi eſſe, ídque diligenter curatum iri.* Hæc *Cæſaris tam lenis reſponſio non mediocrem* Franciſco *ſpem attulit: quam licet exempla crudelitatis à Cæſarianis in ea vrbe edita facilè imminuerant, non tamen animo deiectus eſt: ſed iterùm ac tertiò* Imperatorem *adijt, liberè cum illo agens, nec vnquam certè aſperius vllum à* Cæſare *reſponſum accepit.* Tandem *cum audentior inſtaret, & iam quartò* Cæſarem *cõuenire vellet, exceptus fuit ab* Hiſpanis, *qui (vt ſunt impotenti animo) protinus hominem ſine vlla cauſæ diſceptatione in* Danubium *deieciſſent, niſi* Imperator *ipſe cauiſſet ne qua tum illi iniuria fieret, atque iuxta leges* Imperij *iudicandum pronuntiaſſet.* Incluſus *itaque in cuſtodiam fuit, donec cum alijs rerum capitalium condemnatis in curru catenis ligatus hac illac non ſine ſuo magno malo circunuectus eſt, aulam ſequens* Imperatoris, *qui tum in* Aphricam *contendebat.* Vbi *in* Hiſpaniam *ventum eſt, confeſtim ad inquiſitores* Pintiã *(quæ vrbs hodie* Vallis-oletana *dicitur) deportatus eſt.* Ac *primùm illi* Franciſcũ *in ſpecum ſubterraneam abdiderunt, vt ipſum horrore tam diri carceris terrerent.* Sæpius *quoque illum in publicum produxerunt, vbi palàm ipſorum & iniurias & contumelias pati cogebatur.* Acceſſerunt *ad hæc mala indocti monachi, qui illi ſua importunitate, & qua pollẽt maximè impudẽtia aßiduè moleſti erant, vt ſi fieri poßit, à vera fide deducerent.* Sed *ille tantis cruciatibus non modò nec victus nec debilitatus*

Mira Caroli V. lenitas erga San-rom.

Franciſ. continentia in Caſare compellando.

Franciſcus tandem captiuus mittitur in Hiſpaniam, quo ille iam contendere ...

Vbi varia ... moleſtia ...

tatus fuit, vt contrà multò quàm antè conſtantior, atque in dies ſpiritu feruentior euaſerit. nec enim vnquã hoſtibus ſuis ceſsit, quin quas illi nugas ad cælum laudibus efferebant, ipſe ad inferos vſque deprimeret: quæ verò aduerſarij hæreſeos condemnabant, Franciſcus *vt orthodoxa defenderet.* Doctrina *autem quam ad extremum vſque ſpiritum palàm atque apertè profitebatur, fuit eiuſmodi: nempe, quòd negaret hominem virtute propria vitam æternam conſequi, aut bonis operibus ſalute potiri, aut ſuo merito iuſtum aliquem in cõſpectu* Dei *ſtare poſſe: ſed ſola* Dei *miſericordia affirmabat ſalutem mortalibus exhiberi: non ope humana, ſed* Chriſti Mediatoris *ſanguine, quo nos impuros mundauit: cuius denique ſacrificio vnico & æterno* Pater *cæleſtis nobiſcum pacificatus eſt.* Præterea Miſſæ *ſacrificium, quo viuis & mortuis ex opere operato, vt loquuntur, remiſsionem peccatorum acquiri dicunt* Papiſtæ, *horrendam abominationem eſſe dicebat.* Con*feſsionem verò auricularem ad enumerandam omnium peccatorum ſeriem inſtitutam, Satisfactionem,* Purgatorium *papiſticum,* Indulgen*tias, Sanctorum inuocationem,* Imaginũ *adorationem, meras in* Deum *viuum eſſe blaſphemias: manifeſtam quoque profanationem ſanguinis* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti *fieri in illis* Papæ *præſtigijs contendebat atque aſſeuerabat.*

Sã-romani doctrina ob quam condemnatus eſt.

Inquiſitores *autem cùm viderent hominem nulla ratione de gradu, quod aiunt, deijci poſſe, ſententiam ipſi publicè tulerunt, vt viuus pro hæretico obſtinato atque in ſua opinione obfirmato combureretur.* Plures *verò qui huic tam triſti ſpectaculo aderant, teſtati ſunt quemadmodum alij ſcelerum admiſſorum rei ſimul cum ipſo in theatrum ad populum producti fuerint, quibus dimiſsis in ipſum ſolum ignis ſupplicium conſtitutum ſit.* Hic *igitur ſolus* Euangelij *cauſa populo exoſus, ad locum ſupplicij extra vrbem ducitur, coronam chartaceam in capite gerens, atris cacodæmonum figuris vndique pictam.* Portam *vrbis egreſsi quum veniſſent ad quandam ligneam crucem iuxta iter, vt mos eſt in* Papatu, *erectam: ibi* Franciſcũ *vt crucẽ hãc adoraret cogere volebant. verùm* Franciſcus *nullo pacto induci potuit vt id faceret: quin prompto atque intrepido animo reſpondit,* Chriſtianos *non adorare lignum: ſe verò* Chriſto *nomen dediſſe,* Deique *opem intus*

Inquiſitores San-romanũ condemnant, facinoroſos dimittunt.

Barrabas dimittitur.

ſentire, quem corde ſuo ſumma cum reuerentia adoraret. proinde vrgebat inquiſitores vt pergerent ad locum pœnæ deſtinatum. Magnus tum populi clamor ortus eſt, quòd ligneæ cruci nullum exhibuiſſet honorem, atque vt procliues ſunt ad mendacia idololatræ, cruci diuinitatem repente affinxerunt, quòd ſe ab hæretico adorari paſſa non eſſet. deinde quaſi neſcio quod in ea miraculum diuinitus apparuiſſet, ſtrictis turba gladijs certatim accurrens crucem in fruſta ſecuerunt, adeò vt ſe quiſque beatum iudicaret, qui particulam eius ſacri ligni auferret. Cæterùm in ipſo ſupplicij loco Franciſcus *cùm eſſet, nec deſiſterent ipſum monachi ſolicitare ad palinodiam, præſenti animo rogauit eos vt mox ſententiam executioni mandarent, ne & tempus perderent, & operam vociferando luderent.* Protinus itaque Franciſco in lignorum ſtruem impoſito ignis vndique accenditur, vtque flammam ſentire cœpit, ceruicem nonnihil erexit, fumo fortaßis aut alia re præpeditus. Quo viſo inquiſitores raptum ab ipſa ſtrue attolli iubent, ſperantes ipſum doctrinam quam fuerat profeßus, reuocare velle. Franciſcus ita ab igne ſublatus, Quænam, inquit, vos modò dementia cepit, inuidetis ne magno meo bono? Aduerſarij tum ſpe ſua fruſtrati, in mediam flammam iterum conijci iuſſerunt, à qua dicto citius conſumptus fuit.*

Ingenium hominum procliue ad idolomaniam.

Poſt mortem autem huius Martyris, *inquiſitores publicè affirmabant eum inferorum cruciatibus addictum, ac propterea neutiquã fas eſſe vlli pro eo orare: quinimo hæreticos eos cenſebant qui de eius exitio dubitarent. monachi etiam ſequebantur opinionem inquiſitorum, dicentes, ſanctos patres non poſſe errare, quia qui ſecus faceret, directe vt loquũtur, in decreta eccleſiæ peccaret, quæ rata haberi in cælo perinde atque in terra neceſſe ſit.* Fuerunt tamen aliquot ſatellites & σωματοφύλακες Imperatoris, *qui* Franciſci *cineres collegerunt. quin legatu ipſe* Regis Angliæ, *qui tum aderat, curauit ſibi afferri particulã oßii eius quẽ verè Chriſti martyrem eſſe cognouerat.* Sed res iſtorum adec tectè geri non potuit, quin ea ad aures inquiſitorum atque ipſius Impe ratoris peruenerit, cuius mãdato ſatellites in carcerem incluſi fuere: Legatus verò Regis Angliæ ad tẽpus ab aula recedere coactus fuit. Habes hiſtoriã, partim vt αὐτόπται & oculati teſtes memoriæ tradiderunt partim vt pij homines ab alijs, qui viderant, accepta fideliter narrarũt*

Rochu

ROCHVS Statuarius apud Hiſpanos exuſtus.

Rarum & memorabile exemplum inquiſitionis Hiſpanienſis.

VT *inquiſitionis* Hiſpanicæ *horror, ac furor potiꝰ omnibus notior fiat, egregiũ hîc ponemus exemplum ſummæ ſæuitiæ, quam inquiſitores* Hiſpani *exercuerunt in quendam nomine* Rochum, *natione* Brabantum, *eximiũ in fingẽdis ſtatuis ac ſignis artificem, hominem pietate & morum integritate inſignem.* Is *quum anno* M.D.XLV. *in maritima vrbe San-lucar vocata non procul ab* Hiſpali Beticæ *regionis commoraretur, vt primùm veritatis notitiam conſequutus eſt, nõ amplius ſtatuis ad idolomaniam conficiendis, ſed effingendis ſignis operam dabat. Retinebat quidem in ſua officina* D. Mariæ *imaginem affabrè ſculptã velut artis ſtatuariæ ſpecimen.* Inquiſitor *quidam* Hiſpanus *quum fortè officinam* Rochi *præteriret, artificium illius ſtatuæ ſuſpiciens, quæſiuit quanti væniret: Statuario certum pretium dicẽti,* Inquiſitor *vix dimidium obtulit. Quid, inquit Statuarius, quum tantum laboris & temporis in eius imaginis confectione impenderim, ſi quanti offers venderem, vix aquæ interea epotæ mihi pretium perſolueretur.* Inquiſitor *verò acrius inſtabat vt eo oblato pretio ſuam faceret.* T*ua erit, inquit,* Rochus, *ſiquidem iuſtam laboris mercedem atque æſtimationem dederis, alioquin illam potius confringerem. Cui inquiſitor,* Eia *confringe ſodes. Protinus alter arreptum fabrile inſtrumentum in faciem imaginis impegit, quam ſtrictim attingens nonnihil alliſit.* Inquiſitor *& cælum & terram inclamans tãquam grauiſſimo ſcelere admiſſo iuſſit mox* Rochum *abripi atque in carcerem deduci. Quid, viciſſim acclamabat ille, ánnõ pro meo arbitratu fingere ac refingere opus mearum manuum poſſum? haud rectè mihi factum videbatur, quid ad vos attinet? Sed nihil hæc verba profuerunt: inſania etenim correptis carnificibus iſthæc dicebantur.* T*ribus itaq; poſt diebus ſententia capitis illi pronunciata fuit,* Quia *ſcilicet* Diuam Virginẽ *læſiſſet, crimen diuinæ maieſtatis læſæ in ſumma incurriſſe, atque ob id ignis ſupplicio plectendum condemnari & executoribus committi.* Ignem *itaque ſubiturus* Rochus *ſublata voce rogauit, an in multitudine quæ circũſtabat quiſquam* Flander *adeſſet.* Quidam *reſponderunt adeſſe* Flandros, *ac*

duas naues Flandricas in portu San-lucareo eſſe, quæ ventum ſecundum ad remeandum in Flandriam expectarent. Velim, ait Rochus, rogatum eorum aliquem, vt patri meo qui Antuerpiæ habitat, ſignificet me in hac vrbe exuſtum eſſe ob eam cauſam, quam omnes audiſtis. Hic deinde præſenti animo Dominum precatus, intrepidè mortem oppetijt, habuítque hunc vitæ exitum vir pius in Hiſpanienſi terra. Ac ne quis in tam raro ac inaudito crudelitatis Hiſpanicæ exẽplo de fide hiſtoriæ dubitet, vir quidam grauis ac ſpectatæ fidei, natione Hiſpanus, diligenti inquiſitione Antuerpiæ habita, atque indicio eorum qui ſunt artis ſtatuariæ, parentes Rochi reperit, qui rem totam vt à nobis prædicta eſt, confirmarunt ac ipſius Rochi patrem paulò poſt acceptũ de tam crudeli morte filij nuncium, dolore interiiſſe.

Rochi ſtatuarii exitus.

IOANNES DIAZIVS.

Hiſtoria memoranda de morte Ioannis Diazii Hiſpani quem ipſius frater germanus Alphõſus Diazius, exẽplum ſequutus primi parricidæ Cain, velut alterum Abelem nefarie interfecit.

M.D.XLVI.

IOANNES *Diazius, natus in vrbe quæ vulgò Cuença dicitur, quæ eſt ſedes Epiſcopalis in ea parte vlterioris Hiſpaniæ ſita, quæ finitima eſt Beticæ regioni, paulò ſupra fines regni Toletani: cùm tredecim totos annos, aut eò amplius Lutetiæ vixiſſet, Geneuam tandem ſe contulit, vt eius eccleſiæ ſtatum videret, quam à viro doctiſſimo Ioanne Caluino, qui officio paſtoris in ea eccleſia fungitur, ab inquinamentis idololatriæ paulò antè in Dei eccleſiam inuectæ, ſciebat eſſe repurgatam, ſuóque priſtino, hoc eſt Apoſtolico nitori reſtitutam. Manſit in ea vrbe ad menſes aliquot, vt eccleſiæ ac reipublicæ formam conſideraret: quo tempore cum ipſo Caluino, atque alijs eccleſiæ Geneuenſis miniſtris, ſuam de ſingulis Chriſtianæ religionis articulis ſententiam communicauit, quorum iudicio Ioannis Diazij doctrinam atque integritatem conſtat fuiſſe approbatiſſimam. Deinde & reliquas bene conſtitutas in Germania eccleſias videre voluit, in quibus ſciebat ſonare veram Euangelij vocem, vt regionem perluſtraret, mores hominũ cognoſceret, & cum viris doctis, cùm de omni doctrina, tum præcipuè de religione conferret. Profectus igitur Geneua, Baſileam venit, vbi paucis diebus commoratus, poſteaquàm fideles Chriſti miniſtros, qui ſcholæ & eccleſiæ iſthic*

præſunt,

præſunt cõueniſſet, ac omnes peramanter ſalutaſſet, Argẽtinã cogitat, qua in vrbe, quoniã prouẽtu doctiſsimorũ hominũ eam florere arbitrabatur, firmiorem ibi ſedem figere conſtituerat: tantiſper ſanè, donec ad alium vtiliorem locum Dominus ipſum euocaſſet. Vixit ergo Argentinæ partem ſuperioris æſtatis vſque ad ipſam τροπὴν brumalem, omnibus interim gratus, qui eum propter inſignem integritatem ac virtutem, tanquam verum ſinguli fratrem complectebãtur. Imprimis autem clariſsimo viro, domino Martino Bucero chariſsimus fuit, cuius ipſe cõſuetudine propter excellẽtem hominis doctrinam familiariter vtebatur. Denique cùm in fine penè ſuperioris anni, colloquium de religione à Cæſarea maieſtate indiceretur Ratisbonæ celebrandum, viſum eſt ſenatui populóque Argentinenſi, Ioannem quoque Diazium publico ciuitatis nomine mittere, vt cuius fidem ac integritatem probatam ſatis atque ſpectatam haberent, eiuſdem quoque opera in hoc publico negotio vterentur. Mittitur ergo Ioannes Diazius Ratisbonam, vnà cum domino Bucero, addito inſuper publicæ fidei commeatu, ne quiſquam eorum qui Pontificiam dignitatem defendunt, ac veritati doctrinæ cæleſtis aduerſantur, temerè auderet publica authoritate miſſum violare.

Diazius ab Argentinen. ad colloquiũ Ratiſbonẽſe mittitur.

Poſteaquàm Ratisbonam ventum eſt, Diazius conuenit Petrum de Maluenda Hiſpanũ, qui aduerſæ partis, videlicet idolomaniæ Pontificis fuit nominatus colloquutor ac defenſor. Iſte Maluenda cùm primùm illum vidit, quem alioqui nouerat Lutetiæ familiariter, non ſecus admiratus eſt quàm ſi rem aliquam prodigioſam ſibi coram oculis propoſitam videret. Tandem vbi multis ſignis declaraſſet admirationem, quam ex eo inopinato conſpectu concepiſſet, aggreditur hominem, dixítque videri ſibi ſomnium videre, non re ipſa eum præſentem intueri, præſertim in Germania, & quidem in ſocietate Proteſtantium, qui magis gloriaturi eſſent ſi vnum Hiſpanum in ſuam ſententiam poſſent pertrahere, quàm ſi decem millia Germanorum, aut innumeros aliarum gentium homines conuerterent. Rogat Diazium, quandiu in Germania vixiſſet: quo conſilio in eam regionem veniſſet: an Buceri doctrinam & aliorum Germanorum ap-

Quo pacto Maluenda Diaz. exceperit.

*probaret.*Reſpondet placidè ac moderatè Diazius, id quod res erat, ſe quidem habitaſſe in Germania ſex fermè menſes, nec alio conſilio eam profectionem ſuſcepiſſe, quàm vt regionem perluſtraret, inſtauratam religionis doctrinam probè cognoſceret, & cum viris doctis ſuam de religione ſententiam conferret. Ad hæc Maluenda, vultu ad ſuperſtitioſam quandam admirationem compoſito, Profectò (inquit) ſex menſes in Germania, non menſes tantùm, ſed integri anni, aut certè totidem ſecula videri poſſent homini pio: vſqueadeò in Germania viuere miſerum eſt ei, qui vnitatem eccleſiæ Romanæ amat, authoritatémque veretur.

Poſt hanc primam collocutionem, bis eum conuenit ſolus Diazius, & multa cum ipſo Maluenda de religione contulit. Poſtremo colloquio rogauit Diazium Maluenda, cuius rei gratia veniſſet Ratisbonã. Diazius reſpõdit, publico ſe Argentinẽſium nomine eſſe miſſum, vt hoc publico in colloquio, etiam ſuas preces cum eccleſiæ Chriſti precibus cõiungeret, & conciliationem articulorũ, qui hodie in diſceptatione verſantur, pro virili promoueret. Fruſtra, inquit Maluenda, huc veniſti. nã in hoc toto colloquio nihil omnino conſtituetur. quòd ſi tuam operam ad publicam vtilitatem conferre volebas, ad concilium quod Papa inſtituit Tridenti, erat tibi proficiſcendum: vbi conuenient Catholici præſules, ac in eo celebrando & perficiendo ſummo ſtudio elaborabunt. Quum igitur audiſſet Maluendam diſertè profitentem, nihil omnino fieri debere in colloquio Ratisbonenſi, facilè intellexit omnia Pontificiorum conſilia eſſe fraudulenta, à quibus (incolumi religionis integritate) nulla eſſet ſperanda concordia. Proinde valedixit Maluendæ, neque fuit illi animus poſthac eum amplius conueniendi.

Poſt id colloquium Diazius non amplius conuenit Maluendam. ſed ille exaſperatus libertate Diazij, ab eo tempore cœpit inſidias ſtruere, fraudes nectere, atque in hoc prorſus incumbere vt hominem innocentiſſimum perderet. Quod aperta vi aut iuſtæ cauſæ prætextu facere non poterat, clandeſtinis conſilijs, & impudenter à ſe confictis mendaciis, negotium aggreditur. Scripſit literas in aulã Imperatoris ad monachum Dominicanum, qui ab auribus erat Cæſari, in quibus ſignifica-

Dominicanus qui tũ Cæſaris cõfeſsionarius erat,

nificabat eſſe Ratisbonæ Ioannem Diazium Hiſpanum, *quem cùm* dicebatur frater Petrus de Soto.
pſe olim Lutetiæ *nouiſſet ſtudioſum catholicæ fidei, & obſequen-
em eccleſiæ filium (eccleſiam iſti appellant , quam ex* Romanis
olumnis flagitioſorum hominum ipſi fabricarunt) nunc Ratisbonæ
videret acrem defenſorem partium Proteſtantium *, qui ſe iam in-
imicum eccleſiæ catholicæ , Lutheranorum amicum ac propugna-
torem publica profeſſione declararit . Præterea incendit multis e-
tiam falſis delationibus (vt euentus rerum poſtea oſtendit)ani-
mum peruerſi proditoris alioqui ardentem , atque etiam inflamma-
tum, & propria ſua malitia & odio æternæ* Dei *veritatis, quam ne-
que ipſe nouerat, neque audire ſuſtinebat. Vrget inſuper atque obte-
ſtatur, vt tantum malum violento aliquo remedio conetur auertere.
futurum enim augurabatur, ſi creſceret malũ quod iam tum in her-
ba eſſe putabat, vt* Hiſpania *tãdem aperiret oculos, videret ſuam mi-
ſeriam & cæcitatem, videret ſeruitutem ac tyrannidem, videret igno-
rationem cum magna ſuperbia & ſuperſtitione coniunctam.*

Lectis à monacho Confeſſionario *literis, quem ille affectum indue-
rit, quid in ea cauſa faciendum putarit, affirmare non poſſumus. Si
quid autem licet ex præteritis eius factis æſtimare, veriſimile eſt, pro
ſua conſuetudine nihil leue, nihil vulgare ab homine nefario fuiſſe
excogitatum. Ceterùm quum* Maluenda *expectaret* Confeſſiona-
rium, diutius opinione ſua cunctantem, viderétque Ioannem Diazium
Ratisbonæ, *qui in officio ſuo ſedulam ac diligentem nauaret operam:
non contentus primis literis, ſecundas etiam, ſed multò acerbiores ad*
Confeſſionarium *ſcribit.* Rem *eandem inculcat, acriter contendit atq;
obteſtatur, vt aliquam inueniat viam, qua hunc hominem, qui ipſorum
conſilia & actiones aliquando poterit euertere, de medio tollat, priuſ-
quam vel ipſe vires ſumat, vel in negotio iam tũ incœpto vlterius pro-
grediatur. Quum fortè has literas* Maluendæ Confeſſionarius *acci-
peret, aderat* Bruxellis *legenti quidam* Hiſpanus *nomine* Marquina, Marquína Hiſpanus.
qui in publicis quibuſdam negotijs Romæ *verſabatur, vnde paulò antè
in aulam* Imperatoris *venerat.* Iſte Marquina *, qui olim familiariter
nouerat* Diazium, *cùm audiret nunc quæ de ipſo à* Maluenda *ſcribe-*

rentur, grauiter ac permoleſtè tulit amici quem vnicè diligebat, famam & exiſtimationem notari: præſertim hæreſeos crimine: quod vt eſt grauiſsimum, ita etiam omnibus bonis eſt (ſicut eſſe debet) odioſiſsimum. Et quia eum familiariter nouerat, ſciebátque hominem eſſe integerrimæ vitæ ac virtutis approbatiſsimæ, cœpit eum excuſare apud Confeſsionarium, quàm id facere potuit diligenter. Dicit clarè, non eſſe adhibendam fidem verbis Maluendæ, qui vel aliquo priuato odio, vel alia quacunque occaſione inductus, limites in ea parte veritatis tranſiliret: credendúmque potius eſſe publico præſtantiſsimorum hominum teſtimonio, qui Ioannis Diazij virtutem atque integritatem ſemper approbarunt. Proinde orabat Confeſsionarium vt eam rem apud ſe occultam retineret, ſuámq; ipſe ſuſpenderet ſententiam, tantiſper ſanè, donec aliquid certius audiretur. Fertur dixiſſe Confeſsionarius, Si Ioannes Diazius maneat apud hæreticos, dabit eccleſiæ magnum malũ: ideóq; modis omnibus proſpiciendum eſt, vt quacunque ratione vel conuertatur, vel tollatur.

Paulò pòſt celeri curſu profectus Romam iſte Marquina, rem vniuerſam ſignificauit fratri Ioannis, Alphonſo Diazio, qui in controuerſiis iudicij Rotæ lõgo tempore in ea vrbe ſe exercuit. quale inter ſe cõſilium iniuerint & Marquina & Alphonſus frater Ioannis, nondum planè conſtat, nec rectè affirmari poteſt: quanuis ex eo, quod poſtea ſequutum eſt, non difficulter licebit æſtimare. Omnino aliquid magni facinoris iam tum fuit inter eos conſtitutum, vt ſcelerata eorum flagitia poſtea declararunt. Hæc omnia, vt antea geſta ſunt, & hîc à nobis narrata, ipſe Alphonſus Diazius ſuo fratri ordine, vt dictum eſt, Neoburgi narrauit.

Ratisbonẽſis colloquij abruptio.

Interea temporis Ratisbonẽſe colloquium, ſatis acriter initio incœptum, abrumpitur, & ſubitò quaſi mutata colloquutorum voluntate in altum ſilentium conuertitur. Cauſam huic ſilentio præbuerunt aduerſarij veritatis nouo atque inaudito commento, quod ipſi in ſuo cerebro vel ad fraudes ſuas occultandas, vel ad veritatem opprimendam, non minus callidè quàm impiè excogitarunt. Fingunt ab Imperatore miſſas literas, quibus iubentur vniuerſam de religione diſputationem clancularijs ſuſurrationibus tranſigere. Id autem quò

magis

ɪagis ratum ac firmum eſſet iuxta eorum voluntatem, iubent colɔcutores vtriuſque partis iureiurando adſtringi, ne quid eorum quæ n colloquio tractarentur, vel ſuis principibus, vel vlli mortalium ignificarent. Eam conditionem, quoniam abſurda nimis erat, & unquam antehac in libero colloquio vel audita vel propoſita, noſtri homines accipere noluerunt. quaſi verò diſputatio de articuis Chriſtianæ doctrinæ ſint Eleuſinia ſacra, de quibus vel vnum verɔum coram hominibus proferre nefas eſſe videatur. Sed ita omniɪo natura comparatum eſſe videmus, vt mens ſibi malè conſcia, & ucem vereatur & iudicia bonorum hominum pertimeſcat.

Suſpenſis hunc ad modum negotijs colloquij in vrbe Ratisboɪa, propter eam cauſam quam modò narrauimus, profectus eſt Ioɪnnes Diazius Neoburgum, oppidum illuſtriſsimi principis Ottonis Henrici Palatini, ad ripam Danubij ſitum, vt præeſſet editioni cuiuſdam libri doctiſsimi viri Martini Buceri, qui tum in ea vrbe imprimebatur. Dum hæc aguntur in Germania, non eſt otioſus Alphonſus frater Ioannis, qui erat Romæ. Etenim cùm is admonitus eſſet à Marquina de literis quas Maluenda ſcripſerat ad Cæſaris Confeſsionarium, ſine mora in Germaniam profectionem adornauit, vt quibuſcunque poſſet modis fratrem ab inſtituto veræ religionis curſu conaretur reuocare. Adducit vnà ſecum nebulonem quendam ſicarium, qui vt poſtea compertum eſt, Romæ fuerat publicus carnifex: cuius atque tertij cuiuſdam ſodalitio comitatus, celeri curſu equorum Auguſtam peruenit. Inde Ratisbonam ſe contulit vnà cum ſuo carnifice, vbi fratrem inueniri poſſe arbitrabatur. Ratisbonæ primùm conuenit Maluendam apud quem ſui pectoris conſilia depoſuit: à quo viciſsim rationem vel decipiendi vel conuertendi fratrem poſtulauit. Quódnam illi conſiliũ dederit Maluenda, nondum planè conſtat, paulò poſt fortaſſe fiet maɪifeſtius. Fertur dixiſſe Hiſpano cuidam, Vtinã veniat illa dies, in quo ego corpus Ioannis Diazij combuſtum videre poſsim, vt vel eo ſupplicio extincto corpore, melius animæ conſultum videatur. Quod ſi verũ eſt, vt certè veriſimile videtur, ſatis declarauit Maluenda Sorbonicus doctor iſta vna, non humana ſed pluſquam ferina & prorſus diabo-

Cur Neoburgum Ioan. Diazius ſit profectus.

Maluendæ votum de interficiẽdo Diazio.

lica ſua voce, ſe æternæ iræ Dei *reum eſſe, in quem tota culpa iſtius innocentis ſanguinis effuſi, tanquam in verum parricidam, transferatur. Illud ſine controuerſia in confeſſo eſt, inter ſe conſtituiſſe modis omnibus inquirere, vbi gentium* Ioannes Diazius *poſſet reperiri.* Mittunt ergo quendam Hiſpanum, qui in ſodalitio Maluendæ habitabat, ipſi non abſimilem, vt de Diazio vbinam eſſet interrogaret ab amico quem præ cæteris id ſcire, ac eius conſilia tenere arbitrabantur. narrat veniſſe quaſdam literas magni momenti ex aula Imperatoris ad Diazium, cuius permagni intereſſet fideliter eas accipere: ac proinde orabat, vt locus in quo eſſet indicaretur. Reſpondit ille amicus non planè conſtare vbi tum ageret Diazius: & tamen ſi quid ad eum cuperet perferri, ſe curaturũ ſummo ſtudio vt fideliter ad ipſius manus perferretur. Abijt Hiſpanus eo quaſi reſponſo contentus: ſed paulò pòſt reuertitur, narrátque eſſe in diuerſorio Coronæ quendam virum nobilem, ſummum amicum Diazij, qui ad eum literas ex aula Imperatoris ab alijs amicis adferebat, in quibus negotium magni momenti contineretur. proinde ipſius nomine perſtudioſè amicum Diazij orabat, ne grauaretur vel locũ vbi Diazius eſſet indicare, vel eum in hoſpitio conuenire. Ille vt officium præſtaret amico, cuius negotia cupiebat diligẽter curata, venit cum Hiſpano ad diuerſorium, vt quid omnino eſſet, quod ad Diazium pertineret, propius cognoſceret. Ibi inuenit quendam Hiſpanum, vt ex cultu & vultu licuiſſet æſtimare, hominem non vulgarem, qui eum per fidem atque humanitatem, pérque omnia ſacra & profana impenſiſſimè cœpit orare atque obſecrare, vt locum vbi Diazius eſſet illi indicaret. eſſe enim magnum negotium, quod cum eo deberet peragere. Nam & literas à ſummis eius amicis ex aula Imperatoris ad ipſum adferre, & præterea res cum eo non vulgares debere tranſigere, quæ maximè ad vtilitatem Ioannis Diazij pertinerent.

Hic verò amicus idem penè huic dedit reſponſum, quod paulò antè famulo dederat: ſe non prorſus ſcire vbi eſſet Diazius, ſed tamẽ ab alijs id velle percontari, à quibus aliquid certi ſperabat poſſe intelligere. Domum is reuerſus rem omnem cum domino Bucero, cũ domino Brentio & cum reliquis colloquutoribus communicauit, & conſilium quod in

quod in eo negotio ſequi deberet, ab eis poſtulauit. Variæ ibi fuerunt *ſententiæ, dum alij locum vbi* Diazius *eſſet indicandum cenſent, alij contrà negant: ſed vtrinque rationes ſatis idoneæ ad confirmationem ſuæ ſententiæ adferebant.* Denique valuit ea *ſententia, vt locus indicaretur, qui alioqui liber & ſecurus erat, ne quid propter ignorationem negotij, quod magni momenti dicebatur, aduerſus vtilitatem* Diazij *imprudenter peccaretur.* Interea *priuatim ſcriptis literis admonitus fuit* Diazius, *vt ſi quod periculum ab eo homine impendere putaret, prudenter ſibi ac tempeſtiuè caueret.* Hoc *igitur conſilio & voluntate indicauit ille amicus* Alphonſo *(qui nondum patefecerat ſe fratrem eſſe* Ioannis Diazij*) eum eſſe in ciuitate vicina, quæ vulgò dicitur* Neoburgum. *Egit illi ingentes gratias pro hoc nuntio, & impenſè orauit vt cum eo ad amicum veniret: quam ad rem dicebat ſe habere equum in promptu, & res omnes neceſſarias.* Reſpondit *ille non eſſe integrum eo tempore* Ratisbona *diſcedere: ſed tamen promiſit ſe ad* Diazium *daturum literas, atque ipſi etiam ſignificaturum quo in loco eum poſſet inuenire. Scripſit ergo literas ad* Diazium *quas* Alphonſo *dedit, in quibus nihil aliud, quàm quod ſine periculo publicum eſſe poterat, continebatur. Scripſit verò alias quas priuatim tradidit nuntio publico, qui cum* Alphonſo *proficiſcebatur: eúmque admonuit, vt eas literas ſeorſim ac diligenter cuſtodiret, nec alteri quàm ipſi* Ioãni Diazio *traderet.* In *his literis copiosè ad eum perſcribebat quicquid cum eo viro illi accidiſſet, ſimúlque eum admonebat, vt ab eius inſidijs, ſi quas vellet ſtruere, caueret diligenter. Scripſit etiam per eũdem nuntium dominus* Bucerus, *ſcripſerunt & alij amici, qui omnes eum diligentiſſimè de periculis, quæ accidere poterant, admonebãt & quomodo ea poſſet depellere ſignificabant.* Ac *vt res tota magis careret ſuſpicione, data ſunt nuntio acta in colloquio* Ratisbonenſi *ad Secretarium illuſtriſſimi* Principis Ottonis *perferenda.* Addiderunt *ſeorſim pecunias, vt res à nuntio fidelius curaretur, qui alioqui recepit ſe totum illud negocium curaturum, non ſolùm libenter, ſed etiam valde diligenter.* Hoc *negotio ita conſtituto valere iuſsis nuntio atque etiam* Alphonſo: *ipſe rurſus* Amico *fratris agit gratias ingentes pro eo officio, ac ſimul gratitudinem & beneuolentiam integro ac fi-*

Amici Diaziũ monẽt ſibi caueat.

deli amico dignam, pluſquam officioſè promittit. Sed priuſquam à ſe dimitteret amicum fratris, denuò cœpit obteſtari, pérque amicitiæ fidem & Chriſtianam charitatem adiurare, ſi Ioannis Diazij *dignitatem ac exiſtimationem integram atque illibatam cuperet, ne quid omnino earum rerum, quæ inter eos eſſent conſtitutæ, tum vlli mortalium, tum verò nominatim* Maluendæ *vllo modo ſignificaret. etenim non dubitare eius animum aduerſus* Diazium *eſſe valde infenſum, quòd eius conſilijs noluiſſet obtemperare: ac proinde ad vtilitatem* Diazij *omnino pertinere vt ea res, quam apud eum agere volebat, ignorante* Maluenda *perficeretur. Quid multis? tanta eſt vſus orationis vehementia, tam ſeriò in hoc incūbebat, vt nihil eius rei* Maluēdæ *indicaretur, quinetiam fidem faceret, nihil ab eo ſimulatè geri, ſed prorſus ex animo loqui. Sed ô facinus infandum peruerſi proditoris! Nā vix ab eo digreſſus erat ille amicus, cùm ipſe ad nuntiū venit, eúmq; omnibus literis & ſcriptis ſpoliauit, ſéq; ad* Maluendā *cum eis contulit. ibi poſteaquàm omnia perlegiſſent, atque inter ſe cōſilia, haud dubiè* Cainica, *cepiſſent: omnes epiſtolas lacerauit, ſolum ſcriptum actorum, quod* Secretario principis Ottonis *erat tradēdum, retinuit: quod alioqui ſeruaturus non erat, niſi ad parandam & conciliandam eius viri amicitiam id ſibi perneceſſarium fore putaſſet. Amicis* Ioannis Diazij *paulò pòſt fuit ſignificatum,* Alphonſum *apud* Maluendam *fuiſſe: & quæ cum nuntio egiſſet, ipſe poſtea* Ioannes Diazius Neoburgi *amicis narrauit. Cùm autem amici* Ioan. Diazij *intellexiſſent hanc tam inſignem hominis perfidiam, qui tam accuratè fidem atque integritatem ſimulabat, in ſuſpicionem venerunt omnes, eum aliquod magnum facinus moliri. Proinde rurſus per nuntium proprium,* Ioannē Diazium *adhortati ſunt, vt ab inſidijs illius hominis omnino ſibi caueret. Tandem proficiſcitur* Alphonſus Neoburgum, *per quem* Maluenda *ſcripſit literas ad* Ioannem Diazium, *quibus eum hortabatur vt fratri recta monenti obtemperaret. Promiſit etiam, ſi eum in* Italiam *ſequi vellet, &* Germaniam *cum ſuis* Germanis *penitus relinquere, vt qui eſſent corruptores bonorum ingeniorum (iſtis enim verbis in ſuis literis vtebatur) ſe apud* Cæſaris Confeſſionarium *curaturum, vt ea mala, quæ de ipſo prius ſcripſiſſet, recens nunc in aliam*

Proditoris artificioſa oratio.

n aliam ſententiam ſcriptis literis, ab ipſo emendarentur, ne in poſte-um innocenti homini fraudi eſſe poſsit quod antea parum conſidera-tè fuerat ſcriptum. Itaque *in ſuis proprijs literis ſimul impietatem in-fidelitatémque prodebat, & penè diſertis verbis ſuam perfidiam con-fitebatur. Iſtis literis* Maluendæ, *ac ſimul etiam carnifice ſuo comita-tus, peruenit* Alphonſus Neoburgum *: quem cum frater* Ioannes *co-ràm videret, cum magna admiratione(ſicut eſt conſentaneum) præ-ſentem intuebatur, à quo nullas lõgo tẽpore literas acceperat, quém-que* Romæ *tunc eſſe putabat*. Percontanti *cauſam tam ſubitæ atque inſperatæ præſentiæ, reſpõdet veras cauſas, vt antea dictum eſt, qui-bus impulſus laborioſam illam profectionem ſuſcepiſſet*. Pietatem *in fratrem ſimulat impius parricida, & latentia in animo ſcelerata con-ſilia prætextu amoris occultat. Quid hìc ſuſpicari poterat vir integer-rimus? arbitratur verè fraterno amore permotũ fratrem ad ſe veni-re: & quanuis multa in eo deſiderat, affectum tamen probat, atque eius amorem magna pietate complectitur*. Excipit *igitur fratrem a-mantiſsimè, ignorans interim ſe viperam in ſinu fouere, cuius effrena-tus furor, paulò pòſt eius ſanguinem debebat profundere*. Vbi *familia-rius inter ſe agere cœperunt, paulatim prodit* Alphonſus *ſuæ impieta-tis ſignificationem. narrat eam tantùm ob cauſam laborem illum diu-turnum & periculoſum ſuſcepiſſe, vt eum ab inſtituta vitæ ratione ad ſaniorem profeſsionem, atque (vt iſti loquuntur) ad gremium eccleſiæ reuocaret*. *Specioſum eccleſiæ nomen prætexit ſceleratus parricida, qui in* Romana *impietate eſt verſatus atque educatus, & quid ſit* Eccleſia *prorſus ignorat. Cõmemorat pericula terribilia, quæ ſi diu-tius in hoc inſtituto perſiſteret, ſequutura videbãtur. Obijcit illi ſum-morum ordinũ execrationes, qui odio* Lutherani *nominis, ſuprà quàm credi facilè queat, exarſerunt*. Ponit *ob oculos ingens dehoneſtamen-tum totius familiæ, priuatas miſerias, carceres, exilia, proſcriptiones, gladios, incendia, & quicquid alioqui periculorum eos plerunque co-mitatur qui vera ſunt* Eccleſiæ Chriſti *membra, quíque puram atque integram* Euangelij *doctrinam pio & flagranti animi ſtudio ample-ctuntur*. Multa *præterea in hanc & ſimilem ſententiam adducebat, vt conſtantem alioqui, & firmis* Dei *promiſsionibus munitum fratris*

Prima coitio Io. Diazii cum fratre.

animum commemoratione periculorum labefactaret.

Ioan. Diazii mitis reſponſio.

Ad has rationes fratris, etſi deplorabat in animo ſuo Ioannes *deprauatum* Alphonſi *iudicium; qui pericula & furores hominum profeßioni veræ doctrinæ anteferret, reſpondit tamen illi blandißimè,* Nec *errore mentis, frater, nec vlla priuata cupiditate adductus, ſed certo & firmo iudicio eam doctrinam ſum amplexus, quam ex fontibus ſacrarum literarum (diligenter peruestigatis initijs & progreßionibus veræ religionis) clarè agnoſco eſſe verum ac perpetuum conſenſum* Prophetarum *&* Apoſtolorum. Hanc *igitur doctrinam* Dei *beneficio apprehenſam ſine nefario ſcelere abijcere non poſſum: neque vlla mundi pericula me ab hoc inſtituto deterrebunt.* Conſidera, *quæſo te frater, vtrum ſit prudentis, momentanea pericula vitare, vt incidat in æternam condemnationem. atqui nullum profectò aliud eſt peccatum blaſphemiæ, quàm agnitam veritatem flagitioſè inſectari, cuius criminis nec in hoc ſeculo, nec in ſempiternum vlla fiet condonatio.* Magni *ergo momenti res eſt, quæ me in hoc incœpto curſu & in hac profeßione retinet.* Ac *ego quidem vehementer optarem, mi frater, vt in voluntate* Dei *cognoſcenda tantum tibi operis ac ſtudij ponendum putares, quantum alioqui ſolertiæ ac ſedulitatis in negotijs humanis vel peruestigandis vel expediendis hactenus poſuiſti. quæ tua eſt ingenij dexteritas, quæ immenſa eſt æterni* Patris *miſericordia, non dubitarem* Deum *velle theſauros cæleſtis ſapientiæ ſuæ tibi patefacere: téque poſſe, ſi adeſſet labor & induſtria, voluntatem* Dei *ex diuinis literis cognoſcere atque illuſtrare.* Vtinam *verò eam cognitionem tibi ego, mi frater, vel meo ſanguine poſſem comparare.* Nam, *vt teſtatur ipſe filius* Dei, *hæc eſt verè vita æterna, cognoſcere* Deum *verum, & quem ille miſit* Ieſum Chriſtum. Et *profectò illud inprimis deplorandum eſt, tantam eſſe in re omnium maxima & grauißima hominum negligentiam & impietatem, vt hæc oracula* Dei *(clara æterni numinis voce de cælo ſonante & ad omnes creaturas promulgata) vel otioſè negligant ipſi vel ſuperbè contemnant.* Etenim *ſi rem ipſam tecum recta reputes via, quam aliam, amabo te, reperies cauſam quare nos ab impijs hominibus condemnemur, ac penè quotidie morti tradamur, quàm quòd*

Deficere à veritatis cognitone quàm periculoſum.

Ioã.17.a.3.

vniuer-

niuerſam ſpem noſtram in Deo *viuo, non in vllo homine, non in vllis rebus humanis repoſuimus, extra quem nulla eſt homini ſperanda ſa-lus? Cognoſce igitur prius cauſam noſtram, mi frater: quam vbi ſeriò perdidiceris, tu ipſe iudicabis propter nulla vitæ pericula eſſe deſe-rendam. Certè quod ad me attinet, ita meum animum gratuita* Dei *miſericordia & bonitate confirmaui, vt nulla ratione me ab inſtituta doctrinæ profeſsione patiar reuocari.*

Cùm videret Alphonſus *conſtantiam fratris, nouum arietem in-tendit: & quod ab eo periculorum metu extorquere non poterat, pro-poſita præmiorum ſpe ſe poſſe cõfidit impetrare.* Dicit *ſe habere ſin-gulis annis ex beneficijs eccleſiaſticis prouentus quingentorum duca-torum: quos omnes in eum cupit transferre, modò ipſe* Romam *vnà ſe-cum proficiſcatur.* Alphonſus præmiorũ ſpe fratrẽ il-lectat.

Ad *hoc reſpondet* Ioannes, N*on ſum tam auidus pecuniæ, frater, quàm tu fortaſſe arbitraris. nam ſi diuitiarum aut honorum viam mihi inſequendam propoſuiſſem, longè aliter vitæ meæ rationes in-ſtituiſſem.* Nunc *verò iſtam qualemcunque cæleſtis doctrinæ cogni-tionem, quam* Dominus *gratuita ſua bonitate in me contulit, pro ſum-mo honore habeo: & iſte animus, nullius ſibi criminis conſcius, mihi quouis theſauro pretioſior eſt.*

P*oſtremò cùm ne hac quidem illi ſuccederet, aliam aggreditur viam, ac extremam vim machinarum & proditionum admouet, qui-bus fratrem innocentem, candidum atque omnis malitiæ dolíque ex-pertem, homo peſsimus fraudulenter oppugnet.* Pietatem *ſimulat im-pius homo, vt ſanctum virum, qui totus à* Deo *pendebat, opinione re-ligionis facilius decipiat. Ac tandem ex imo pectore ſuſpiria trahens, ingemiſcens & quaſi lachrymabundus fratrem aggreditur in hanc ſententiam,* Video, *frater, tantam eſſe tuam conſtantiam, fidem at-que integritatem in cognoſcenda atque retinenda* Euangelij *doctrina, vt me quoque in tuam ſententiam cœperis pertrahere. neque enim ſum adeò rudis aut ferox, frater, vt ego vel mirandam atque imitan-dam tuam iſtam integritatem non videam & agnoſcam, vel ingentem illam vtilitatẽ cupiam impedire, quã ex tua iſta doctrina & profeſsio-ne, cùm ad vniuerſam eccleſiam* Dei, *tum præcipuè ad noſtros homines* Simulatiõ pietatis extrema ad proditionẽ machina.

ſpero adhuc poſſe redundare. Quinetiam toto pectore, quaſi coniunctis viribus hoc agamus ambo, atque in hoc potiſsimùm incumbamus, vt vera doctrina de Filio Dei, quàm maximè fieri poterit, toto orbe terrarum latiſsimè propagetur, & profeſsio Euangelij etiam in noſtris finibus, & apud noſtros homines, ſicut apud alias orbis nationes, floreat ac promoueatur. Sed ad hoc tantum Dei opus, debe-res, frater, non ſolùm prudenter, ſed etiam diligenter diſpenſare donum Dei, quod in te præ cæteris noſtræ gentis hominibus cæleſtis bonitas contulit. Etenim dum in Germania manes, & apud iſtos homines viuis quorum linguam ignoras, quid aliud, quæſo te, facere videris, quàm talentum quod à Deo copiosè accepiſti, humi defoſſum ſine vtilitate hominum tenere? Vides in hac regione eſſe pleroſque viros doctos in literis & religione præclarè inſtitutos, qui tua opera non indigent: atque adeò non indigent, vt ſi rectè illorum virtutem noui, illi ipſi tibi authores erunt vt eam doctrinam quam ab ipſis didiciſti, ad ædificationem ac reformationem noſtrorum hominum, noſtræque patriæ vtilitatem conferas. Sed quoniam illa in hoc tempore, incredibili tyrannide iacet oppreſſa, nec in ea tibi habitare eſſet ſatis tutum, non deſinam tibi eſſe author atque hortator, vt mecum in Italiam venias. Ex hac profectione tantum mihi vtilitatis audeo polliceri in promouenda gloria Dei, & illuſtranda Euangelij doctrina, quantum nunquam tu vel in Germania, vel in alio loco ſperare potuiſſes. Primùm igitur Tridentum veniemus, vbi multi præſules magnæ authoritatis congregati ſunt, qui in fauorem Euangelicæ doctrinæ prorſus inclinant: & ſi te haberent vel ſtimulatorem vel hortatorem, quod rectiſsimè in animo ſentiunt, nec impediti pontificia tyrannide audent euulgare, clara voce profiterentur. Expende nunc apud te quanta hinc vtilitas exorietur, vt integrum concilium, alioqui ad tyrannidem impiorum hominum ſtabiliendam inſtitutum, ad ſtudium inquirendæ ac patefaciendæ veritatis per te reducatur. Conferes tuam ſententiam cum illis viris doctis: & ſi quid melius quàm ipſi tenent, didiciſti, habebis illos (quod eorum nomine audeo promittere) attentos ac dociles auditores. Quin & tuam doctrinam alioqui firmam, & expreſsis Dei teſtimonijs ſtabilitam, puritate vitæ

O improbum malorum artificem!

Commẽdat illi Tridentinam congregationem.

ac

te ſanctitate, qua ſemper excelluiſti, & reliquas tuas virtutes doctri-ńámque ipſam exornaſti, quámque illi quoque ipſi, qui tibi non om-nino bene volunt, in te amant & venerantur, multò magis confirma-bis. Deinde veniemus Romam, Neapolim, *& in alias ciuitates* Italiæ, *in quibus magna eſt cognitio & ſtudium veritatis, vbi erit tibi nego-tium non cum infimæ notæ hominibus, ſed cum viris principibus, quos in vera doctrina confirmare, & publica penè voce tuam ſententiam li-cebit profiteri.*

Perculſus Ioannes Diazius *noua oratione fratris* Alphonſi, *cœpit in animo ſuo mirabiliter exultare, exiſtimans fratrem* Alphonſum *ex animo loquutum. Proinde multò blandius illi reſpondet quàm ſolitus erat, ſe quidem paratum eſſe quacunque poſſet ratione, etiam cum vitæ ſuæ diſpendio, gloriam* Chriſti *promouere. laudabat animum fratris, comprobabat conſilia, atque ad ea perficienda, vt ipſe volebat, ſuum quoque ſuffragium nunquam defuturum promittebat. Cæterùm, quoniam erat negotium magni momenti, arduum & periculi plenum, maturo etiam conſilio & deliberatione opus eſſe, vt iudicio bonorum atque prudentum id tandem ſtatueretur, quod magis ad vtilitatem reipublicæ, ad promouendam gloriam* Dei *vtile ac neceſſarium videretur. Quare hoc ſibi præter cætera videbatur conſultiſsimum, vt hæc tota deliberatio colloquutoribus, qui erant* Ratisbonæ, *committeretur, quorũ arbitrio ſe totum permittebat.* Hoc *conſilium non omnino diſplicuit* Alphonſo, *quia fortaſſe exiſtimabat fungos aut lapides eſſe, qui de hoc negotio debebant iudicare: nec fieri poſſe arbitrabatur, vt quiſquã Germanorum ſubtiles eius fraudes ac proditiones intelligeret. Scripſit igitur literas* Ioannes Diazius *ad collocutores, qui erant* Ratisbonæ, *in quibus aduentum fratris ſignificabat, qui hoc ab eo ſummo ſtudio poſtulabat vt ipſum in* Italiam *ſequeretur. Addebat quoque rationes fratris, quibus id fieri omnino debere contendebat. poſtremò ſuam etiã voluntatem ſcripſit, ita in animo ſuo conſtituiſſe, vt in hoc toto negotio nihil aliud facere velit, quàm quod ipſi re deliberata faciendum eſſe iudicarent. Scripſit quoque literas in eandem ſententiam ad* Bernardinum Ochinum, *qui in ciuitate Auguſtana* Italis Euangelium *concionabatur, à quo etiam ſuum de hac re iudicium poſtulabat. Denique vbi literæ*

Diazius oratione fratris perculſus.

Deliberationem fratris Diazius ad collocutores referri vult

Bernardinus Ochinus.

Diazij perlectæ fuerunt Ratisbonæ, *omnes colloquutores ſunt cōgregati, vt in ea cauſa ſingulorum ſententiæ audirentur.* In *hac deliberatione omnes vno ore conſenſerunt, nullo modo credendum eſſe falſis fratris rationibus: quem in hoc tantùm incūbere videbāt, vt prætextu pietatis fratrē innocentem deciperet. nec defuerunt in eo conſeſſu, qui parricidium, quod facinoroſus ille in animo ſuo conceperat, iam tum prædicerent.* Itaque *communi omnium ſententia ad* Diazium *ſcripſerunt, & quid omnino de toto illo negotio* Fratres *vno conſenſu & ſentirent & conſtituerent, diligenter ſignificarunt. idem quoque* Bernardinus *literis ſcriptis indicauit.* Iam *verò vbi frater* Alphonſus *videt ſe vndique excluſum, nec latere ſua conſilia diutius poſſe: etſi ingentem animo concepit dolorem, tamē quoniam fratris beneuolentiam ad perpetranda facinora quæ deſtinauerat, ſibi pernéceſſariam eſſe videbat, noluit eum acerbitate verborum lædere, ſed potius mœrorem animi ſummo ſtudio diſsimulauit.* Dicit *ſe quidem æquo animo ferre ſententiam illam doctorum hominum, quam propria ipſorum manu videbat conſignatam: ſed tamen vt aliqua ipſi gratia pro tanto labore reponeretur, impenſiſsimè orabat* Ioannem *vt ſaltem* Auguſtam *vſque cum eo venire non grauaretur, qua in vrbe extrema quaſi ſententia totum illud negotium definiretur.* Hæc *non ſine ingenti malitia à nefario parricida dicebantur, qui blādis verbis conabatur innocentē fratrem, in liberum & patentem agrum extra ciuitatem producere, vt in aliquo deſerto loco eum interficeret.* Omnino *id facturus erat* Ioannes, *niſi* Bucerus, *qui fortè interuenit ante fratris profectionem, ne id fieret prohibuiſſet.* Etenim *cùm* Ratisbonæ *nihil agerēt colloquutores, ſtatueréntque domum redire,* Bucerus *cum* Martino Frechtio *concionatore* Vlmenſe, *voluerūt* Neoburgum *venire, vt quod per literas* Ioannem Diazium *admonuerant, ne videlicet fratri* Alphonſo *crederet, nec eum in* Italiam *ſequeretur, id magis & magis præſentes inculcarent.* Conuentum *igitur eſt inter* Fratres, *vt* Alphōſus *proficiſceretur ſolus, die* XXV. Martij: *hoc eſt triduo poſtquàm amici* Neoburgum *veniſſent.* Ea *res quanquam peracerba erat in animo* Alphonſi, *ſimulabat tamen externam lætitiam quantum poterat, vt modis omnibus fidem faceret fratri, ſe nihil aliud velle aut optare quàm quod*

Prædicunt nonnulli parricidiū.

Martinus Bucerus & Martinus Frechtius.

Alphonſus ſpe fruſtratus.

ɔanni, quem ſe mirificè amare prædicabat, gratum atque optatum ·ideretur. Pridie ante profectionem, poſt cœnam, hoc eſt vigeſimo ·uarto die Martij, quum poſtridie ſummo manè eſſet profecturus, onuenit fratrem ſeorſum, eúmque ad conſtantiam in profeſſione ·eræ religionis adhortatus eſt. Promittebat quoque ſe & ſua omnia ·d arbitrium Ioannis fore perpetuò paratiſſima. Quin & nolenti ob- ·ruſit quatuordecim coronatos, vt emeret nouas veſtes: quos inui- ·um ac repugnantem penè violenter accipere coegit. Itaque additis ·ltrò citróque plurimis verbis, quæ teneritudinem fraterni pecto- ·is ac verum amorem teſtarentur, non ſine magna vi lachrymarum ·andem vtrinque diſceſſum eſt cubitum. Poſtridie ſummo diluculo, ·oc eſt vigeſimoquinto die Martij, paratur currus Neoburgenſis, ·n quo Alphonſus cum ſuo carnifice Auguſtam veherentur. ibi rur- ·ſus in diſceſſu nouæ lachrymæ profunduntur. ſed tamen receſſit om- ·nino frater Alphonſus, & Ioannes manſit cum amicis Neoburgi: Diſceſſus Alphonſi. ·qui profectò ſeriò ſibi gratulabantur, quòd eo tandem homine eſſent ·iberati, quem ſemper omnes habuerant ſuſpectum. Denique cùm Bu- ·cerus & Frechtius exiſtimarent iam eſſe in tuto omnia, voluerunt & ·pſi eodem die poſt prandium proficiſci.

Vbi ad portam ciuitatis venit Alphonſus, non paſſus eſt vt auriga vrbem intraret, ſed coegit eum per mœnia circumire, donec tandem in domum, in qua eſſe volebat, magno quidem diſpendio itineris, ſed tamen magis occultè duceretur: ne videlicet in vrbe ab aliquo cognoſceretur, qui poſtea ingens illud facinus impediret, quod in animo ſuo patrare conſtituerat. Tandem vbi eum in hoſpitio ſuo depoſuiſſet auriga, dixit illi Alphonſus, velle ſe poſtridie ſummo manè in Italiam proficiſci: ſed tamen velle quoque ante profectionem ſcribere literas ad fratrem, & proinde orabat eum, vt priuſquam Neoburgum reuerteretur, veniret ad ſe, apud quē inuēturus erat poſtridie paratas literas. Promiſit auriga: & ſequenti die ſummo manè, hoc eſt vigeſimo ſexto die Martij, venit ad hoſpitium Alphonſi ſicut antea promiſerat, vt literas ab eo ad Ioannem fratrem acciperet. Reſpōſum eſt aurigæ, Alphōſum eſſe in lecto: & quia præcedēte nocte in Qui malè agit odit lucem.

longum tempus protraxerat compotationem, altum adhuc dormire. Credidit auriga, & rogatus à domeſticis vt intra vnam aut alteram horam reuerteretur, recepit ſe facturum. Sed hæc omnia inter ipſos ignorante auriga de compoſito gerebantur, vt iſtiuſmodi fraudibus auriga diutius detineretur Auguſtæ, *quò plus eſſet ſpatij parricidis ad ſuum facinus magis impunè perpetrandum. Cùm igitur auriga ſecundò rediret ad* Alphonſum, *dictum eſt, illum iam eſſe profectum in* Italiam, *nec potuiſſe* Auguſtæ *literas ſcribere: ſed tamen promiſiſſe ſe ex* OEniponte *ſcripturum. Itaque numerata aliqua pecuniola, dimiſerunt aurigam placatum, qui planè verum eſſe credebat quod de* Alphonſo *ſibi fuerat narratum. Ac ipſe quoque paulò pòſt cum ſuo ſocio, qui pridie in eodem curru cum* Alphonſo *venerat* Auguſtam, *rurſus* Neoburgum *proficiſcuntur. Circa horam eius diei duodecimã peruenerunt in oppidulum* Bothmes, *quod in medio ferè itinere inter* Auguſtam *&* Neoburgum *eſt poſitum, & abeſt fermè tribus milliaribus ab vtroque. Ibi præter opinionem inuenerunt in diuerſorio* Alphõſum, *qui adhuc erat in menſa, & cum eo aſſidebant qui cum ipſo venerant, ſuus carnifex & nuntius* Auguſtanus *quem ſecum adducebat ignarum ſuorum conſiliorum: præterea eius oppidi ſacrificulus quidam, & alij conuiuæ.* Alphonſus *vbi aurigam cum ſocio vidit, non leuiter fuit perturbatus: quorum opera futurum verebatur, vt quod ipſe iam in animo ſuo patrare propoſuerat, vel impediretur, vel perturbaretur. ſed cõpoſito ad hilaritatem vultu, orauit aurigam vt ipſi cum ſodalitio menſæ aſſiderent. Quod principio illi, quia multi erant, & domum properabant, facere recuſauerunt. cùm verò ille magis inſtaret, tandem aſſederunt omnes. Inter prandendum, nouo atque inaudito commento, quod tum primùm in mentem venit, aurigã aggreditur. Ait ſibi præter opinionem oblatum eſſe negotium magni momẽti, de quo fratrem* Ioannem *ex eo loco deberet facere certiorem. Sed quoniam prius eſſent quædam, quæ ad hanc rem pertinerent in eo loco perſcribenda, in quo illo die manere conſtituiſſet, orauit valdè officioſè aurigam cum ſuo ſocio, ne grauarentur eodem die cum ipſis manere, & quidem ſuis ſumptibus, vt poſtridie per ipſos videlicet homines notos & fideles ea quæ vellet fratri poſſet nuntiare. Illi verò etſi*

Bothmes oppidulũ.

Alphonſus ad mendacia confugit.

libentius

libentius eodem die domum perueniſſent, tamen vt gratificarentur Alphonſo, qui anxiè hoc poſtulabat, & permagni eius intereſſe putabant, manere cum eo illo die voluerunt. Poſt prandium autem, vbi hoc inter eos fuit conſtitutum, vtrinque diſceſſum eſt. Auriga curauit quædam ſua: Alphonſus cum ſuo carnifice ad alia multò horribiliora negotia ſe contulerunt. Conſultabant inter ſe rationem & modum, quo in fratre interficiendo vti deberent: & quia longo & vſitato gladio non bene id fieri poſſe videbant, ſecurim ad hoc facinus perpetrandum accommodatam, in illo oppido emere conſtituerunt. Sed rurſus hîc noua adhibetur cautio. etenim ab artifice qui eas vendebat, emere ſecurim noluerunt, ne hac occaſione in aliquam ipſi venirent ſuſpicionem. ſed cùm fortè fabrum quendam lignarium, ſecuri ligna dolantem vidiſſent, eum accedunt, & rogant vtrum ſecurim aliam haberet vænalem. faber illis propoſuit aliquot, ex quibus vnam elegerunt, quam ad facinus quod inſtituerant aptiſſimam eſſe iudicarunt. Deinde numerata pecunia fabro, qui poſtea rem omnem prodidit, ipſi domum reuertuntur, in qua præter hoſpitem domeſticum & nuntium Auguſtanum, qui cum eis venerat, neminem inuenerunt. Ibi ſignificarunt hoſpiti, è veſtigio ſibi eſſe aliquò proficiſcendum, vnde citò erant reuerſuri: & quia nolebant ſuos equos in eo itinere defatigare, iuſſerunt vt noui, ſed celeres & boni, ipſis pararentur. Vbi fuerunt parati equi, conſcendit Alphonſus, conſcendit carnifex: tertius etiam comitatur nuntius Auguſtanus, ignarus rerum omnium: ſed quia liberaliter illi ſoluebant, ſequebatur quanuis ægrè, parricidas. Securis ad parricidiũ perpetrãdũ empta.

Interea temporis Alphonſus cum ſuis, poſteaquàm equos conſcenderunt, intra pauculas horas peruenerunt ad pagum, qui vulgo dicitur Veldkirchen, prope ipſum oppidum Neoburgum ſitum, ibique illa nocte pernoctarunt. Sequenti die, hoc eſt XXVII. Martij, antequàm portæ aperirentur peruenerunt Neoburgum. & cùm nondum planè diluxiſſet, ac portæ oppidi iam paterent, deſcenderũt de equis, eóſque ad ſepem alligatos, in cuſtodia nuntij reliquerunt. Ibi carnifex Alphonſi famulus, accepit veſte & pileum nuntij, vt minus in oppido agnoſceretur: eóque modo deformatus, ingreditur cum ſuo domino in oppidum. Carnifex præcedebat, parricida ſequebatur. nã ſic inter eos Pagus Veldkirchen prope Neoburgum.

conuenerat, vt carnificis manu, qui alioqui dexterior erat, facinus perpetraretur: ipſe verò parricida præſto adeſſet ſuo carnifici, vt ſi neceſſitas aliqua poſtularet, aut parum fœliciter negotiũ ſuccederet, opem ferret facinoroſo nebuloni. ſemper itaque ſequebatur Alphonſus parricida veſtigia famuli carnificis. Iſto igitur modo deformati ingrediuntur oppidum, & in ædes concionatoris, in quibus Ioan. erat hoſpitio exceptus, perueniũt. Ibi primùm pulſat carnifex, & interrogat fratrẽ concionatoris, qui ianuam aperuit, vbinam eſſet Ioan. Diazius, ad quẽ literas ab Alphõſo ſe adferre prædicabat. reſpõdit iuuenis domeſticus, qui antea quoque probè nouerat hunc famulum & Alphõſum, Ioannẽ quidem eſſe adhuc in lecto. ſed quid ſibi vellet illa noua forma veſtitus, aut quid ſignificaret illa veſtis mutatio? Carnifex autem ne ibi proderetur, coegit aſcendere iuuenem, & Ioanni nuntiare, ſe ibi adeſſe cum literis fratris. Vbi hoc intellexit Ioannes Diazius, exilijt cum magno impetu de lecto auidus agnoſcendi quid frater ſignificaret. Ac præ nimia feſtinatione nullas accepit veſtes, præter leuem quãdam penulam, qua ſola tectus egreditur cubiculum atque hypocauſtum, quod è regione cubiculi poſitum eſt, ingreditur, in quo venientem famulũ exciperet. Aſcendit carnifex, à iuuene, quem antea nominaui, deductus: ad ianuam inferiorem, quæ gradus claudebat, manſit Alphõſus, vt ingreſſum obſeruaret, ne quis aſcenderet qui facinus impediret. Cùm igitur in hoc ſtatu eſſent negotia, ſatis vt apparebat perturbata propter præſentiam iuuenis qui celeritatem facinoris impediebat, miſſus eſt iuuenis ad fontẽ, vt inde adferret poculũ aquæ. Digreſſo igitur ad hunc modum iuuene, carnifex, qui ſolus cum ſolo manſerat, exhibuit literas fratris, quas ex Auguſta miſſas dicebat: cùm alioqui parricida improbus illis eſſet proximus in gradibus. Ioannes accepit literas, & quoniã vixdum diluxerat, acceſſit ad feneſtrã, vt eo lumine paulatim inclareſcentis diei facilius legeret, quod in literis continebatur. Sententia autem epiſtolæ, vt poſtea amicis compertum eſt, qui eam legerunt, talis erat, Dicebat ſibi eſſe nuntiatum, cumprimùm Auguſtam perueniſſet, ipſum eſſe in magno periculo: ac proinde fraterna pietate motum eum admonere voluiſſe, vt diligenter ſibi caueret ab inſidijs Maluendæ confeſſoris, & ſimilium, qui omnes tanquam inimici Chriſti propter

Parricida & carnifex ingrediuntur hoſpitium Diazii.

Sententia epiſtolæ quam ſcripſerat Alphonſus.

ter veræ religionis profeßionem, eius ſanguinem modis omnibus pro- undere conarẽtur. Alia etiam *quædam in hanc ſententiã fraudulenta verba fictitiæ literæ continebant.* T*andem cùm intentus eſſet lectioni iterarũ* Ioannes Diazius, *carnifex qui à tergo ſtabat, exeruit ſecurim, quam hactenus ſub pallio tectam occultauerat, eámque in dextrũ latus capitis circa tempora viri ſancti, totam vſque ad manubrium inſeruit.* E*t quoniã vno quaſi momento fuerunt læſa & planè deſtructa omnia organa ſenſuum in cerebro, nullam edere vocem potuit verè glorioſus ic martyr Chriſti.* Deinde, *ne corpus iam penè exanimatum ſua ſponte concideret, ſuáque ruina ſtrepitum in ædibus excitaret, qua occaſio- ne in ipſo facinore deprehenderentur parricidæ, carnifex, qui facinus perpetrarat, vtraque manu prehendit corpus, ac humi reclinatum, & ſecurim in ipſo capite inſertam, in medio hypocauſto reliquit. Poſtea ad ſuum herum parricidam, paulatim gradus deſcendit, quæ quidem omnia tanta celeritate & ſilentio geſta ſunt, vt nullus in- terim vel interuenire, vel exaudire rem geſtam potuerit. Claudius verò Senarclæus, iuuenis nobili loco apud Sabaudos ortus vnà cum Diazio tum cubabat, atque in lecto remanſerat: ſiniſtra tamen ne- ſcio qua ſuſpicione perculſus ſtatim de lecto exilit, & arreptis ve- ſtibus ingredi voluit hypocauſtum, vt quid ageret Diazius vide- ret. egreſſus igitur cubiculum, audit primùm calcaria parricida- rum, qui erant in ipſis gradibus: & quoniam dubitabat vtrùm a- ſcenderent an verò deſcenderent, clauſit ianuam graduum, & rectà ingreditur hypocauſtum, vt ibi veſtes indueret. Cùm primùm illud ingreſſus eſt, & ſpectaculum quod in ea humi reclinatum iacebat, vidit, totus cohorruit, & præ ſtupore ceciderunt veſtes de manibus, vóxque ipſa faucibus hæſit intercluſa.* T*andem vbi ſe recollegit, acceßit ad amicum, quem humi proſtratum videbat, in cælum conuerſis oculis, cõplicatis manibus oranti ſimilem. pertenuis reſtabat in eo vi- talis ſpiritus qui ad vnam fermè horam durauit.* Interim *ipſe quando aliquam de* Deo *mentionem audiebat, ſe intelligere tenui quodam ocu- lorum indicio præbebat ſignificationem.* C*laudius verò mox cõuocauit domeſticos omnes, qui adfuerunt triſtißimi ſpectaculi atque horren- di facinoris ſpectatores.* Illi *facinus perpetratum inter vicinos diuul-*

Carnifex ſecurim adegit in dextrum capitis Diazii.

Exitus Io. Diazii.

garunt ea celeritate, vt rei geſtæ eſſet per vniuerſam plateā iam peruagata fama, priuſquam parricidæ eſſent egreſſi portā ciuitatis. Paulatim quoque res delata eſt ad magiſtratum oppidi & ad præfectum arcis, qui nomine illuſtriſſimi principis Ottonis Henrici Palatini locum & gubernationem tenet. Iſti quoniam erant viri honeſtiſſimi, & in vera religione præclarè inſtituti, ſciebántque Ioannem Diazium propter excellentem virtutem atque pietatem fuiſſe Chriſtianiſſimo principi Ottoni chariſſimum, ſine mora conſtituerunt aliquot equites qui celeri equorum curſu parricidas inſequerentur. Itaque poſt cædem factam vſque ad tempus quo equites inſequuti ſunt facinoroſos, vix ſemi-horæ ſpatium eſt interpoſitum. Parricidæ qui eos præcedebāt, cùm audiretur hora ſeptima, iam erāt in oppido Bothmes, vbi relictis equis iam prorſus delaſſatis, ſuos qui erant pulchrè habiti & requieti, conſcenderunt, in quibus celeri curſu Auguſtam contenderunt. Iam verò equites Neoburgenſes, qui parricidas inſequebātur, vbi Auguſtam perueniſſent, ibíque certò accepiſſent multò antea vlterius eſſe progreſſos, conſultare inter ſe cœperunt de redeundo, quia ſe aſſequi poſſe præcurrentes diffidebāt. ſed inter eos extitit quidā cæteris ætate minor, cui nomen erat Michaeli Herpffer, qui præ reliquis ingenti zelo permotus, dicit amicis qui ſecum venerant, Amici, vobis quidem ſi ita videtur, integrum erit redire domum. nam quòd attinet ad præſens negotium, tantùm meo iudicio vel vnus ſolus præſtare poterit, quantùm alioqui magna hominum multitudo. ego iſtā curam ad me recipio, ac ſanctè vobis promitto me in hoc negotio extrema omnia tētaturum: nec prius curſum intermiſſurum, ſi ſuppetent vires & vita perſtabit, quàm parricidas ipſos fuerim aſſecutus. Et cum hoc dicto denuò conſcendit equum, & facinoroſos inſequitur. cucurrit toto illo die vſque ad noctem, donec peruenit ad oppidum quoddā quatuor milliaribus ab OEniponte ſitum, quo in loco intellexit parricidas adeſſe. Ibi iuſſit accerſiri hoſpitē, cuius in diuerſorio parricidas eſſe intellexerat. Hoſpes adueniens narrauit eos dormire, ac mandaſſe familiæ, vt antequam hora integra elaberetur, ipſos è ſomno excitaret. Michael admonuit hoſpitem, homines eſſe facinoroſos, qui tantum facinus perpetraſſent, quantum à memoria hominum poſt primum parricidium,

Otto Henricus Palatinus.

Equites Neoburgēſes de redeūdo cōſultant. Michael Herpffer.

Parricidæ reperti.

cidium, nullum extaret: mandauit autem hoſpiti ſilentium, deinde vt ɔs duas integras horas dormire permitteret. Ipſe verò linteis & annis obligauit pedes equorum, ne fortè ſtrepitu ſolearum in plateis xcitarentur è ſomno parricidæ, magnáque celeritate ad OEnipontẽ ontendit, vbi eos aliquot horis anteuertit. Cùm primùm ad ciuitatẽ ɔeruenit, magiſtratum admonuit, flagitium parricidarum narrauit, & ius fidem atque auxilium, ne tantum facinus maneret impunitum, mploráuit. Magiſtratus ſuum auxilium & diligentiam in hoc ſcelere puniendo promiſit. admonetur præterea hoſpes in diuerſorio, vi diuertere cogebantur, vt ſi quando tales viri ad ſe veniſſent, non pri us illos abire permitteret, quàm eos adeſſe magiſtratui ſignificaſſet. Paulò pòſt adueniunt parricidæ, eóſque iam aduenisſe mox indicauit ɔoſpes. ibi tum aliquot armati equites mittuntur, qui ædes obſederũt, ne quà facinoroſi elaberentur, alij pedites miniſtri publici ædes ingrediuntur, vt parricidas comprehenderent: qui cùm viderent ſe hoc modo circunuentos, incœperunt clamare cælum & terram, teſtari omnia ſacra & prophana, ſe nobiles eſſe viros Cæſareæ maieſtatis legatos, qui ad peragenda negotia grauiſſima totíque Reipublicæ ſalutaria ab ipſo Imperatore mitterentur. Sed apud eos qui eorum parricidium iam nouerant, & vaniſſima eſſe quæ dicerent omnia ſciebant, nihil iſtiuſmodi falſi clamores & conficta mendacia valuerunt. Primùm itaq; Alphonſum, qui viribus miniſtrorum non potuit reſiſtere, cõprehenderunt. Carnificem verò, qui viribus & audacia valebat, & miniſtris publicis audaciſſimè obſiſtebat, vix tandem poſt longam pugnam, nec ſine aliquot vulneribus comprehendere potuerunt. Tãdem vbi ad hũc modum parricidæ fuerunt in carcerem detruſi, Michael qui negotium perdiligenter curauerat, celeri curſu equorum ſignificauit rem geſtã Neoburgenſibus. Illi viciſſim illuſtriſſimo principi Ottoni Henrico Palatino, qui audita captiuitate parricidarum, diſertè mandauit, vt in perſequenda illa cauſa in iudicio contra parricidas, nullis ſumptibus, nullis laboribus parceretur. Sunt igitur conſtituti duo viri præſtantes, qui è Neoburgo, nomine principis Ottonis OEnipontem proficiſcerẽtur: quorum alter nobilis Thomas Redwitz, alter iuris vtriuſquo pector, Gulielmus vocabatur. iſti duo per celeres equos profecti.

OEnipons vrbs Ferdinando ſubdita.

Cõprehenduntur parricidæ.

Neoburgẽſes.

Principis Ottonis Palatini mandatum.

Legati mittũtur OEnipontem.

OEnipontem primo die Aprilis peruenerunt, tanquam actores, vt intenderent parricidij crimen aduerſus captiuos, & ſecum attulerunt pileum nocturnum Diazij, *fictitias literas fratris, & ſecurim ſanguine ſanctiſsimi martyris* Diazij *vndique reſperſam, vt ſi fortè parricidæ inficiarentur factum, certiſsimis teſtimonijs euincere poſſent.* Interim autem conceſſum Alphonſo parricidæ fuit, vt ſcriberet literas ad Cardinales Tridentinum & Auguſtanum, qui nihil omiſerunt, vt à merito ſupplicio parricidas liberarent.*

Alphonſus auxiliũ petit à Cardinalibus.

Secundo die Aprilis legati Neoburgenſes *poſtularunt vt ſupplicium de parricidis ſumeretur, ab ijs qui* Regis Ferdinandi *nomine præſunt gubernationi* OEnipõtanæ. *Hi reſponderunt, non eſſe ſuarũ partium capitale ſupplicium de quoquam ſumere: ſed mandaturos iudici* Sunẽburgenſi, *vt is aſſeßores ſuos ſine mora conuocaret, quorum authoritate iudicium erat inſtituendum.* Eodem die *à prandio gubernatores* OEnipontani *curauerunt per duos, quos illi ſecretarios vocant, denuntiari parricidis aduentum & accuſationem legatorum* Neoburgenſium. Audito *nuntio & accuſatione, apud iſtos duos Secretarios vterque parricida factum negauit: ſed miniſter conſtantius,* Alphonſus *verò timidius, & mutatione coloris ac vultus ſignificationem vulneratæ conſcientiæ clarè oſtendebat. Supplex tamen orauit, ne quid præproperè de ſe ſtatuerent.* Eodem *die inter primam & ſecundam horam pomeridianam, tranſlati ſunt parricidæ à publico illo loco ſupremi iudicij, vbi primùm fuerant collocati, ad cuſtodiam ciuitatis* OEnipõtanæ, *quo in iudicio breuior ſentẽtia ſperari poſſe videbatur.*

Acta iudicii.

Sequenti die, qui tertius erat Aprilis, Legati *poſtularunt vt parricidæ tormentis ſubiicerentur.* Id *verò non ſolùm non eſt factum, verũ etiã aduocati nomine* Regiminis *ſunt parricidis deſignati, nobiles viri & iuriſconſulti,* Vlrichus Schmatzer, & Georgius Hipp, *vtriuſq; iuris doctores, &* Michael Schenck, & Chriſtophorus Grumperger. Reclamabant *ad hoc fortiter legati, affirmantes neque humano iure neque* Diuino *conceſſum eſſe, vt in tanto támque manifeſto ſcelere patronus reo concederetur. Sed hæc deuoranda fuit legatis iniuria, qui cauſam iuſtitiæ ac veritatis volebant defendere, ne tantum facinus maneret impunitum, adeò iudicum animos fregerant improborum hominũ ſolicitatio-*

Parricidis patroni & aduocati dantur.

licitationes.Conſtituto igitur die, rei producti ſunt in curiam oppi-
li, vbi legati Neoburgenſes eos accuſarunt: pileum cum literis & ſe-
uri exhibuerunt..Aduocati verò detrectantes reſpondere ad legato-
um Neoburgenſium accuſationem, forum declinarunt exceptione cle
icatus, petiuerúntque illos tradi iudicãdos eius loci ordinario epiſco-
o Brixienſi, qui eſt idem Tridentinus, homo ea vitæ diſſolutione, vt
neritò ſit creatus Cardinalis. Legati ſedulò inſtabant, petentes iudici-
um ſecundum morem eius prouinciæ ſicut par erat, quia nolebant eam
diſputationem ingredi de competenti foro & priuilegijs clericorum,
quibus aduocati extrahere illos nitebantur.

Epiſcopus Brixienſis Cardinalis Tridentinus.

Iudices per interlocutoriam pronuntiarunt, aduocatos cum parrici-
lis debere de reſponſione ad accuſationem legatorum inter ſe cõſtitu-
ere, eámque tertio inde die, hoc eſt, x Aprilis, ad horam ſeptimam an-
te meridiem in iudicio exhibere. Et ſiue reſpõderent, ſiue minus, iudi-
ces nihilominus facere debere quod iuris eſſet de more regionis. Eo die
cùm rurſus in iudicium ventum eſt, aduocati cœperũt vrgere excepti-
onem de clericatu, & tradendis reis ordinario iudici. Legati cõtrà vr-
gebant ſuperius dictam ſententiam interlocutoriam. Iudices itaq; ſe-
cundò pronuntiarunt, reos & aduocatos citra vllam exceptionẽ aut
vlteriorem dilationem reſpondere debere ad accuſationem legatorum:
ſed alterum illis terminum deſignarunt, diem Aprilis XII, & quanuis
eo tempore non reſponderent, debere tamen fieri quod ius & cõſuetu-
do prouinciæ poſtularent. Iam verò XII die, qui vltimus terminus ad
reſpondendum in iudicio fuerat conſtitutus, non ſolùm nihil actum eſt
ab aduocatis reorum, ſed ne Legatos quidem Neoburgẽſes ad agendũ
iudices admiſerunt, contra id quod ipſi de iure ac more regionis antè
iudicauerant. Hæc videntes Legati proteſtati ſunt niſi in iudicio ma-
turè & ordine, ſicut par erat, procederent, ſe velle grauiter de hac in-
iuria conqueri ſuis principibus, non ſolùm propter ſumptus, qui per-
magni fiebant (nam impenſis ipſorum iudices conuocabantur, & dum
iudicij cauſa aderant, ſuſtentabantur) ſed etiam quòd nulla fieret apud
iſtos parricidas matura inquiſitio eorum cõſiliorũ, quæ aduerſus Eu-
angelij profeſſores Romæ aut in alijs locis capta eſſent. Audita ꝓteſta
tione horũ, Regẽtes illis reſpõderũt, iudicẽ habere mãdatũ, vt poſtri-

Exceptio declinatoria.

Proteſtatio Legatorũ Neoburgẽſium.

die,hoc eſt, decimo tertio Aprilis*, in iudicio progrederetur.* Is *autem iudex paulò pòſt condixit legatis horam ſequentis diei duodecimam: ad quam in locum iudicij legati comparuerunt. adeo nullam occaſionem prætermittebant, quamuis ludibrio ſe haberi à iudicibus viderent: qui puerorum more in iſta cauſa pro ſuo arbitrio ludebant.* Hora *igitur conſtituta aderant legati: ſed aduocati parricidarum neque aderant, neque inueniri poterant. quos cùm iudex ſatis diu expectaſſet, iuſſit tandem eos voce præconis è curia vocari. cúmque nec ſic vocati adeſſent, iudex in cauſa procedere volebat.* Ibi *demùm aduenerũt aduocati, & primùm conqueſti ſunt grauiter de vocatione per præconem facta. deinde petiuerunt ſpatium reſpondendi vſque ad horã tertiam: quod iudex illis permiſit.* Interim *aduocati apud conſilium regiminis egerunt, vt iudex hora demùm ſexta reſponſum daret: atque, vt aiebat, ex mandato* Regentum*, legatos debere ſuam accuſationem contra parricidas in iudicio antè propoſitam, curare vertendam in linguam* Latinam *&* Hiſpanicam*: eóque facto, tum demùm imponendum eſſe reis vt reſponderent. quod apertè contrarium erat primæ & ſecundæ interlocutoriæ ſententiæ: maximè autem ſecundæ, quæ diſertè omnem vlteriorem dilationem & exceptionem præciderat.* Cùm *itaque legati viderent tam indignis modis protrahi iudicium, aliam rurſus poſtulationem exhibuerunt in conſilio* Regiminis*, circa horam octauam ſequentis diei, qui* Aprilis *erat* XIIII. *in qua de iſta ludificatione iudicij, & iniuria quæ ſuis* Principibus *& toti cauſæ fieret, grauiſsimè querebantur.*

Idonei ſanè aduocati qui parricidarum cauſam agant.

Lecta *illa petitione legatorum, conſilium* Regiminis*, hora inter nonam & decimam eius diei, legatos in conſilium admiſerunt: atque illis præſentibus legerunt ſcriptum* Imperatoris*, quod per veredarios eodem die ſe accepiſſe affirmabant.* Illud *autem datũ erat in vrbe imperiali* Dinckelſpihel*,* IIII. April. *in quo mãdabat* Imperator*, vt totum huius parricidij iudicium ſuſpenderetur: de quo ipſe cum fratre* Romanorum *rege in præſentibus comitijs volebat iudicare.* Auditis *igitur iſtis literis, alter legatorum* Neoburgum *redijt, quia nullam ſpem conſequendæ iuſtitiæ reliquam habebant.* Palàm *enim quidam pontificiæ impietatis ſectatores, præcipuè autẽ* Hiſpani*, in vrbe* OEnipõte *dice-*

Scriptum Imperatoris profertur.

ınt, parricidas feciſſe quod iuſtum eſſet. nam qui hæreticum interfi-
:at, eum iam eſſe à Pontifice abſolutum. Scripſerunt interea illuſtriſſi-
ıi principes, Elector Palatinus & Otto Henricus, ad regentes OE-
ipontenſes, vt parricidæ ſub cautione conſtituerētur in oppido Neo-
urgenſi, quo in loco perpetratum erat parricidium, aut certè permit-
erent, vt ipſi illos iudicarent prout iure gentium deceret. At illi ſine
:lia reſponſione, ſcriptum Imperatoris obiecerunt. Communes deinde
ſtatus Proteſtantium Ratisbonæ ter apud Imperatorem inſtiterunt, Status proteſtantium Imperatorē ſolicitant.
ɔt permitteret ad finem iſtius iudicij, ſicut cœptum erat, perueniri. Sed
ıullum ab eo reſponſum acceperunt. Quæ omnia Papæ cum ſuis Car-
!inalibus accepta ferenda ſunt, qui ad defenſionem ſuorum carnifi-
um, totam iſtam cauſam inſtituerunt. quibus etiam debemus reſpon-
ſum datum gubernatoribus Neoburgenſibus Ingolſtadij, ad libellum
ſupplicem quem ipſi obtulerunt Imperatori, cùm hoſpes eorum eſſet
Neoburgi: in quo reuerenter ab eo poſtularunt, vt mandaret iudici-
ɔus in OEniponte, ante quorum tribunal iſta cauſa pendebat, vt iudi-
:ium maturarent. Quibus nihil aliud reſponſum fuit, quàm Impera-
torem non habere poteſtatem mandandi in ea regione quæ ad fratrem
regem Romanorum pertineret: apud quem, ſi quid eſſet impetrandum,
inſtare oporteret, cùm alioqui paucis antè diebus mandatum eſſet da-
tum in vrbe Dinckelſpihel, nomine Imperatoris, de ſuſpendendo iu-
dicio.

In hoc igitur ſtatu erant negotia parricidarum: cum quibus etiamſi
eos Papa abſoluat, nō poterit non agi peſſimè. Interea habēt fideles ex-
emplum in iſtis duobus fratribus coram oculis propoſitum, multis no- Exemplū memorabile in Diazio.
minibus admirandum, plenum fraudis, crudelitatis, malitiæ, impieta-
tis: rurſus plenum innocentiæ, manſuetudinis, gloriæ, grauitatis, con-
ſtantiæ, veræ religionis. Denique totum exemplum tale eſt, cui vix ſi-
mile vllum in hiſtorijs memoriæ proditum reperiri queat, præter ex-
emplum primi fratris parricidæ Cain, qui propter eandem veræ reli-
gionis profeſſionem, innocentiſſimum fratrem Abelem interfecit, ad
quam imaginem hæc ipſa plenè facta atque exculpta videtur.

Marci XIII.

Tradet frater fratrem in mortem.

STEPHANVS POLLIOTVS.

ST Ephanus Polliotus *in oppido Saint-dauberuille natꝰ vicino vrbi Caudebek quæ in eſt* Neuſtria *armorica quam* Normandiam *vocant, relicto natali ſolo in* Meldarum *oppidū ſe cōtulit.* Eo *in loco diu non deſedit quin ab hoſtibus veritatis* Euangelicæ *acerrimè vexaretur, adeò vt diſceſsum adornare & parare, atq; vrbe excedere cogeretur.* Haud *ita multò pòſt rectà inde contendit* Feram, *Tretenēſium oppidum, quod à* Sueſsionibus *decē millium interuallo abeſt. ibi porrò comprehenſus eſt &* Lutetiam *deductus, atque in vincula cō iectus: in quibus diu multúmq; aſſeruatus in magno ſqualore & pædore verſabatur.* Tandem *quando in mentem Senatoribus venit, illius ampliſsimæ* Curiæ *decretū factum eſt quo lingua ei amputaretur, viuúsq; cremaretur inaudito & planè nouo modo. ſarcina enim librorū illius humeris impoſita eſt, cum qua exuſtus fuit.* Cùm *verò è carceribus* Curiæ *ſupremæ ad ſupplicium duceretur, antequam lingua præciſa eſſet, his ferè verbis locutus eſt,* Hei *Deus bone, mundúſne adhuc in tenebris & denſiſsima veritatis ignoratione iacet?* Exiſtimabat *enim vir pius, dum tetro carcere incluſus ſolem hunc nō intuitus eſſet,* Chriſtum, *verum iuſtitiæ ſolem homines verbi ſui cognitione illuminaſſe.* Hic Stephanus *clariſsimus* Ieſu Chriſti *martyr, ſuppliciū mortis atrociſsimæ patienter, placidè & ſedatè pertulit* Lutetiæ *in platea* Maubertina, *anno circiter* M.D.XLVI.

SAINTINVS NIVETVS.

Hic extremum vitæ ſpiritum acerbiſsima morte profudit Pariſiis, aliquanto poſt Polliotum martyrem.

SI quis hiſce noſtris temporibus vnquam extitit qui cultus diuini profanationem feruido animo deteſtatus eſt, & cui hæc vita iniucunda fuit propter horrendam Eccleſiæ *ruinā quæ ſub crudeliſſimo* Antichriſti *dominatu conſpicitur: ſi quis præterea præſenti paratáque voluntate ſe vnquam morti obtulit pro tuenda & defendenda* Dei *gloria: is certè* Saintinus Niuetus Meldenſis *fuit.* Cùm *enim* XIIII. *illi inſignes* Martyres *quorum hiſtoria ſuprà deſcripta eſt libro tertio,* Meldis *combuſti fuere, quæſitus ſe recepit aliquātiſper cū vxore in*

re in

in eas regiones in quibus publicè & ſumma libertate Euangelium *nũtiatur. Animaduertẽs autem ſe* Mombeliardi *inutilẽ eſſe & eccle* *: tantùm oneri: erat enim membris penè omnibus captus ac debilis, nſtituit ad certamen reuerti: à quo inſtituto nullis neque* Miniſtro*im eius loci, neque vxoris ſuæ admonitionibus abſtrahi potuit: imò* *rò vxori reſpondebat, ſe commodius & tutius illic agere, quam ob* *uſam ignaui & inertes redderentur: breuiter rurſum ſe periculis* *xpoſitum cupiebat. Itaque* Meldarum *in oppidum rediſt, atque in nũ* *inis quæ ibi ad diem feſtum* S. Martini *celebrantur, nonnullas exigu*-*s merces publico foro vænales expoſuit. Ilico agnitus fuit & in car*-*rem compactus: ipſius denique cauſa ſine mora & confeſtim inſtru* *ta & confecta fuit. nihil enim opus erat inquiſitionibus aut teſtium* *roductionibus.* Nam *longè plura ipſe ſponte confitebatur, quàm iudi*-*es vel poſtularent vel audire cuperent. Iam verò cùm aliquod doctri*-*æ Chriſtianæ caput proponeret, & iudices ei dicerent his verbis, Víſ* *e hoc tueri ac defendere? fidenter reſpondebat,* Et vos Iudices, *aude*-*itis pernegare quod tam apertè verum eſt & teſtatum? Quæ quidẽ* *eſponſio inprimis digna eſt memoria & accurata obſeruatione. Enim*-*erò tantum abeſt vt ſibi gratiam fieri poſtularet, vt etiam* Meldis & *Pariſiis iudices precibus obſecraret, vt tãdem aliquam ſuarum anima*-*um rationem haberent, & ſalutis ſuæ curam ſuſciperent, ſecúmque* *erpenderent quantum ſanguinis innoxij iam crudeliter effudiſſent,* *quotidie bellum ſuſcipiendo aduerſus* Ieſum Chriſtũ *ac eius* Euange*lium.* Equidem *dubium non eſt quin eiuſmodi grauiſſimis exhortationi*-*bus delicatæ* Senatorum *aures magnoperè offenderẽtur, præſertim ve*-*rò* M. Petri Liſeti *qui tunc temporis* Senatui Pariſienſi *præſidebat, qui* *tum* Meldis Regis *vice ius dicebat, conſpicatus illius hominis conſtãti*-*am ſupplicibus verbis orauit præſidem vt eum* Meldas *non remitteret* *ad ſupplicium, ne vt dicebat, vir tam peruicax & obſtinatus, longè* *deterior* XIIII. *illis prædictis clariſſimis* Martyribus, *omnium ciuium* *fidem pergeret labefactare & corrumpere, hoc eſt, populum ædifica*-*re & veritate ad ſyncerum* Dei *cultũ informare.* Quocirca *curauerũt* *iudices vt præclarus ille* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti *martyr* Lutetiæ Pa*riſiorũ vitã pro doctrina* Euangelica *redderet, anno ferè* M.D.XLVI.

NB.

qua in morte nullum crudelitatis (quam acerrimi veritatis hoſtes quotidie aduerſus ſeruos Dei excogitant & exercent) genus prætermiſſum eſt:

Hiſt: notatu ANNA ASKEVV *Angliæ decus.* dignissima

ENtexuit *Dominus huic tam fragranti* Martyrum *coronæ virgines & matronas inſigni pietate præditas , vt magnanimitatis atque inuictæ conſtantiæ exempla etiam in muliebris ſexus imbecillitate ederet.*His *etenim temporibus ab illa toto orbe diuiſa* Britannia *regnante adhuc* Henrico *eius nominis* VIII.*ad hunc teſtium ſuæ veritatis chorum euocauit* Annam Askeuam *puellam ætate integra: quæ cum generis nobilitate ac morum ſuauitate ſummā vitæ integritatem coniunxerat.*Patrem *habebat nobilem ac præſtantem virum* D. Guilelmum *Askeuum ex equeſtri apud Anglos ordine in ditione* Lincolnienſi *, genere cum primis illuſtrem. Sanè ſi quis ea quæ* Euſebius *de* Blandina *memoriæ tradidit cum huius* Annæ *actionibus conferat, longè inter ſe differre intelliget .* Nam *hæc quidem omnem ſui ſexus infirmitatem ſuperans , mirabilem confeſſionem edidit ad defendendam* Dei *veritatem , ipſiúſque gloriam : ac refellendam Miſſatici ſacrificij blaſphemiam atque idolomaniam.* Inuicto *quoque animo carceris horrores tulit : aduerſariorum contumelias & iniurias fortiter perpeſſa eſt.* Ac *reuera* Dominus *in iuuenis iſtius fœminæ infirmitate virtutis ſuæ documentum exhibuit. Dum tormentis examinaretur, ſanguis ruptis per vim venis paſſim effluxit, carnifices qui eā his cruciatibus affecerant, ijdem erant & iudices: quod nuſquam gentium etiam barbariſſimarum fieri licitum eſt. ipſa tamen barbariem iſtorum & truculentiam pluſquam belluinam patientia vicit.* Quum *ipſi iudices tam immanem quæſtionem exercuiſſent, mulierem ad carcerem deduci curarunt; ipſa tamen in his miſerijs non deſtitit ſe in* Domino *oblectare, firmámque ſpem concipere de eius bonitate, qui illam ad extremum fortem conſtantémq; in aſſerenda veritatis cauſa redderet ac conſeruaret.* Interea *dum in vinculis detineretur , literis mandauit quæ in prima iudicum percontatione aduerſus ipſam dicta aut geſta fuere . ſcripſit etiam certamen quod contra hoſtes veritatis poſtremum ſuſtinuit: idque præſtitit rogatu multorum vtriuſque ſexus fidelium*

Blandina Euſebii ad Annam Aſkew collata.

lelium qui illam, quandiu in cuſtodia manebat, inuiſebant, atque vt id faceret ad Dei *gloriam & Eccleſiæ vtilitatem, impellebant. ſed ipſam, in iis quæ ſcripta reliquit, loquentem potius audiamus: quæ* Ioannes *Foxus Anglus è vernaculo latinè, optimè expreſſit vt ſequitur.*

Prima diſquiſitio ſeu examinatio D. Annæ Aſkeuæ.

Viri fratres, ac coniunctiſſimi in Chriſto commilitones, vt vo-tis veſtris ac flagitationibus reſpondeam, Anno M. D. XLV. *menſe Martio, primū in prætorio ephippiario, vbi adeſſe iubeor, venit ad me vnus è duodecim cognitoribus, qui quæſtionibus exercendis præerāt, Chriſtophorus* Darius, *rogans num crederem ſacramentum, quod altari impendebat, re ac natura corpus eſſe* Domini *noſtri. huic viciſſim reſpondi, rogans ſimiliter ipſe mihi oſtenderet, quamobrem beatus Stephanus lapidibus olim cæderetur. quod quum ille ſe neſcire diceret: Ita nec ego, inquam, futili quæſtiunculæ tuæ ſum reſponſura. Secundò, fœminæ cuiuſdam ſermone dicebat teſtatum ac confirmatum eſſe, quæ diceret, ita lectum eſſe à me alicubi, quemadmodum* Deus *in manufactis templis non habitaret: produxi illi cap. Act.* VII, & XVII, *oſtendens quid Stephanus &* Paulus *ea de re reliquiſſent. Sciſcitatur ille, quo pacto hunc ego locum accepiſſem? Non ſunt, inquam, margaritæ porcis proiiciendæ, quibus multo magis glandes quercinæ conuenirent. Petit deinde, quur dicerem malle me verſus quinque in bibliis* Dei *ſacris legere, quàm totidem miſſas audire in templo?* Ita *quidem à me dictum eſſe non negaui: haud tamen propterea quòd de epiſtola ac euangelio minus ſentirem bene: ſed ob hoc, quòd in illis plurimum ſentiam ædificationis, hîc verò omnino nihil. Cuius rei Diuus* Paulus 1. *Cor.* 14 *idoneus accedit teſtis, qui ait, Si incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum?*

Christophorus Darius.

Pergens tum ille: Dixiſti, *inquit, ſi quidem malus ac impurus ſacerdos ſacramentum conficeret, Sathanam id eſſe non* Deum. Reſpondi, *nunquam id à me dictum eſſe: ſed hoc affirmaſſe me, Quiſquis eſſet, aut quacūque vita huius adminiſter Sacramenti, id nihil derogare meæ fidei, nec obſtare mihi, quin ſpiritu nihilominus ſumerem corpus & ſanguinem Chriſti. Quinto loco, quid de Confeſſione ſentirem interrogat:* Idem *prorſus, inquam, quod Diuus* Iacobus, *qui nos mutuò pec-*

cata confiteri, ac precari inuicem monet. Poſt *hæc ventum eſt ad librũ quem regium nominant, de quo quid haberem animi requirebat.* Reſpondi, *Nihil eſſe de eo quod iudicarem, quando nõdum viderim.* Inde *à me quærit, an ſpiritum* Dei *haberem? Cui rurſus, Quòd niſi habeã, inquam,* Dei *non ſum, ſed inter abiectos planè numeranda. Tum ille,* Sacerdotem *adduxiſſe ſe, qui me examinaret dicebat.* Móxque *ſacrificus, qui præſto ad manũ aderat, ſic incipit,* Primùm *quid de ſacramẽto altaris dicam ac ſentiam, id ſcire à me enixè cupere ſe.* At *ego ſilentium excuſans, de hac materia ne quid vellet anxiè mouere, aut acrius vrgere rogito.* Neque *enim animum eſſe in hac materia, quoniam papiſtam eſſe perſenſi, pluribus verbis cum eo diſceptare.* Poſtremò *huc redijt meus percontator, quid de priuatis miſſis, an poſt hanc vitam animulis corporibus ſolutis eas ſolatio fore ſentiam? Qua de re reſpondi,* Idololatria *ac ſacrilegio non carere, ſi quis eis fidat magis quàm ſanguine* Domini *qui pro nobis mortuus eſt.*

Poſt*quam hæc ita acta ſunt, demùm ad ſummum vrbis prætorem (maiorem vocant noſtri) me perducunt. Cui tum eadem hæc omnia, eodémque ordine percontanti, eiſdem & ego verbis per omnia reſpondi, quibus ſum prius apud eos vſa: niſi quod à* D. Prætore *illud mihi obiectum eſt, quod tamen ab ipſis ortum, à me nunquam profectum fuerat.* Id *autem erat eiuſmodi, nempe ſi mus in libum illud cõſecratum caſu incidens corroderet, an* Deum *ederet nec ne?* At*enim huius ego ſententiæ nunquam author fui.* Illi *verò eiuſdemmodi aliquid ſunt à me ſciſcitati: ad quod verbum quidem nullum reſpondi, tãtum ad eam ſubriſi interrogationem.* Aderat *ibi tum epiſcopi* Cancellarius, *qui me ſæuis caſtigabat verbis, quòd quum mulier eſſem, ſacras* Dei *ſcripturas recitarem, affirmans interdictum eſſe à diuo* Paulo, *ne fœminæ de Scripturis ſermocinentur.* Ad *hoc reſpondi,* Paulinæ *mentis nequaquam ita me ignaram eſſe, vt neſciam quid ad* Corinth. *ſcribens præcipiat, cap.* XIIII: *vbi prohibet ille ne mulieres in eccleſia loquantur, velut in cœtu virorum dogmatiſtas agentes.* Ac *ilico percontata ab illo rogabam hoc mihi diceret, quot vnquam vidiſſet fœminas in ſuggeſtum conſcendere cõcionaturas?* Idque *quum ſe nunquam vidiſſe fateretur:* Ergo, *inquam, noli miſeras mulierculas tuo præiudicio onc-*

io onerare, quas lex abſoluit. Cúmque ijs dominus Prætor me cuſtodiæ mandabat, à quo tum depopoſci, an recipere dignaretur qui pro me ſponderent. Id quum impetrari ab eo non poſſet, in carcerem ilico abripior, vbi ad dies XII. nulli amicorum omnium ad me dabatur aditus. Interea temporis venit ad me ſacrificus, qui cum mandatis epiſcopi miſſum ſe ad diſquiſitionem meam dicebat, ac conſilij impartiendi gratia. At ille ad interrogationes quàm ad conſilia multò proclíuior, cauſam incipit primùm percontari, quur in eam veniſſem cuſtodiam. Ego me ignorare dicebã. Tum ille, dolendum id ſibi quidem videri ſi immeritò, prætérque cauſam ea mihi calamitas imponeretur. Cæterùm audiſſe ſe aiebat, negari à me altaris ſacramentum. Quod dixi, inquam, dixi: interrogata deinde num crimina apud ſacerdotem exoneraſſem? nequaquam, inquam. Tum ille, adducturum ſe qui confeſſionem exciperet dicebat. Reſpondi, modò ex ijs tribus adduceret aliquem, ſiue doctorem Cromum, ſiue Gillanum, ſiue alioqui Huntyngtonum, licere id quidem: quoniam horum maximè mihi ſpectata eſſet tum pietas, tum ſapientia. non quòd vel teipſum vel cæteros contemptui habeam ac faſtidio: ſed quòd perinde notus mihi non ſis. Subintulit poſthæc interrogationem eiuſmodi: Si hoſtia, inquit, humi fortè collapſa, à mure aut beſtia alia corripiatur, quid ais, beſtia illa Deúmne edit necne? Cui ego: Quo labore, inquam, ænigma hoc propoſuiſti, eodem & ipſe tibi ſoluas licet. Mihi enim non libet hîc reſpondere quicquam, quando tentatum huc te venire videam. Atenim, inquit, conſentaneum non eſt, & præter ſcholarum mores, vt idẽ ſimul opponentis & reſpondẽtis partes obeat. At ego, inquam, mulier ſum, ſcholarum veſtrarum rudis omnino & ignara. Quintò rogor ab eo, an decreuiſſem in animo, paſchate hoc ſacrã adire ſynaxim? Alioqui, inquam, indigna ſim quæ inter Chriſtianos habear. adeóque lætor non parum hunc ipſum diem ſic imminere. Sícque diſceſſit meus ille cõſiliarius, non ſine verborum tandem ſubblanda quadam coronide. Poſt hæc 23. Martij, venit ad carcerem conſobrinus meus Britannus, quærens num vade aut ſponſione interpoſita poſſem redimi. Atque inde recta via ad prætorem contendit, petens ab eo vt honeſtorum hominum & ſponſorum ſatiſdatione facta, permitteret è cuſtodia me emancipari.

Huntyngtonus.

Tum ille, non illubenter ſe quidem dicebat facturum omnia, quò mihi gratificari poſſet. ſed rem eiuſmodi eſſe in qua parum ipſius valeret poteſtas, niſi ſpiritualis fori ſimul accedente calculo. Suadere itaque, vt Cancellarium epiſcopi Londinenſis ſuper ea re compellare vellet. ſeſe enim, vt ſine iuriſdictione ſpirituali, carceri me mandare non poſſet, ita niſi ex eadem authoritate ſine ſpirituali miniſtro, me nũc eximere nequaquam poſſe. Dimiſſus cum hoc reſponſo meus aduocatus, rectà Cancellarium petit, opem in hac re illius implorans. Cui in hunc modũ Cancellarius: Cauſam permagni eſſe momenti reſpondit, cui longè inferior eius eſſet vnius authoritas. nec audere etiam in re tanta, ac tali ius ſuum interponere: epiſcopi ſiquidem proprium hoc munus eſſe, ac proinde neceſſariò accerſendam eius huc conſenſionem. alioqui nihil eſſe quod ſolus ipſe ſine epiſcopo poſſit, audeátue conficere. polliceri id tamen, epiſcopum eo de negotio conuenturum ſe obnixè & diligenter. Itaque craſtino ad ſe redire iubet, fuſius pleniúſque de illius tunc voluntate auditurum. Breuiter, ad diem ac horam indictam reuerſus cognatus meus, vtrumque pariter conuenit epiſcopum cum cancellario, res denique eò rediјt, vt diceret epiſcopus exituram quidem me ad communicationem, ſic enim appellabat: dicítque ei horam diei ſequentis tertiam pomeridianam. additque inſuper, adhibiturum ſe collocutioni illi viros maximè eos quibus ipſamet potiſſimùm fauerem: vt omnibus videri poſſet quàm nullo rigore, nec pro ſummo ſuo iure mecum ageret. Ad hoc verò reſpondit ille, Neminem ſe ſcire, cui eſſem præ cæteris addictior. Imò ſunt, inquit epiſcopus, quos peculiariter ſibi præ cæteris eximios habeat, doctorem Cromum, Gillamum, Vuhithedum, & Huntyngtonum. hos enim & doctos agnoſcit, & ſynceri iudicij homines. Præterea multis verbis inſtat apud conſobrinum hunc meum, vt mihi perſuaderet, intimos receſſus animi mei atque latebras omnes liberè audactérque apud ipſum exponerem. quod ſi facerem, fidem obſtringit ſuam, nullo pacto id mihi vel fraudi vel intertrimento fore, nec quicquam euenturum mihi in ea diſquiſitione captioſum. Quin ſiquid ſcrupuli aut erroris eſſet in quo impingerem, ipſe cum ſuis doctoribus facilè diſcuteret, ac conſilijs me imbueret rectioribus.

Vuhithedus. Huntyngtonus.

Poſtri-

Poſtridie itaque accerſita per epiſcopum hora prima venio, quum :amen tertia eſſet conſtituta. Vbi verò adueni, magnum ſe dolorem ca- »ere ex mea hac calamitate dicit, quid autem illud ſit, quamobrem ab ıduerſarijs accuſer: ac porrò quæcunque in animo haberem liberè ac ntrepidè illi vt aperiam ſine omni metu monet. neminem eſſe qui ne- rotium mihi vllo de verbo faceſſeret, quod intra eius eſſem parietes lictura: cui rurſus: Quoniam, *inquam, celſitudo tua horam mihi ſtatu- :rit tertiam ad quam adfuturi ſunt mihi aduocati, veniam mihi tantiſ- »er flagito abs te dari, quoad illorum expecto aduentum.* Quin *ergo, nquit, quatuor illos quos antè dixerã, quàm primùm aduocandos cen- ẽo, qui huic interſint auſcultationi.* Id *autem ne faceret rogaui: neque ·nim opus eſſe, eos hoc labore fatigari, quum duo illi viri generoſi ab- ındè teſtes eſſent idonei, quantum ei negotio ſufficeret.* Poſt *hæc :piſcopus in porticum intus ſe recipit, vbi aduocatum ad ſe* D. Spil- *nanum iubet omnibus modis apud me inſtare, ne quid reticerem, quin »alàm haberem quæcunque in animo eſſent.* Ac *interea archidiaconum ıd me ſuum mittit, qui primo mox aduentu accuſationis à me cauſam ſcire petebat.* Id *ego ab accuſatoribus meis poſtulandum eſſe, me pror- ſus ignorare dicebam. tum ille erepto mihi libro, quem habebam in ma- nu,* Hic, *inquit, taléſque libelli huc te calamitatis perduxerunt. qua- propter ab his vehementer vt caueas, moneo.* Qui *etenim huius libri author fuit in circo Smythfildiano vſtulatus eſt.* Rogo *num probè compertum haberet, quod diceret.* Maximè *verò, inquit, ſcire enim ſe librum eſſe* Ioan. Frythi. *Vide, inquam, an non te pudet tam temerè iudicium ac ſententiam de re præcipitare, quam neſcias. ſanè verò hæc tam inconſulta & violenta in iudicando temeritas, ingenium arguit in homine non prudentiſſimum: ſimúlque explicato libro, oſtendebam qualis eſſet.* Atqui *putaram, inquit, fuiſſe alium. nam in eo nihil potu- it reprehendere. Demùm admonitus à me ne poſthac tam præproperus ac inconſultus in iudicando eſſe velit, niſi re prius diligenter perſpecta, de qua cenſura ferenda ſit, reliquit me archidiaconus ac abijt.* Inde *ad me venit* Brytannus *agnatus meus, vnà cum* D. Hawlo *iureconſulto, ac quibuſdam alijs.* Ibi *tum epiſcopus conſobrinum meum anxiè apud me inſtare monet, vt ſenſus animi mei omnes illi audacter exponerem:*

Ioã. Frythi hiſtoriam 1. lib. commemorauimus.

D. Brytannus.

D. Hawlus.

T. iij.

idémque inſuper pluribus verbis me hortatur, vt ea in re conſilijs amicorum acquieſcerem, ſibíque in eo quod iubebat obtemperarem. nihil quippe fore periculi. Quod enim mihi eſſet atque illis ſuprà pollicitus, indubitata fide præſtaturum ſe in eo quod diceret, neminem fore qui moleſtiam mihi vllam exhiberet de his quæcunque apud ſe dictura eſſem. Ideóque confidenter apud ſe proferre, quæ laterent in animo iubet. reſpondeo nihil eſſe in pectore, quod patefacerem. conſcientiam (ſit Deo gratia) vndique eſſe ſine omni ſcrupulo tranquillam ac requietam. híc-que ille adhibita ſimilitudine: Quemadmodum, inquit, chirurgus peritus ac doctus vulneri malagma adhibere non poßit, niſi cuius latebras ipſe atque altitudinem prius ritè accuratéque explorarit: ita neque ego conſilia ægritudini tuæ accommodare potero, niſi conſcientiæ mihi morbum prius aperias. Dixi rurſus conſcientiam meam nulla re mala laborare. ſanæ verò ac integræ cuti emplaſtrum admouere, dementiæ videri. Cogis me ergo, inquit, tuis te verbis premere. dixeras enim, Quiſquis ab impuro ſacerdote ſacramentum perciperet, Sathanam cum nõ Chriſtum percipere. Ita, inquam, non dixi. Cæterùm illud D. prætori ac quæſitoribus dixiſſe me fateor, quod & tibi nunc faſſura ſum. nempe quantumlibet impurus contingat miniſter, nihil id obſtare mihi, quin ſpiritu & fide corpus Chriſti & ſanguis à me percipiatur. Epiſcopus: Quidnam, inquit, hoc habet, quod addis in ſpiritu? quanquam age, nolo te vrgere nimium. Scit, inquam, tua dominatio, Sine ſpiritu & fide nulla eſt ſacramenti huius digna ac ſalutaris perceptio. Poſt hæc veniebat, quòd dicerem ſacramentum quod in loculo incluſum continebatur, panem eſſe. nego me vnquam dixiſſe, verùm à quæſitoribus ſuper ea re interrogata quid ſentirem, poſtulabam vicißim ab illis, quur lapidatus fuiſſet Stephanus. quod quum illi ſe ignorare dicerent, nec me illis dicturam quod quærerent, reſpondi. Obiecit deinde, citatum à me eſſe locum Scripturæ quendam. Nullum, inquam, omnino, præter illum modò, vbi Apoſtolus Athenienſibus olim de Deo in templis manufactis non habitante reſpondit, Act. XVII. Et quo pacto, inquit, tua fide in hac ſacramenti materia ſe habet? Credo, inquam, quod me docet Scriptura Dei ſacra. Ecquid ſi Scriptura corpus eſſe Chriſti doceat? Credo, inquam

), inquam, quicquid iubent ſacræ illæ literæ. Epiſcopus: Quid autem ſi
õ dicat Scriptura eſſe corpus Domini? Sequor, inquã, per omnia Scri-
turæ docentis authoritatem, huícque aliquandiu immorabatur quæ-
tiunculæ, ſubinde refricans, atque inculcans quò id tandem à me
liqua ratione eliceret quod venabatur. At ego ſemper intra eum
re circulum continebam, vt quicquid præciperet Euangelicæ Scriptu-
æ canon, id me tota fide ſequuturam reſponderim. Ibi tum quærеba-
ur, Cur tam parca verborum eſſem, adeóque reſtricta in reſponden-
lo? Siquidem donum mihi intelligẽtiæ datum eſſe dicebam, ſermonis
ion item: Quid quòd Solomõ nobis laudi id vertit, quod tu criminaris,
nulierem temperati ſermonis & parci donum eſſe Dei affirmans, Prou.
xix. Dixiſti porrò ait epiſcopus, Miſſã eſſe idololatriã. Ego id inficior
ì me dictum eſſe. Cæterùm ſciſcitantibus nuper prætorianis, num Miſ
ſas priuatas ſalutares eſſe poſt hãc vitã animabꝰ à corporibus exolutis
exiſtimarẽ: idololatria dicebã nõ carere ſi quis Miſſis magis fidat quàm
ſanguine Domini quo redẽpti ſumꝰ. rurſusq; ille, Quæſo, inquit, qualis
hæc erat reſpõſio? Etſi, inquã, nõ optima fortaſſis, nec doctiſſima, at quæ
ſatis tamẽ illorũ digna interrogatis videri poterat. præterea ſacerdotẽ
quendã ibi tum adſuiſſe dicebam, qui eorũ omniũ quæ coram prætore
acta ſunt, teſtis eſſe potuit. Tum Cãcellarius (is enim fuit) vbi hæc au
dit, Certè verò, inquit, hæc ipſa verba apud me atq; prætorẽ, eã habuiſ
ſe memini. Inter cæteros qui huic interfuerunt quæſtioni, erat D. Stãdi-
cius cum eiuſdem farinæ ſacrificulis nonnullis, qui multa ac ſæpius in-
terrogando, omni circuibant via ſententiam meam de ſacramento cla-
rius expiſcaturi, quos omnes vnico hoc reſponſo ſemper repuli, vt dice-
rem, ſatis de hac re D. epiſcopo me reſpondiſſe: actum, quod aiunt, age-
re nihil opus eſſe. Standicius confeſtim ſuſurrans cum epiſcopo, rogat
vt mihi liceret planius de eo Pauli loco ſentẽtiam edicere. reſpondi, Pla
nè aduerſari Paulinæ diſciplinæ, vt quæ mulier eſſem, munus ac perſo-
nam dogmatiſtæ in Scriptura interpretanda mihi ſumerem, in eo præ-
ſertim cœtu virorum doctrina tam excellentium. Poſt hæc deinceps
ingerente epiſcopo aliam criminationem, nempe quòd appellata nuper
à quodam, num ſacramentum paſchali illa celebritate ſumptura eſſem,
viderer rem habere ludibrio. petebã produci mihi accuſatores: hoc ta-

mẽ ille nec velle nec poſſe dicebat, verùm quum quendam ille cõſilij impartiẽdi gratia ad me mitteret, primo verbo papiſtam illum me aiebat nominaſſe. quod ne negabam quidem. perſenſeram etenim talem eſſe eum quem dixeram, cui tamen ad id quod quærebat ne verbum quidem reſpondi. Pergens porrò epiſcopus, acriter me ſuggillabat, eò quod dicerem aliquando ſexaginta fuiſſe Lincolniæ ſacrificos, qui coniuratis conſilijs capiti meo periculum ſtruerent. Neque id etiam negaui: ſic enim tum mihi per amicos ſignificatum eſt, Lincolniæ eſſe qui deuotis animis in me coniurauerant, palàm etiam minantes neſcio quid, ſi adueniſſem. Id ſimulatque intellexi, propero recta via Lincolniam, ibíque commoror ad nonum vſque diẽ, certius quid eſſet rei exploratura. Interea dum in ſummo eorum templo ſto, lectitans in ſacris Biblijs, aduolant nunc bini, nunc terni, nonnunquam & ſeni, quaſi qui interpellaturi viderentur, at ijdem nulla emiſſa voce, rurſum diſceſſerunt. Roganti tum epiſcopo, an inter eos nullus ibi ſermonem mecum habuiſſet, vnum fuiße aiebam inter cæteros, qui demùm paucula mecum verba agitarat. Et quid is tibi tum aiebat? Planè tam exigui erant momenti quæ diceret, vt memoriam eis non intenderim. Tum epiſcopus: Sunt, inquit, permulti qui Scripturas legunt, vita tamen ac moribus non exprimentes quæ legunt. Equidem verò, inquam, ô reuerende, optarim vt palàm fieret omnibus vitæ meæ ac morum contemplatio: cùm certò ſciam, neminem eſſe qui inhoneſtæ conditionis maculam vllam mihi poßit impingere. Si quem ipſe noueris qui poßit, rogo plurimum, huc eum coràm adductum velis.

Moxque diſcedens epiſcopus, dicebat ſcripto ſe mandare velle partem eorum nonnullam, quæ reſpondiſſem. Quod & fecit. Ego verò ſingula complecti memoriæ haud quibam, vel quia tam multa eßent, vel quia exemplar mihi ad legendum non concedebatur. Quæ autem recordari poteram, in hanc ferè ſummam tendebant.

Epiſcopus palinodiæ formulam Annæ proponit.

Reſcriptum epiſcopi.

SCire, inquit, omnes volo quotquot ſunt mortales, fidei meæ hanc firmam certámque eſſe ꝓfeßionem, quantumlibet mendax fama ſecus de me peruagatur. Primùm, quod ego Anna Askeua indubitatò credam ac teneam, eos qui ſynaxin à miniſtro quocunque aut quantumlibet

mlibet impuro percipiant, nihilo minus corpus & ſanguinem Chri i, re atque ſubſtantia ipſa percipere. Credo inſuper hoc ipſum ſacra- ientum, poſt conſecrationem, ſiue ſumatur, aut aſſeruetur, perdurare ihilominus corpus & ſanguinem Chriſti realiter iuxta ſubſtamtiæ eritatem. Credo denique tum in hoc, tum in cætera omnia eccleſiæ ſa- ramenta, iuxta omnes articulos, vbicúnque in catholica Chriſti ec- leſia receptos. In cuius rei fidem Anna Askeua nominis mei atq; ma- ius adhibui ſubſcriptionem. Plura in hoc reſcripto continebantur, quæ uoniam exemplar peruidere non licuit, ſingula mente cõplecti ac me- ioriæ mãdare non potui. Hæc igitur ordine omnia quũ perlegiſſet, quæ t num ijs quæ recitaſſet, aſſentiri velim. Ego verò in hunc reſpõdeo mo ũ, quantum ſacra Dei ſcriptura permitteret, tãtum ijs me aſſenſuram ſe. itaque hoc ipſum ſimul annecteret cum ſubſcriptione, efflagito. eſpondet: Doceri ſe à me non velle in ijs quæ ipſe agere ſcriberéque ebeat. Ac continuò inde in aulam conuolat exteriorem, vbi in publica ultitudinis frequentia hoc ſcriptum recitat, compluribus ibi me hor- antibus vt manu ſubſcriberem: affirmantibus porrò, præclarè etiam necum actum iri ſi vel ſic res poſſet tranſigi. Subinfert ad hæc epiſco- us: Quòd tantum apud ſe experiar fauoris, non id tam mea cauſa ieri, quàm amicorum. intelligere autem ſe, ex illuſtri ac generoſa me rtam familia, atque amicos habere conſpicuo ſplendore viros, quibus oc deberem ferre acceptum beneficium. Ad hæc verba interfatus ſt Chriſtophorus quidam D. Denei famulus: Atqui, inquit, tuum rat, ô epiſcope, Dei cauſa potius quàm hominum hoc ei contuliſſe be- eficium. Conſedens deinde epiſcopus ſcriptum mihi tradit, mandans t ei ſubſcriberem. Subſcripſi itaque in hanc quidem formulam, go Anna Askeua credo omnia quæ in fide eccleſiæ catholicæ conti- ientur. Quod vbi vidit ille, offenſus non parum iráque inflammatus n cubiculum intus quantum poteſt irrumpit. Nec mora conſequitur è veſtigio dominus Brytannus, deprecans per ſacra omnia celſitudi- nem ipſius, parceret iracundiæ veniámque mihi eius tribueret ig- noſcentia.

Reſpondet ille, Mulierem quidem eſſe me, nec animum ipſius quic- quam feſelliſſe. Tum alter: Verum quidem hoc affirmat, ideóque

me vt fœminam æſtimare, ne muliebrem ſenſum meum excellenti ſapientia ipſius metiri velit.

Poſt hæc ſubingreßus ad eum doctor weſtonus, cauſam exponit cur adderem illud de eccleſia catholica, eam fuiſſe quòd neſcirem eius factam ſuperius fuiſſe mentionem. Demùm vix multa prece ab eo impetratum eſt, vt rediret denuò nomen meum ac fideiußorum excepturus, quorum alter erat D. B*rytannus, alter* D. S*pilmannus, è iuriſtarum collegio* Graio*, quod appellant. Hæc vbi perfecta eſſent, ſperabamus mox futurum vt cum hac tranſactione ſponſionéque accepta ilico dimitteremur, iuxta iuris æquitatem.* At *epiſcopus id concedere minimè volebat, iterum me relegans in carcerem, in ſequentem videlicet diem. Poſtera deinceps luce in ædem prætorianam vocor. vbi nihil etiam perfectum eſt, niſi quòd ſcriptum illud duntaxat epiſcopi vt antè proferebatur: quo perlecto, in cuſtodiam denuò remittor. Iußitque ſponſores poſtridie in æde diui Pauli comparere. quod & factum eſt.* Nec *multum abfuit quin & ibi iterum fideiußores meos re fruſtrata dimiſiſſent, eò quòd nomine alterius fœminæ, cuius neque vitam neque cauſam habebant cognitam, pro ipſorum libidine ſeſe obſtringere recuſarent. Demùm poſt multa vltrò citróque agitata, interpoſita fideiußorum ſatiſdatione ac fide, qua me producere, ſi res ita ferret, tenebantur, è cuſtodia reſtituor in libertatem.*

SECVNDA DISQVISITIO ANNAE ASKEVAE.

Anna Aſkeua Amico cuidam.

INtelligo *(chare in* C*hriſto frater) nondum plenè tibi ſatisfactum eſſe in cauſa cœnæ* Dominicæ*, eò quòd dixerit* A*poſtolis* Dominus*,* Accipite*, comedite,* Hoc *eſt corpus meum, quod pro vobis traditur.* C*hriſtus verò in eo exhibendo pane id voluit, externum ob oculos proponere ſacramentum, ore quidem ſumendum. cuius admonitu in fidem paßionis ſuæ pro populo obeundæ pleniorem perduceremur, ac ſalutis inde in internas animas noſtras propagandæ. Cuius quidem ſalutis ac incomparabilis beneficij relictus eſt nobis panis pro monumento ac ſacramentali communione: in qua participanda gratos nos illi pro neceſſaria redemptionis noſtræ gratia præbe-*

ræberemus. Sic enim Dominus ipſe ſequẽtibus verbis nos admonet, quiens, Hoc facite in commemorationem mei. additque inſuper, Quotieſcunque de pane hoc ederitis, aut biberitis de calice, Lucæ ndecimo: item prioris Corinthior. vndecimo capite. Nam alioqui ieri fortaſſe poſſet, vt obliuio nos tantarum rerum caperet, ac ingraitudo etiam ſequeretur. retulerit non parum, vt communibus votis liuinam imploremus clementiam, vt veram huius myſterij cognitionem, ac mẽtem Spiritus ſancti noſtris inſerat pectoribus. Litera etnim, vt docet beatus Paulus, occidit: Spiritus autem viuificat, poſterioris Corinthiorum tertio cap. Perpende etiam atque etiam caput oannis octauum, vbi ad fidem omnia referuntur. item epiſtolæ ad Corinthios prioris caput quartum, vbi ſub finem capitis reperies, ea quæ videntur, temporaria eſſe: quæ autem non videntur, æterna, &c. Præterea capite ad Hebræos tertio, in hæc verba leges, quòd Chriſtus non tanquam ſeruus, ſed filius erat in domo ſua, quæ domus ſumus nos, non templorum parietes: ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus. Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus, Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, &c. Pſalm. 94.

De concaptiuis meis, quod poſtulas, tuo in eo deſiderio ſatisfacere non habeo, quorum examinationi ipſa non interfuerim. Ad meam verò quod attinet, ſic res habet: Primùm ante conſilium perducta, atque interrogata à D. kymo, reſpondeo iam ſatis animi mei ſententiam D. Cancellario, quod ad eam rem attinebat, explicatam à me eſſe, ac teneri. At illi ſatis id quidem eſſe denegabant, Regis eam eſſe voluntatem, vt etiã ipſis quid ſentirem in ea re exponerem. Contrà verò id me facturam prorſus negaui. quin ſi ita Regi videretur, me coràm audire, cupidè lubentérque id facerem. Rurſúſque illi minimè id æquum eſſe dictitant, Regis otium mea cauſa meíque ſimilium perturbari. Reſpondeo, Solomonem quondam inter ſapientiſſimos reges meritò cenſeri ab omnibus, qui quum duarum inter ſe dilitigantium pauperculárum cauſam audire ac cognoſcere non dubitaret: nihil me Regiæ diffidere pietati, quin peræquè & me humiliter & fideliter ſubiectam illi ancillam ſit auditurus. D. Kymus

Exquirenti deinde meam de ſacramento Euchariſtiæ *opinionem* D. *Cancellario in hæc verba reſpondeo:* Fidem *meam ac ſententiam hanc eſſe, quoties in* Chriſtiano *ſim cœtu, ſacramentum corporis & ſanguinis me ſumere in paßionis* Dominicæ *memoriam, ſimúlque cum gratijs iuxta ſacram eam inſtitutionem peractis, fructum quoque ſalutiferæ eius paßionis participare.* Iubet tum wintonienſis *me ſimpliciter, citráque circuitionem omnem, in alterutram reſpondere partem. Cui ego,* N*ouam me recinere cantionem* Domini *in terra aliena non poſſe dicebam.* Ibi *epiſcopus figuratè me atque in parabolis loquutam dicebat.* Nempe *ſic quidem maximè aiebam ei conuenire. námque ſi ſyncerè ipſi quod res eſſet enunciarem, nequaquam haberet dicenti fidem.* T*um ille me* Pſittacam *appellitare.* Ego *non verba ſolùm illius, ſed & quæcunque porrò in me ſtrueret, æquo atque etiam lubenti animo perpeti velle dicebam.* Ibi *verò multis me conuitiis onerant conſiliarij, quod ad eorum videlicet interrogata renuerem explicatè reſpondere. quanquam necdum aliquid ego vicißim pro mea defenſione propoſuiſſem.* V*erùm ſingula hîc referre quum tam multa fuerint neque attinet, nec paucis id fieri poterit. quippe horis non minus quinque me detinuerunt.* Poſt *demùm multam diſceptationem à protonotario conſilij, inde ad ædes* D. Garnishæ *deduci iubeor.* Poſtridiana *luce, pro conuentu rurſus ſenatorio, vbi ſiſtor, contendunt à me ac vrgent vehementer, vt fidem meam clarè de ſacramento ediſſeram: reſpondeo dictum hac de re quantum à me dici poſſet.* Poſt *deinde ſermones aliquot, ſecedere me ſcorſum iubent.* Nec *multò pòſt accedunt ad me* D. Lyßus, D. Eßexienſis, & Epiſcopus wintonienſis, *ſeriò ſolicitéque mecum agentes, vt ſacramentum confiterer, carne, ſanguine & oßibus corpus eſſe* Chriſti. T*um ego* D. Parro, & D. Lyſſo *dicebam, turpe dictu, id ſe mihi ſuadere, quòd ipſorum conſcientia aliter habere non ignoraret.* Cui *tum illi reſpondentes, cupere ſe hoc modo aiebant, benè vt ſint omnia.* T*um* wintonienſis, *velle ſe aiebat familiarius mecum agere:* Sic, *inquam,* Iudas *quum* Chriſtum *eſſet proditurus.* Petebat *tum epiſcopus vt ſeorſum me conueniret. at ego id recuſabam.* Cur *non, inquit ille:* Quia, *inquam, in ore duorum aut trium ſtabit omne verbum, vt ait* Dominus *cap.* Matthæi *decimo octauo, &* Paulus *ſecundæ ad* Cor.

Wintonienſis.

Cor. XIII. *Inde cœpit rurſum Cancellarius meum de ſacramẽto iudicium rimari. quem ego iterum, quouſque in vtramque partem claudicaret rogabam. Illud, inquit, vbinã habes?* Tertio, *inquam*, Reg. XVIII. *Móxque diſcedente illo, dixit epiſcopus me combuſtum iri. Cui rurſus* Euolui, *inquam, ac reuolui* Scripturas *omnes, nunquam tamen hactenus comperire licuit Chriſtum aut* Apoſtolos *quenquam dediſſe neci. Age, age,* Dominus *vos mináſque veſtras eludet ac eneruabit.* Pſal. II. *Poſtquam verò inde concedere me iuſſerunt, aduenit ad me doctor* Coxus, *& doctor* Robinſonus. *In ſumma inter nos cõuenire ſatis non potuit. Móxque illi ſcriptum quoddã de ſacramẽto concinnabãt, hortantes vt manu ei ſubſcriberem, quod ego tamen renuebam. Poſt id die ſequẽte* Dominico *grauiter periculoséque ægrotabã, nihil minus quã de ſalute ſperans.* Eáque *cauſa expetebam mihi adduci* Latamerum *vt conuenirem: minimè tamen concedebatur. Demùm in ſummo ægritudinis periculo in carcerem* Neopylum *traduci iuſſa ſum, vſque adeò ex infirmitate languens, vt nunquam æquè graues in vita dolores ſenſerim.* Dominus *te in veri cognitione corroboret. Ora, ora, iterum atq; iterum ora.*

Chriſtus ob doctrinam non occidit

Latamerus

Exemplar confeſsionis, quam Anna Aſkeua in carcere Neopylo ſcriptam reliquit.

Lego ac reperio in Scripturis, quemadmodũ Chriſtus panem ſumpſit, dedítque diſcipulis, dicens: Accipite, *manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangetur: innuens videlicet re quidem ipſa atque ſubſtantia verum corpus ſuum, cuius vtique panis ille ſymbolum exiſtit ac ſacramentum. Neque enim diſsimili loquutionis genere dicebat ſe templum deſtructurum, atque in triduo reædificaturum eſſe, intelligens ſine dubio corpus ipſius proprium, quemadmodum ex* Ioã. II. *clarè conſtat. Vnde in ſacramento hoc corporis & ſanguinis ſpectãdus eſt myſticus quidã ſymboliſmus, gratæque commemorationis ſacramentum, quo ſimul & illi coniũgimur, & ipſi inter nóſmet per mutuam Chriſtianámque communionem. Et ſi permulti ſint, qui ſyncerum huius ſacramenti intellectum minus aſſequãtur, ob velamen quod* Moſes *ſuper faciem ponebat, vt non intenderent filij* Iſrael *in claritudinem eius.* Exod. XXXIIII. II. Cor. III. *Quin & idem velamen adhuc manere in cordibus quorundam intelligo. cùm autem conuerſi fuerint ad* Do-

minum, ſublato velamine tum videbunt cæci. Liquidò enim conſtat *ex hiſtoria* Bel, *nulli rei materiatæ ac manu fabrefactæ ineſſe diuinitatem.* Daniel *itaque:* Ne *erres, inquit, ô* Rex. *Dan.* XIIII. *quippe excelſus non in manufactis habitabit.* Actor. VII, *Oh quàm dura ceruice populus iſte, vt ſemper reſiſtant ſpiritui ſancto. ſicut patres ipſorum ſic & ipſi, quia præduro ſunt corde.*

V*eſtra Anna* Askeua, *quæ nec opto mortẽ, nec valdè vim eius extimeſco, tam læta & alacris, quàm queat eſſe qui ad cælos tendit, veritas in carcerẽ coniecta eſt,* Luc. XXI. Lex *verſa eſt in abſynthium,* A*mos* VI: Et *iudicium conuerſum eſt retrorſum,* E*ſa.* XLIX. Parce Domi*ne, omnẽ aufer iniquitatẽ, & propitius eſto, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum, nec dicemus vltrà,* Dij *noſtri opera manuum noſtrarum, quia in te miſericordiam conſequetur pupillus. quòd ſi ſic facerent,* dicit Dominus, *ſanarem contritiones eorum & diligerem eos libentérque benefacerem.* Ephraim, *quid mihi vltrà idola? Quis ſapiens & intelliget iſta, intelligens & ſciet hæc? quia rectæ viæ Domini, & iuſti ambulabunt in eis, præuaricatores verò corruent in eis* O*ſeæ* XIIII. *Salomon autẽ (vt ait beatus* Stephanus) *ædificauit illi domum: ſed excelſus non in manufactis habitat, ſicut per* Prophetam *dicit: Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum quam domum ædificabitis mihi, dicit* Dominus, *aut quis locus requietionis meæ eſt?* Act. VII. *Chriſtus* Dominus *ad Samaritanam, Crede, inquit, mihi mulier, quia venit hora, quãdo neque in monte hoc, neque* Hieroſolymis *adorabitis* Patrem. Vos *adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex* Iudæis *eſt. Sed ventura eſt hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt* Patrem *in ſpiritu & veritate,* Ioan. 4. Operamini, *dicit* Dominus, *cibum non qui perit, ſed qui vitam æternam parit, quem* Filius *hominis dabit vobis. hunc enim conſignauit* Deus, Ioan. 7.

De iudicio neciſque ſententia contra me lata in prætorio.

Dicebant primùm hæreticam me eſſe, ac legibus vltimum me manere ſupplicium, ſi pergam eas tueri opiniones pertinacius. Ego *rurſus hæreticam me eſſe pernegaui, quippe quæ nullius eſſem hæreticæ doctrinæ conſcia: neque verò legibus* Dei *vllum mihi deberi ſupplicium*

De *fid*

fide autem illa & confeſſione mea, quam dominis & ſatrapis ſe-toriis conſcripſeram, quoniam in ea nihil ſit cuius me debeat pœni-re, non eſſe animum permutare quicquam. Tum illi *ſcire à me con-idunt, an corpus* Chriſti *atque ſanguinem in ſacramento negatura ſem.* Prorſus *negare me reſpondeo. ſiquidem filius ille* Dei, *quem Maria virgine natum omnes confitemur, ſublimis nunc in cælo re-iat, inde rurſus rediturus è cælis, quemadmodum in cælos ſubue-us eſt, Actor. 1. Etſi verò ſacramentum hoc ſacroſanctum eſſe, iu-áque veneratione dignum haud abnuerim, tamen quia vos ſacra-entorum non contenti limitibus, in tantam excurritis ſuperſtitionem, quod ſacramentum ſit, pro* Deo *etiam habeatis & veneremini: con-eor propterea panem eſſe quod vos pro numine colitis. Quóq; magis les adhibeatur verbis, eius rei certum habeat indicium qui volet. uippe ſi trimeſtri ſpatio aſſeruetur, ita muceſcit, ſitu ac putore corre-ũ, vt in nihilum tãdẽ trimeſtris ille deus euaneſcat. quæ ſanè res ſat ibi pro argumẽto eſt, panem eſſe, ſacramentum eſſe,* Deum *verò ne-uaquam. Incipientibus demùm de ſacrifico accerſendo mecum age-, ad excipiendam confeſſionem, ſubriſi ilicò. Quid, inquiunt, an non ium eſt crimina ſacrifico confiteri? Mihi, inquam, ſat erit* Deo *confi-ri, de quo nihil addubito quin & audire poſsit confitentem, & igno-ere velit pœnitenti. Túmque lata ſententia de nobis iudiciali, capitis ariter condemnamur, citra duodecimuiralem omnem inquiſitionem, ræter legitimam fori conſuetudinem.*

Sacramentum corp. & ſang.

De fide autem & confeſſione quam Anna *hæc è* Neopylo *carcere onſcriptam miſit ſenatui, iam antè commemoratum eſt.*

Exemplar epiſtolæ quam poſt latam condemnationis ſententiam ad D. Cancellarium miſerat ſacra Chriſti martyr Anna Aſkeua.

In Domino *rerũ omnium cõditore, per quẽ vniuerſæ ſubſiſtũt crea-uræ ſalutẽ, ac ſalutiferæ veritatis ipſius agnitionem,* Amẽ. *Subruſticã hãc mihi, nimíſq; fortaſſe moleſtam compellãdi audaciã, quam partim neceſſariò res ipſa imponit, partim fiducia quædã tuæ benignitatis ad-auget, celſitudo tua ignoſcat precor. atq; ne multis ſublimes occupatio-nes tuas detineã: quod à ſublimitate tua rogatũ velĩ eiuſmodi eſt, vt pie-tas tua pauculas has lineas* Regiæ *maieſtati de ratione fidei meæ à me*

conſcriptas exhibere velit. Quas ſi pro æquitate ſua ac fide, ita vt par eſt, appendat, cúmque acerba ſententia illa contulerit, quam in me tulerunt iudices, morti me adiudicantes, ſatis confido maieſtatem illius facilè intellecturam, cauſam ſupplicij mei non æquiſsima profectò trutina libratam eſſe. Cæterùm vniuerſum hoc quicquid eſt negotij, ſummo ac iuſtiſsimo omnium rerum æſtimatori ac vindici Deo *permitto.* Itaque *vt finiam, opto celſitudinem tuam in* Domino *valere, qui te cum ſanctis ſuis ſoſpitem cuſtodiat, dirigátq; in omnibus,* Amen. *Tua in* Domino *ancilla,* Anna Askeua.

Exemplar ac ratio fidei ad regiam maieſtatem conſcriptæ.

Ego Anna Askeua, *mentis ac memoriæ bene ſanæ: tametſi panem aduerſitatis, & aquã afflictionis mihi dederit* Dominus, *nõ tamẽ quãtum mea promeruerint peccata, percupiam id maieſtati tuæ innoteſcere: Quòd quum legibus ſim capitis condemnata, tanquam malefica & facinoroſa: cælum hîc ac terram appello, immeritò me ac innocentem morituram. Quódque initiò dixi, idem & poſtremò nunc repeto, tota voluntate ab omni me hæreſi abhorrere, ſempérque abhorruiſſe.* De Cœna *autem myſtica quod attinet, credo, teneóque quicquid ea in re præſcribit* Dominus, *ſuóque ſacroſancto confirmauit ſanguine.* Credo *præterea, ac profiteor, non ſolũ in hac re, ſed in alijs omnibus, quicquid vel vox ipſius, vel eccleſia catholica dictauit, nobíſque ad credendum propoſuit.* Neque *enim animus vnquam fuit à verbo oris ipſius vlla in re, quod ſciam, deflectere.* Breuiter *atque in ſumma, quicquid os* Domini *vſquam præſcribit, certum eſt firmo pectoris propoſito amplecti atque retinere, pro virili, vel muliebri potius facultate mea.* Itaque *ne pluribus maieſtatem tuam detineam, his verbis voluntatis meæ ac literarum finem claudo eruditionis amplioris inopia,* Anna Askeua.

Quibus tormentis excepta eſt & excruciata, è carcere Neopylo diſcedens.

Die Martis *è carcere in diuerſorium corona penſili inſigne extrahor, vbi* D. Rychæus, *& epiſcopus* Lond. *ad me veniũt, multis verborum blanditijs me à veri defenſione impellentes. ſed fruſtra.* Venit *poſtea* Nicolaus Shaxtonus, *qui in eadem prius cum fuiſset opinione reſiliuit, ſuadens vt idem ſuo exemplo facerem.* Cui *reſpondi, præſtare non natam eſſe, aliáque id genus ſimilia.* Nec *multò pòſt* D. Rychæus *inde*

D. Rychæus. Epiſc. Londinenſis. Shaxtonus.

de in arcem Londinenſem *me transfert, vbi ad tertiam demùm ho-m commoranti,* D.Rychæus *cum altero è ſenatu regis ad me accur-ns, mandat pro mea erga regem fide & obſeruantia, vt ſi quos ſci-m viros aut fœminas meæ factionis alios, apertos facerem.* Ego *ve-ò prorſus me quenquam ſcire pernegaui.* T*um illi, de domina* Duci-*ı* S*uffolciæ, de* Comitiſſa Suſſexiæ, *de* Comitiſſa Herfordiæ, *de vx-re* D. Denei *ſimul &* D. Fitzuuiliami *ſpectatæ nobilitatis heroinis ercontantur.* Reſpondeo, *ſi quam vellem in eas criminationem deri-are, probare ſanè me vbi id feciſſem, non poſſe.* At *rex, inquiunt, pro mperto nouit, ingentem eſſe tuæ factionis multitudinem, quos ſi li-eat, facilè proferre ac nominare poteris.* Nimirũ, *inquam, rex in hac e, quemadmodum in alijs multis rebus fallitur.* Porrò *ingenti illi ſtu-io à me contendere vt palàm facerem, quorum maximè beneficio in-ra carceres fulta, atque in ſententia confirmata fuerim.* Reſpondi *nul um eſſe omnino mortalium cuius inſtinctu ad eam doctrinæ conſtan-iam animatior ſim facta & cõfirmatior.* Porrò *quod ad victus attine-at rationem, eam nullo alio pacto mihi ſuppetere dicebam, quàm mi-iſterio ancillæ quæ per vrbis plateas nonnunquam incedens bono-um hominum, meo nomine, auxilia imploraret.* Illíquẽ *ac famuli eo-um pij quidam mittunt ad me quæ deferuntur, at nomina eorũ pror-ſus mihi ignota ſunt.* Imò, *inquiunt, ex magnatibus non deſunt, qui pe-cuniam tibi ſubminiſtrant.* At *nomina, inquam, prorſus neſcio.* Atque *inter eos, inquiũt, ſunt etiam primates fœminæ, atque adeò ex prima-ria nobilitate nonnullæ, quæ idem factitant.* Venit, *inquam, ad me fa-mulari veſte quidam dono ferens florenos duos quos ab illuſtriſsima* Comitiſſa Herfordienſi *ad me miſſos dicebat.* Itémque *alter ſimiliter tunicatus, qui francum nummum ſole inſignem mihi deferebat dono, vt dicebat, clariſſ. heroinæ* D. Deneæ. *quod an ita fuerit, certum equi-dem nõ habeo, niſi duntaxat ex prædicatione ancillæ meæ.* Adhæc *in-ſuper addunt illi, fuiſſe ex ſumma & ſenatoria nobilitate, qui in hoc me adanimarent opinionum genere.* At *ego conſtanter pernegabam.* Poſtremò, *quia confiteri nolebã quoſdam è nobilitate heroas & heroi-nas in mea pariter fuiſſe opinione, in neruos me ínq; tormẽta mittunt, vt ſic doloribus à me extorquerent, quod per quæſtiones non poſſent.*

Cácellarius & D. Rychæus tortores.

demùm vbi longo iam tempore me in tortorũ equuleo habẽt, nec interim vocem emittere, nec corpus quicquam mouere, aut doloribus vident cedere, irati atque incenſi magis D. Cancellarius *&* D. Rychæus *, ilico exutis togis ipſi tormenta capeſſunt, tortorum perfuncturi miniſterio, tanta aſperitate, vt ruptis penè artubus, ab ipſa minimo minus morte abfuerim.* Id *vbi præſenſit arcis præfectus, monet vt me è tormentis exoluerent. exoluta concido ſtatim in vitæ deliquium, viribus vndique & membris deſtituta.* Illi *tamen adhibitis fomentis, vires tandem ac vitam fugientem redintegrant, ac recolligunt.* Poſt *id humi ſedens horarum ſpatio duarum, detineor à* Cancellario*: qui blandis verborum illecebris hortari me cœpit, vt repudiata ſententia in illorum decreta concederem.* Sed Dominus *Deus meus (gratiam habeo æternæ ipſius bonitati) ea me muniuit conſtantia, vt de euãgelicæ profeſsionis ſynceritate nihil remitterẽ, idémque porrò dabit perſeuerandi (vt ſpero) vires ad finem.* His *itaque cruciatibus hactenus & tormentis defuncta, ducor poſthæc in ædiculam quandam, atque in lectũ collocor.* Rurſus Cancellarius *per nuncium ad me mittit, vt ſi opinione diſcederem, re nulla egerem. ſin minus facerẽ, futurũ vt in carcerẽ iterum, atque inde ad ſupplicij locum deducta, facibus ac flammis denique torrefierem.* Remitto *iterum per eundem reſpondens nuncium, nullam eſſe tã diram infeſtámque mortem, quam nõ ſæpius ſubire mallem, quàm ſemel datam religioni fidem abnegare.* Dominus *illis aperiat precor cæcos mentis oculos, vt veritatem aliquando agnoſcant atq; amplectantur,* Amen. Bene *vale chare in* Chriſto Domino *frater, ora.*

Exemplar epiſtolæ, qua literis domini Laſſellii concaptiui ſui reſpondet.

Chariſsime in Domino ſalutẽ. Satis demirari nequeo, quæ tandem res eã tibi ſuſpicionẽ moueat, de puſillanimitate ac væcordia mea, qua ſi mortis adeò horrore cõcutiar, quæ malorũ omniũ finis eſt ac terminꝰ. Etiam *atq; etiã in* Domino *te precor, ne quid huiuſmodi in pectus tuũ de me altius deſcendere, aut diutius inſidere patiaris.* Nihil *enim addubito, quin opus ſuũ, quod cœpit in me* Dominus*, idem porrò ſit perfecturus.* Audio *nunc ægrè habere conſilium regis, poſtquam vidẽt eſſe palàm, quòd ob religionem tormentis me in arce dederint.* Cauſantur *nunc, id ſe perterrẽdi cauſa feciſſe: vel quòd ipſos facti tandẽ pudeat.*

vel id verentes potius ne qua res demũ ad aures regis promanet. Itaq; *nunc edictis cauent, quò rem omnibus tegant modis: verùm enimuerò, quod ad me attinet, Dominus ipſis ignoſcat precor.* Bene vale. Ora.

Apologia de falſo illi aſcripta recantatione.

Perlegi mendax & infame ſcriptum, quod vice & titulo meæ recantationis per multorum paßim manus circũfertur. Ita me amet Dominus, *nihil vnquam in animũ hunc admiſi min⁹, quàm vt veri fidẽ recantando diffiterer.* Id *tamẽ fateor, in prima diſquiſitione quæ mihi cũ epiſcopo* Lõdinenſi *fuit, multa mihi obiecta ab illo de ſacramẽto, ac viciſsim à me reſpõſa eſſe.* Qui *tamen præter hoc nihil à me aliud extorquere potuit, quàm quòd videlicet in ea re tantũ me credere ac tenere dicebam, quantũ diuini verbi iußit præſcriptio: præterea nihil à me aliud exprimi quitũ eſt.* Tũ *ille inſtrumentũ cõfecit, quod nunc formulis excuſũ extat in manibus, eíque cõfecto iußit ſubſcribere.* Renuebam. Tũ *duo illi patroni ac ſpõſores mei, nullo nõ perſuadẽdi genere inſtabant acriter vt facerẽ, rẽ leuiculi eſſe momenti dictitantes.* Poſt *multa, ſubſcripſi tandẽ, in hanc videlicet ſententiam:* Ego Anna Askeua, *credo aſſentiorq;, ſiquidẽ diuini verbi &* Eccleſiæ *catholicæ nõ diſſentiat inſtitutio.* Ea *tũ ſubſcriptione offenſus nõ parũ epiſcopus, me in carcerẽ iterũ ac cuſtodiam mandat: vbi aliquãdiu cõmorata, amicorũ opera vix tandẽ reſtituor.* Atq; *hactenus verã certámq; habes huiuſce rei narrationem.* De *ea verò re in qua potißimũ tibi eſſe ſatisfactum poſtulas, relego te ad cap.* Ioã. *ſextum, quod tibi pro certißimo eſſe gnomone peruelim, quod ſanè ad hanc rem attinet.* Bene vale.

Oratio ad Deũ, quã Anna Aſkeua morte cõfeſsionẽ ſuæ fidei obſignatura habuit.

O Domine, *plures habeo inimicos, quàm capitis mei capillos numero.* Da *tamẽ clementißime* Deus, *necubi verborũ lenocinijs victa ſuccũbã.* Verùm *tu pro me pugna, próq; me reſponde ô* Domine. In *te enim vnicè omnẽ curã meã iacto, ac fiduciã colloco.* Viribus *ac telis omnibus impetũ in me faciunt, pauperculã creaturã tuã oppugnaturi.* Adſit *quæſo robur gratiæ tuæ, vt ne quid extimeſcam eos, qui tibi aduerſantur.* In *te enĩ omnis ſpes mea ac fortitudo ſita fixáque eſt.* Præterea *ex animo te obteſtor mitißime atq; idẽ ſãctiſſ.* De⁹, *pro infinita pietate tua, hãc ipſis in me violẽtiã & iniuriã cõdonet miſericordia tua: ſimulq;*

pro eadem bonitate tua, dignetur quæſo tua pietas occæcatas eorum mentes aperire, vt quæ tibi accepta ſunt ſequentes, ſimplici verbo doctrinæ tuæ, ſine aſcititijs humanæ inuentionis nugamentis, ſeſe regendos præbeant in omnibus, Amen: ô Domine, *Amen.*

Hactenus de carceribus & tormentis laudatiſsimæ huius fœminæ dictum eſt. Re*ſtat nunc quæ de exitu, & vltimo eius ſupplicio ſubſequuta ſunt, attingamus.* Po*ſtquam igitur eo nata loco & genere* Anna Askeua, *in quo magna cum dignitate viuere ei licuiſſet, ſi mundum maluiſſet quàm* Chri*ſtum ſequi, ita tormentis confecta eſſet, vt neque viuere in tanta ægritudine diu, neque occultè mori per aduerſarios poſſet: dicto tandem ſupplicij die, in forum equinum producitur, ſella quidem fulta, quoniam pedibus ipſa incedere præ tormentis haud potuit. Sic itaque ad palum peruentum eſt, vbi catena ferrea per medium reducta corpus affixam tenebat.* Pr*æparatis iam rebus quæ ad incendium pertinerent, allatæ tandem regis literæ quæ veniam reuocaturæ vitámque offerrent, proponebantur, quas illa tantum abeſt vt amplecteretur, vt ne aſpicere quidem ſuſtineret.* Adhibebatur & Shaxtonus, *qui publicè reuocatis eo die opinionibus, ſimul & ipſam reflectere ad ſuam leuitatem longa oratione ſatagebat: cui non minus fortiter & illa reclamabat. Sícq; tot exercita moleſtijs, tot perfuncta tormentis, finito longo agonum curſu, ſacra* Dei *victima flammis circundata obdormiuit in* Domino. *anno* M.D.XLVI: *ſingularis cōſtantia vel laudē relinquēs poſteris, quam admirari poſſent: vel exemplum quod debeant imitari.*

IOANNES LACELLVS, IOANNES ADAmus, Nicolaus Belenianus.

ERANT *in eodem rogo cum illa impoſiti, paritérque exuſti* Nicolaus Belenianus *quidam è comitatu* Salopienſi *ſacerdos* Ioannes Adamus *veſtiarius, &* Ioannes Lacellus, *vir & genere & virtute nobilis, tum etiam ex aula & familia* Henrici *regis. Huius extat ſuccincta quædam de corporis & ſanguinis ſacramēto è carcere ſcripta epiſtola apologetica, qua tum errorem illorum, qui non cōtenti ſpirituali* Cœnæ *perceptione, panis nullam relinquunt materiam in ſacramento, confutat: tum etiam ſiniſtram quorundam de ſe interpretationem*

Ioānis Lacelli apologia.

pretationem propulſat. Iſtis non infeliciter id accidit, quòd cum Anna Askeua ſimul commorarentur. Siquidem huius exemplo ac oratione adanimati, viri licet per ſe & fortes & alacres, maioris tamen conſolationis materiam ex fœmina, in tam triſti hoc mortis genere percipiunt: dum non ſolùm eius intrepidam conſtantiam ſuſpiciũt, ſed & verbis ſubinde illius appellati, magis magíſque omnem exuunt formidinẽ. Itaque mutuis ſeſe hortatibus communientes, lictorẽ atque ignes expectãt qui demùm per circũfuſam materiã graſſantes, beata eorũ corpora felici hauſerunt martyrio, inq; cineres redegerunt, anno Domini & ſalutis noſtræ M.D.XLVI. circa menſem Iunium.

Henricus rex Angliæ moritur.

Quorum pòſt auſpicatiſſima martyria, Henricus Rex ſexto pòſt mẽſe morbo implicitus moritur anno M.D.XLVII. menſe Ian. anno autẽ ex quo regnare cœpit, XXXVIII. cuius mors optatã ſanè Brytannicæ eccleſiæ tranquillitatem attulit, quãdoquidem permulta in catalogo excepta hominum nomina, atque ad regem eo tempore delata per Wintonienſem & epiſcopos dicebantur, quorum breui ſequuturum erat ſupplicium, niſi mors interueniſſet Regis. Hæc ex Ioan. Foxo.

Liber quintus Actionum
MARTYRVM.

N. ENZINAS BVRGENSIS Hiſpanus,

Romæ pro ſancta Euangelii veritate exuſtus.

M.D.XLVI.

Hic rurſus ad Hiſpanos orationem noſtram reuocat memoratu dignum martyriũ inſignis viri, cui Enzinas populari lingua, à quercu ſcz cognomen erat. Huius frater Franciſcus cognominis illius appellatione Græcè reddita, Dryãder dictus eſt, & apud Germanos ob pietatem atque eruditionem clarus extitit, de quo id obiter dicẽdum eſt. Quũ inuſitata lingua, hoc eſt, Hiſpanienſi Chriſtus loqui cœpiſſet, id nullo modo ferre potuit auris Hiſpanica. Bruxellis etenim in aula Brabantica quum Euangelij in Hiſpanicam linguam verſionem Carolo V. Cæſari obtuliſſet, in carcerem coniectus fuit, quúmque totos XV. menſes in ſummis angu-

Franciſcus Dryander.

ſtijs detentus fuiſſet, nec aliud quàm præſentem mortem expectaret, tandem inſperato Dei beneficio inde ereptus fuit 1. die menſis Februarij anni M.D.XLV. octaua hora poſt cœnam offendit ianuas carceris apertas quæ eum ad liberationem inuitabant: ipſe verò tantum támque optatum Dei beneficium amplexus, incolumis euaſit, atque in Germaniam rediit, in qua quod reliquum vitæ fuit, in cœtu fidelium cum ſumma virtute peregit: ipſius frater de quo nunc dicere inſtituimus, ſtudio nõ inferior, quũ multis ſuæ nationis hominibus ea quã à Deo acceperat Euangelij luce præluxiſſet ac profuiſſet, (in quorum numero fuit Ioannes Diazius cuius hiſtoriam ſuperiori libro contexuimus) aliò tandem à Domino euocatus fuit. nam vt ſtultis parentum & propinquorũ ſtudijs morem gereret, Romæ viſendæ gratia profectionem inſtituit, qua in vrbe (quæ impietatis ſentina, & malorum omnium lerna meritò habetur) vir pius aliquandiu cum ſumma animi moleſtia vixit: ac quē-
2.Pe.2.b.8 admodum de Lot quum Sodomæ habitaret, Scriptura dicit: quotidie animam iuſtam iniqua illorum facta, & videndo & audiendo, excruciabat. Attamen quæ immenſa Patris æterni eſt bonitas hominum iniquitate infinitis partibus maior, etiam in ea vrbe (quæ abominationũ omnium eſt ſedes atque ἀθεϊσμοῦ nefanda ſchola) voluit Dominus hunc veritatis ſuæ teſtem proponere, qui ante ora patrum, Romæ ſub mœnibus altis pulchram mortem oppeteret, ac ignis ſplendore quo viuus concrematus eſt, purpuratorum & magnæ illius beſtiæ oculos perſtringeret. Captus itaq; & proditus à ſuis Hiſpanis, in arctiſſimum carcerem coniectus incluſuſque eſt, ac deinde in maximo ampliſſimorum hominum conuentu interrogatus, cùm adeſſent Cardinales qui tum Romæ erant, ac tota cohors Pontificia, intrepidè conſtantérque defendit puram Euangelij doctrinam: omnes etiam Romanenſes impietates atque impoſturas condemnauit. Itaque hac eius libertate & conſtantia offenſi non Cardinales ſolùm, verum maximè ipſi Hiſpani ac qui ſanguine coniuncti erant, clamare omnes vno ore cœperunt, comburendum eſſe: plerique Cardinalium vt hominis conſtantiam frangerent, antequàm mortis ſententia ferretur, hanc illi conditionem propoſuerunt, vt Hiſpanienſi more eam reconciliatorum notam acciperet, quæ à San-benito pãno nomen habet. ea in formam manticæ vtrinque pendentis cõſi

citur

itur, antica & poſtica parte crucis rubræ ſignum repræſentans: frequẽs in vſu eſt in iudicijs inquiſitionis Hiſpanicæ, *quum aliquem eccleſiæ reconciliatum populo declarare volunt: id eſt, quum aliquem furciferi habitu multitudini exhibere, atque exauctoratione iudiciali perpetuæ infamiæ tradere volunt. Ipſe verò* Enzinas *nullam conditionem accipere voluit, contentus ea vnica quam adeò nobilem illi* Dominus *tum proponebat: nempe vt ſanguine ſuo teſtatam redderet veræ religionis doctrinam. Eò tandem res deducta eſt impijs aduerſariorum conatibus, vt optimus vir ac* Chriſti *ſeruus fideliſſimus, illuſtri martyrio ac teſtimonio vitam finierit in ea vrbe in qua ſedes non* Apoſtolica, *ſed impia & ſcelerata perditi illius* Antichriſti *aduerſus omnem* Dei *maieſtatem ſe efferentis, erecta eſt: anno* M.D.XLVI. *non multò pòſt* Diazij *mortem.*

IOANNES BRVGERIVS *Aruernus.*

ETIAM *apud Aruernos ſequenti anno* Dominus *veritatis ſuæ teſtimonia extare voluit, quaſi qui genus omne hominum quantumuis indocile ac diſperſum mõtibus altis componere velit, ac radijs ſuæ lucis illuſtrare.* Itaque Ioannem Brugerium *natum in quodam* Aruerniæ *pago, cui nomen eſt* Formal, *donatum* Euangelij *luce in hãc* Martyrum *arenam euocauit.* Bis *comprehenſus fuit iuſſu atque authoritate magiſtratus regij, qui* Monferrati *præcipuam habet ſedem, hoc ſolo nomine quòd* Lutheranus *haberetur.* Primò *quidẽ eruperat è carcere cum quodam eiuſdẽ accuſationis reo, qui prior murum tranſilierat abſque vllo corporis incommodo.* Brugerius *poſterior illum ſecutus, alterum crus fregit, adeò vt cum ſumma difficultate manus inſequentium aduerſariorum euaſerit.* At *verò præter rupti cruris dolores, alios longè grauiores mentis cruciatus ſentiebat, quòd vocationem tam excellentem ad ferendum pro veritate teſtimonium à* Domino *oblatam refugiſſet. ob id ſæpenumerò ingemiſcebat & apud familiares lamentabatur, ſeipſum accuſans, ac iuſtè à* Deo *puniri & preciũ ob ignauiam ferre aiebat: ſed ſi iterum* Deus *pro ſua bonitate ad confeſſionẽ ſancti ſui nominis eum vocaret, magnã concipiebat ſpẽ, væcordiam iſtã prõpta ac voluntaria obedientia cõpenſandi.* Id *quod re ipſa probauit. nam paulò pòſt per eoſdẽ iudices* Mõferrati *ſecũdò captus, prõptiſſimã* M.D.XLVII.

atque ampliſsimam ſuæ fidei confeſsionem edidit, & tanta animi alacritate locutus eſt, vt ipſi iudices ad eius verba ſtuperent: plura enim quàm voluiſſent aut ſperaſſent, audire cogebãtur: ex quo ſatis intelligere licet, dolores illos quos prius diximus, nec vanos nec fictos fuiſſe. Compendiaria igitur cognitione à Iudicibus condemnatus, curiam Pariſiénſem appellauit: ad quam comitante multa ſatellitum caterua non multò pòſt deductus eſt. Quum verò in carcere eius Curiæ aliquandiu fuiſſet, tandem excuſſo capitalium cauſarum volumine, Petrus Liſetus natione Aruernus, primus tum Curiæ præſes, quum intellexiſſet Brugerium eſſe Aruernum ac conſtanter tueri Euangelij doctrinam, mirum dictu quàm indignè tulerit patriam charam ea iam labe infici: coacto conſeſſu tholi ſeu claſsis quæſitoriæ, cuius ipſe ductor erat, cùm à ſententia Brugerium dimouere non poſſent, tandem condemnarunt vt viuus lento igne vſtularetur in vrbe Iſſorenſi, quemadmodum plenius ex decreto aduerſus ipſum lato patebit: quod quidem ad verbum hîc ideo inſerendum duximus, vt omnes intelligere poſsint quanto conatu quantóque molimine nugas veritati Dei opponant ij qui ſe primos rerum omnium putant, qui cæco animi impetu ac gigantum more cum Deo bellare non deſinunt.

Exemplum Areſti excerptum ex archiuis Parlamenti Pariſienſis, tertio die Martii M.D.XLVII.

VISO per Curiam proceſſu facto per Bailliuum Monferrati, aut eius locumtenentem, contra Ioannem Brugiere captiuum in carcere Palatij, propter blaſphemias & errores ſacramentarios, eidem impoſitos per concluſiones Procuratoris generalis Regis: viſis omnibus ac conſideratis ad reparationem blaſphemiarum hæreticarum, & ſermonum ſcandaloſorum, atque errorum contrariorum ſanctæ fidei catholicæ, & doctrinæ eccleſiæ, dictorum, prolatorum, & ſcriptorum per nominatum captiuum contra honorem Dei & ſancti Sacramenti altaris, matríſque noſtræ ſanctæ eccleſiæ, & conſtitutionum eius, vt planè declaratum eſt in proceſſu contra ipſum facto: dicta Curia illum condemnauit, & condemnat vt vehatur plauſtro à carcere vrbis Iſſorenſis vſque ad magnum forum & locum publicum eiuſdem vrbis: vbi ponetur ac erigetur trabs lignea ad quam ipſe attolletur, & circa illam fiet magnus ignis in quo ardebit & vretur totus viuus: & ipſius libri cum quibus inuentus fuit, in ſua præſentia proijcietur in eundem ignem, & in eo ardebunt & comburentur. Declarauit item ac declarat prædicta Curia, omnia & ſingula bona dicti captiui confiſcata eſſe Regi. Præterea decernit, vt certi quidam rei facti per dictũ proceſſum (quorum nomina ponentur in armamentarium cauſarum

eiuſdem

uſdē Curiæ: & dabūtur per excerpta & extracta regiſtrorum eius) capiātur rpore vbicunq; inueniri poterunt in hoc Regno, etiā in loco ſacro (ſaluo quòd 'dintegrabuntur, ſi fieri debeat) & ducentur captiui ad carcerem Mon- rrati, vt ibi ſtent iuri, audiantúrque & interrogentur per dictum Bailliuum ut ſuum locūtenentē ſuper caſibus quibus onerati erūt per dictum proceſſum, ro vt ratio poſtulat. Sed quia dicta Curia debitè fuit informata quòd de die in iem iſta maledicta & damnata ſecta Lutherana & aliæ ſimiles hæreſes iam iagnopere pullulant in Aruernia, & maximè in vrbe Iſſorenſi, & plu- ibus alijs locis & vrbibus, ac præfectura Monferrati, occultè & latenter cum nagno dolore bonorum hominū habitantiū in illa regione, vt obuietur ne dicta ecta peſtifera, gladius infectionis & contagionis, creſcat & augmētetur ma- is, & ne boni catholici fideles ſint aut eſſe poſſint infecti & corrupti per pu- licas aut ſecretas ſuaſiones infelicium hæreticorum: ſed poſsint viuere in pace & trāquillitate, in vera vnitate fidei catholicæ eccleſiæ Vniuerſalis: ordinauit & ordinat areſtum publicandū & proclamandū tam in vrbe Iſſorenſi quàm n alijs vrbibus principalibus dictæ regionis Aruerniæ, in quibus eſt ſedes Re- ia mediatè vel immediatè ad dictam Curiam appellans, ad ſonum tubæ & roclamationē publicam per omnes plateas: quo areſto dicta curia prohibuit & rohibet expreſsè & ſub pœna ignis, omnibus habitantibus in regione, loqui, di- ere, tenere, aut proponere publicè aut occultè, directè aut indirectè aliquas do ctrinas aut ſermones blaſphemos, ſeditioſos contra honorem Dei, glorioſiſsimæ virginis, ſuæ benedictæ matris, ſanctorúmque ac ſanctarum Paradiſi, & con- tra noſtram matrem eccleſiam & ſuam doctrinam: maximè contra ſancta Sacramenta eius, & ſpecialiter contra ſanctum ſacramentum altaris, & for- mam viuendi quæ ſemper fuit retenta & obſeruata per veros fideles & ca- tholicos Chriſtianos. E contiario iniungit omnibus ſub eadem pœna, loqui & viuere ſecundum doctrinam noſtræ matris eccleſiæ, & ſecundum mandata Dei, & dictæ eccleſiæ catholicæ, non dando aut facto aut verbo aliquam oc- caſionē ſcandali aut infectionis veris fidelibus catholicis. Prohibet inſuper re- tinere, legere, aut facere legere aliquos libros Gallicè aut Latinè, continentes doctrinas erroneas & hæreticas, impreſſos in Geneua aut alijs vrbibus ſuſpe- ctis. Ac ne aliqui poſsint eſſe ſeducti, aut prætendere quòd per ignorantiam ipſi peccarint, ordinauit & ordinat dicta Curia, quòd articuli, propoſitiones, cenſuræ facultatis Theologiæ vniuerſitatis Pariſienſis, approbati & confirmati per edictum Regis, lectū & publicatū in dicta curia: quæ quidem cenſuræ ſunt contrariæ infelicibus peſtiferíſque propoſitionibus productis per Lutheranos & alios hæreticos eorum complices & adhærentes, publicabuntur per ſingu- las dies Dominicas in ſuggeſto omnium parochiarum, in dicta regione Aruer- niæ, tam in diœceſi Clarimontis quàm ſancti Flori, à parocho aut vicario ea- rum parochiarum: & exponentur populo in lingua vulgari, in modo vt quiſ- que poſsit intelligere quod continetur in dictis articulis dictæ facultatis Theo-

logiæ,ſic authoriſatis per Regem,ſicut ſuprà dictum eſt. Et prohibet dicta Curia,ſub pœnis quibus antè,omnibus habitantibus in dicta regione, tã ſummiſſé quàm altè loqui, ſuſtinere,aut diſputare ſiue publicè ſiue priuatim, contra ea quæ continentur in dictis articulis, & alijs rebus iam diu obſeruatis, prædicatis ac publicatis in eccleſia catholica. Et iniungit dicta Curia æditius aut luminarijs dictarum Parochiarum ſub pœna decem pondo argenti, cum corporis punitione ad diſcretionem dictæ Curiæ,vt ſolicitent effectualiter, quatenus publicatio dictorum articulorum & propoſitionum dictæ facultatis fiat, exponatur, & declaretur in ſuggeſto dictarum Parochiarum, ſingulis dictis diebus Dominicis. Et ſimiliter exhortatur dictos Parochos & Vicarios ſic facere:& vbi eſſent contradicentes, negligentes, aut contemptores admonitionis dictæ Curiæ,iniungit eadem Curia dictis æditius & ſingulis eorum, ſub pœnis quibus ſuprà, vt faciant informationem de his per proximum Iudicem Regium, & mitti informationes ad dictam Curiam, vt procedatur cõtra delinquentes & culpabiles, prout oportebit. Admonet & exhortatur epiſcopũ Clarimontis & ſancti Flori,eorum Vicarios & Officiales, vt ea fieri curent per dictos Parochos aut Vicarios, & eos cogant ad id. Ordinat etiam & iniungit dicta Curia æditius,& admonet dictos Epiſcopos, eorum Vicarios & Officiales, vt faciant ſcribi catalogum in vnaquaque Parochia omnium parochialium qui ſunt in ætate ad recipiendum ſanctum Sacramentum altaris die Paſchæ, & notent eos qui non venerint dicto die: & dent eas notationes Parochis ac Vicarijs qui tenebuntur mittere regiſtros ſuos ad Procuratorem Regis proximæ ſedis regiæ: cui dicta Curia iniungit vt continuò ſe informet & faciat procedere contra notatos. Et hoc ſub pœna ſuſpenſionis per annum redituum ac officiorum pro prima culpa: priuationis verò eorũdem pro ſecunda. Et ſub ijſdem pœnis iniungit Iudicibus regijs dictæ regionis, vt informent diligenter vniuerſis negotijs poſtpoſitis, contra omnes qui ſunt infecti à ſecta blaſphema, hæretica, Lutherana, & perturbatiua tranquillitatis & quietis ſubiectorum Regis:& faciant ipſis ſuum proceſſum vſque ad iudicium definitiuum, aut torturæ excluſiuè. Et hoc facto mittant dictos captiuos in cuſtodiam dictæ Curiæ, & ipſorum proceſſus, vt procedatur, ſicut oportebit per rationem:& certificent deinceps ſingulis tribus menſibus dictæ Curiæ,quid fecerint in ea materia ſub pœnis quibus ſuprà:& inſuper ne reputentur fautores aut receptores hæreticorum, perturbatores pacis publicæ,& pro talibus puniantur ea pœna qua æquum eſt. Iniunctum etiam erit præconio publico, & ſonitu tubæ omnibus habitantibus & commorantibus in dicta regione, mittere ad actuarium proximi iudicis Regij,intra tres dies poſt publicationem huius ordinationis,omnes libros quos apud ſe habebunt,concernentes fidem & doctrinam catholicam, factos per hæreticos, & impreſſos Geneuæ, aut in aliquibus locis ſuſpectis,ſub pœna quòd reputabuntur hæretici, & punientur tali pœna

qua

a iuſtum eſt. Et ſub iiſdem pœnis iniunctum omnibus iis qui ſcient aliquos bere & retinere dictos libros, & non apportaſſe ad dictũ actuarium intra ctos dies poſt publicationem huius ordinationis, eos reuelare dictæ propinæ ſedi regiæ, cuius officiariis dicta Curia iniungit vt procedant contra delinquentes, culpabiles, & inobedientes prohibitionibus, & iniunctionibus ctæ Curiæ, & ipſis faciant ſuum proceſſum extraordinariè, vſque ad iudium definitiuum excluſiuè, vt dictum eſt. Atque hoc facto remittant captis ad cuſtodiam dictæ Curiæ, cum dicto proceſſu, ſequendo edictum Regis. niungit quoque dicta Curia omnibus habitantibus & commorantibus in dictis regionibus, qui ſciunt aut cognoſcunt, aut qui ſciuerũt aut cognouerunt ali uos infectos à dicta ſecta, vt ſignificent magiſtratui, ac magis proximo iudici egio, vt is inquirat, & procedat contra culpabiles, vt ſuprà. Inſuper iniunit Subſtitutis Procuratoris generalis in ſedibus Regiis, reſortientibus immediatè in dictam curiam, vt obtineant literas monitorias in forma male*factorũ, & iubeant diuulgari ſingulis diebus Dominicis in ſuggeſto eccleſiaum parochialium, quibus admonebuntur omnes qui ſciunt aut cognouerunt liquos infectos hac peſtifera doctrina, vt veniãt ad reuelationem verſus Paochum aut eius vicarium, in præſentia æditurorum, aut vnius eorum: quæ reelatio ſcribetur & ſignabitur à dicto Parocho aut Vicario, & dictis æditius ut vno eorum. cui dicta Curia iniungit ſub pœnis quibus ſuprà, ferre aut iubee perferri continuò ad officiarios proximæ ſedis Regiæ, reſortientis in dictam uriam ſine medio, cui dicta curia iniungit examinare per inquiſitionẽ teſtes ui venerint ad reuelationẽ: & procedere, vt ſuprà, cõtra eos quos inuenerint elinquentes & culpabiles ſub pœnis ſupradictis: omnibus aliis negociis poſtoſitis. Atque vt mandetur iſtud præſens areſtum executioni ſecundum fornam ſuam & tenorem, contra dictum incarceratum, dicta curia eum remiſit & remittit in ſtatu quo eſt apud Bailliuum aut ſuum Locumtenentem. Factum in Parlamento tertio die Martii Anni M.D.XLVII. & ſubtus ſignatum, Malon.*

Hæc pronuntiauit Curia Pariſienſis Liſeto Aruerno præſide digna locuta.

Brugerius itaque remiſſus fuit ad priorem iudicem, vt in vrbe Iſſorenſi executioni mandaretur areſtum Senatus quod modò recitauimus. Orrius autem inquiſitor, profeſſus iampridem veritatis hoſtis, ibi tum erat, quem non puduit in differto foro eius vrbis, quiritari ac vociferari vt ſibi quiſque caueret, ſéque muniret aduerſus Lutheranorum, vt vocabat, fallacias. nam reipſa, inquit, quicquid affirmant illi, verum eſt, ſed quod iidem negant, falſiſſimum. Conſentiunt quidem nobiſcum in eo quod credimus Deum eſſe omnipotentem, & veracem

Matthæus Orrius Dominicanus generalis apud Gallos inquiſitor fidei.

ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſſe Saluatorẽ mũdi:ſacrã Scripturam per Spiritum ſanctum reuelatam eſſe:prætere a in omnib⁹ quæ noſtrum Credo continet, id eſt in fidei noſtræ articulis, à nobis non diſcrepãt.ſed hîc, aiebat ille, latet venenũ, in negatiua ſcilicet ipſorum oratione.nam quum negant Deum eſſe in ſacro cruſtulo: Purgatorium & indulgentias ſancti patris noſtri Papæ pro nihilo habent: adorationem atque inuocationem Sanctorum dete ſtantur, aliáſque traditiones & conſtitutiones decretales per matrem noſtram ſanctam eccleſiam factas ac confirmatas, reijciunt. in his, inquit, falluntur, atque hi præcipui ipſorum ſunt erro res: quocirca monitos velim vt ne vos iſti decipiant præcauere poſſitis. Sic autem pſeudopropheta ille Orrius populũ Iſſorenſem eſt adhortatus: quemadmodum & in alijs locis, per quæ vagabatur, facere cõſueuerat. Poſtquã decretum iſtud aduerſus Brugeriũ pronunciatum fuiſſet in auditorio Iſſorenſi per ſuppræfectum Monferrati, qui ſibi habebat comites, aduocatũ, procuratorẽ & alios adminiſtros regios eiuſdem præfecturæ: ne ſuo etiã officio deeſſet organum iſtud Sathanæ Orrius, omnia expertus eſt, vt hunc à vera confeſſione abduceret, inculcans præcipuè articulũ ſacramenti altaris. Quũ aũt aſſiduè inſtaret vt ei perſuaderet, panis ac vini ſubſtantiam tenues euaneſcere in auras, cuius in locũ ſuccederet ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, eadem longitudinis & latitudinis quantitate, qua in cruce pepẽdit. Brugerius ei ad id reſpõdit, Si nudis & detractis à ſubſtantia qualitatibus nutriri corpora noſtra poſſent, captioſa profectò orationis tuæ eſſet ꝓbabilitas: ſed cùm id fieri nõ poſſit, quænam dabitur inter ſignum & rem ſignatam conuenientia? quæ quidem in ſacramẽtis omnino deſideratur, niſi velimus fingere neſcio quod phantaſma aut idolum, à quo vehemẽter meus abhorret animus. excepit Orrius, Si negas corpus Domini noſtri eſſe in ſacro cruſtulo, poſteaquã ſacrificus ſacramẽtalia verba pronuntiauit: aio mehercule te potentiam Dei negare, qui quod vult, efficere poteſt. Nõ nego, inquit ille, Dei potẽtiã. neque enim iã diſputamus, poſſit-ne Deus id efficere néc ne, ſed quid ille in ſancta Cœna fecerit, atque à nobis fieri velit. Orrius autẽ huic finẽ diſputationi imponere cupiẽs: Hẽ, inquit, quin ita Pariſius cùm eſſes Præſidi loquebaris? nec ſanè, inquit Bruger. ſec⁹ Præſidi ſum locut⁹.

Orrius affirmatiuas Lutheranorum probat, negatiuas dãnat.

Tum

Tum magiſter noſter Orrius capite inter vtrumque humerum (qui eius erat geſtus) contracto, hominem dimiſit : ac quibuſdam ſibi familiaribus (qui huius rei locuples dederunt teſtimonium) magnam miſero homini iniuriam fieri, ſéque ob id non mediocriter dolere aiebat, quia ipſius de ſacramento opinio ſibi non omnino mala videretur. Hic quidam familiarium, Ecquid igitur, Orri, *ſubſcripſiſti ſententiæ aduerſus ipſum perlatæ, & conſenſiſti, qui debueras hæc declaraſſe Senatui, nec eius perpeti executionem? Quid facerem? inquit Orrius, nõ poſſim vllum remedium afferre: dabo quidem operam, quoad potero, vt ſententiæ rigor mitigetur, ne ignem ſentiat.* Attamen ne id etiam impetrare potuit ab Officiarijs regiis, qui negabant ſe quicquã præter ſummæ Curiæ ſententiam facturos, ne fortè poſtea iure reprehẽderentur. Ad hæc venerunt in cuſtodiæ auditorium ſacrifici, exhortãdi Brugerium atque in ſuam opinionem pertrahendi gratia. attulerant enim ſecum longam crucem, cui quoddam ſimulachrum affixum erat, quam crucem reuerendi Patres populo videndam exhibent magno illo die Veneris, quem vocant, vt tota ſpectatorum multitudo acclamet Miſericordiam: hanc, inquam, iſti, Brugerio ob oculos ponentes: Tu, inquiunt, qui Ieſu Chriſti nomen adeò prædicas, atque in eo ſolo fiduciam tuam locatam profiteris: nunc id reipſa vt oſtendas neceſſe eſt: Nónne igitur proſtratus hanc veram ac dignam crucem adorare vis, in qua ille communi noſtrûm nomine pependit? Brugerius eos obliquè intuitus, & moto nonnihil capite excepit his verbis: O miſeri mortales, haudquaquam adoro opera manuum hominis: verum Deum ac Patrem adoro in ſpiritu & veritate. Vrgebant etiam aduerſarij vt Mariam Virginem inuocaret: in quibus erat quidam ſatelles, dicens ipſum, Virginem quæ aduocata eſſet miſeris peccatoribus, habere deſpicatui, atque in nullo honore. Obſecro, inquit ille, vt me ſinatis, dum parumper antequam moriar cogitationes meas ad Deum erigam: contentus ſum vnico aduocato qui à Deo pro peccatoribus cõſtitutus eſt. in quo Virginẽ minimè dedecoro, quod fieret, ſi tã ſcelerato ſacrilegio conſentirẽ, quod à me cõmitti vultis priuando charũ ipſius filiũ officio aduocati, atq; ad eam tanquã rem furtiuam deferendo. quod ipſa ne deſiderat quidem. Quòd ſi vos mihi cõceditis vt ad populum dicã, quæ

NB Aduerſarij ſingulari dei prouidentia teſtimonium dat veritati.

in ſacris literis didici, tum facilè intelligetis quantæ ſit apud me ſancta virgo exiſtimationis. ſed nequaquam licuit per adminiſtros regios, qui inſtabãt, vt in manus ſumeret exiguam quandam crucẽ: inclamauit ille verò, Non *hæc mihi lignea crux ferẽda eſt, ſed lõgè aliam & grauiorẽ mox in toto corpore,* Dei *fult⁹ ope ſuſtinebo.* Q*uodã itaq; die ſabbathi frequẽti tũ in ea vrbe mercatu, ductus fuit ad locũ ſupplicij, vbi patibulũ extructũ erat, è quo ferrea deſuper catena, qua pẽſilis teneretur, per duarum trochlearum orbiculos traiecta dependebat: duóque ſub patibulo nõ ita alti ſtabant ſtipites, ſupra quos aſſer arctus clauis affixus erat, circũcirca faſces cũ ſtramine poſiti, quib⁹ exurẽdus erat* Bru*gerius: qui quidẽ hoc triſti apparatu adeò nõ perculſus fuit, vt ipſe animum addiderit carnifici, qui cecidit dũ ipſum iã catenæ alligandũ, in aſſerẽ locaret.* Brugerius *autẽ porrecta ei manu,* Bono *animo ſis, inquit ô magiſter* Põchete*, læſiſtíne te quicquam?* Deinde *media ſui corporis parte catena ligatus, manibus & pedibus vinctis, oculos in cælũ ſuſtulit, dicens:* S*upplico tibi* Pater *cæleſtis per* Filium *tuum, vt me virtute ſpiritus tui ſuſtẽtes atq; cõfirmes, quò ſic opus quod in me cœpiſti, perficiatur ad gloriã tuã & vtilitatẽ* Eccleſiæ. Poſt*quã precatus eſſet pro inimicis ſuis, animámque ſuã* Deo *cõmendaſſet, ſponte ſe ad ignẽ quẽ à tergo habebat, vertit. carnifex verò aſſerẽ depulit, quò fiebat vt pẽdulus in aere & media flãma vſtularetur homo, nec ſe mouẽs, nec vociferãs quicquam, donec demiſſo capite placidè expirauit.* Tum *in populo ꝑſpecta hac conſtãtia, & virtute admirabili, ingẽtes & varij clamores editi ſũt: alij miraculũ diuinũ eſſe dicebãt, alij gratias* Deo *agebãt, quòd ſua ætate martyrẽ extremo ſupplicio affici vidiſſẽt.* Hoc *tumultu populari exorto, adminiſtri regij &* Orrius *ipſe metu perterriti, nõ ſec⁹ acſi iã certa mors impẽderet, fuga ſibi quiq; cõſulere quàm ad hoſpitia reuerti ſati⁹ eſſe iudicarũt: rectáq;* Mõferratũ *cõtẽderũt, quod oppidũ ab* Iſſorenſi *ſex milliaribus diſtat.* Carnifex *cũ vidiſſet cæteros aufugiſſe, hominẽ ſemiuſtũ reliquit.* Paroch⁹ *aũt* Iſſorẽſis*, qui adfuerat* Brugerio *ad ſuppliciũ eũti, quanuis inſignis haberetur hypocrita, rogatus tamẽ à quodã, quid de eo ſentiret: palã multisq; audiẽtibus dixit: faxit* Dominus *vt in fide* Brugerij *moriar.*

FLORENTIVS VENOTVS.

Conſtantia

Onſtantia Florentij Venoti, patria Cūrgiuotenſis prope Sedanam in Bria, perdigna eſt, quæ memoriæ ſempiternæ commēdetur. Ea enim in Chriſto profitendo & cōfitendo ita inſignis fuit vt inimiciſsimis atq; infeſtiſsimis veritati hominib9, ſummā admirationē attulerit. nullū eſt tormenti genus, quod ipſe nō fuerit ꝑpeſſus, ſpatio quatuor annorū & nouē dierū, quib9 Lutetiæ in carcere habitus eſt. Inter autē cætera carceris tormēta, hoc vnum paſsus eſt ſingulare, incluſus quodā in loco, vbi circiter ſeptē hebdomadas ita collocatus fuit, vt nec iacere, nec ſtare potuerit. Huiuſmodi tormentū, magiſtri tortores appellant Caligam aut ocream ad nectar Hippocratis, eò quod figura eſt infima in parte acutiore, ſuprà verò latiore atq; ampliore, inſtar eius inſtrumēti, quo pharmacopolæ vinum aromatitē cōficiūt. Itaq; ijdē carnifices retulerūt, nullū reum & criminoſum hominem fuiſſe, qui id tormētū vltrà quindecī dies perferre potuerit, quin aut de vita periclitatus fuerit, aut inſania corrept9 ac mēte alienat9. porrò cōſiliū inimicorū erat, in primíſq; Petri Liſeti, tū præſidis, qui ſummā ei9 viri cōſtātiā iniquiſsimo animo ferebat, vt eū in maximis acerbiſsimíſq; lāguoribus atq; dolorib9 diutiſsimè tenerēt, vt hoc modo ei9 animū infringerēt aut eū intra carceris parietes vita priuarēt, ne ſuauiſsim9 odor mortis eius publicè ſuſceptæ, fructúſque ad aliorū ædificationē perueniret. Sed is ſingulari Dei virtute munitus ac ſeptus omnibus eorum conſilijs ac conatibus cōſtātiſsimè ſemper reſtitit, ita vt cū aliquando eſſet in ipſa curia, & ea camera, quæ Ardēs ab illis eſt cōſtituta & appellata, verba ſua ad Liſetū atq; ad alios quoſdā dirigēs, dixerit, eos quidē id agere, vt diuturnis tormētis atq; cruciatibus virtutē ſpiritus in eo debilitēt, aut mori ipſum cogant in carcere: ſed operā perdere. nā ſe eā à Deo gratiā ſperare, vt vſq; ad finē perſeueret, eiúſq; ſanctiſsimū nomen in ſua morte, omni laude & gloria celebret. Non multò pòſt optimis eius optatis Deus ꝓ ſua benignitate reſpōdit, tēpuſq; ad eam cōfeſsionē, quam optabat, ꝑaccōmodatū ei dedit, vt homines hui9 mūdi omniū maximè glorioſi, intelligerēt, eam vī eſſe veritatis, cui cedāt oportet omnia hominū cōſilia, quorū quidē magnitudinē ꝑ infirma atq; ſtulta huius mundi Deus euertit. Quodam igitur die, quo pompa ſolennis à Rege indicta fuit, aliquantò poſt eius in vrbem Pariſienſem introitum, Florentius Vinotus, cum alijs quibuſdam captiuus propter ver-

Caliga Hippocratica tormenti locus in carcere Pariſienſi.

Liſeti mala mens malus animus.

Florentius publicè mori optat.

Veritatis vis quanta.

Introitus regis Hērici II.

bum Dei, cùm more ipſorum, de gradu illo ſacerdotali motus, & capitis damnatus fuiſſet, productus eſt, vt victima Deo offerretur. Atque vt eum maiore dedecore aut timore afficerent, ſpectatorem cæterorum, qui eo die martyrio diuerſis in locis vrbis erant defuncturi, conſtituerunt. Florentius autem quum linguà præciſa loqui non poſſet, ſignis tamen, & oculis in cælum erectis, aliíſque omnibus quibus poterat rationibus, cæterorum animos excitabat. ipſe etiam cùm in illis admirabilem Dei gratiam videret, magnoperè confirmabatur. Is tandem poſtremus ſupplicio affectus eſt, cùm maximis corporis laboribus ac doloribus afflictus & confectus eſſet, viuuſque in platea Malberti fuit vſtulatus tertia poſt meridiem hora, nono die Iulij, anno M.D.XLIX.

Florentius poſtremus ſupplicio affectus.

LEONARDVS GALIMARD.

M.D.XLIX.

LEONARDVS *Galimardus, Vendomij natus, comprehēſus eſt Cherij, prope* Blaiam, *circiter* XV. *diem* Maij, *anno* M.D.XLIX. *Inde* Lutetiam *deductus, & in carcerem coniectus fuit. Edita deinde fidei confeſsione, in qua puram* Euangelij *doctrinam integrè ac fideliter defendit, ab ea curia eſt condemnatus, vt viſitato ſupplicio afficeretur viuuſque cremaretur, quam quidem pœnam ſumma virtute cōſtantiáque ſuſtinuit, eodem die, quo* Florentius Venotus, *cuius ſuprà mentio facta eſt, anno* M.D.XLIX.

ANNA AVDEBERTE.

M.D.XLIX.

EODEM *anno* Anna Audeberta, *Aureliæ nata, &* Petri Genesti *pharmacopolæ vidua, in ipſo itinere cùm Geneuam ſe ad eccleſiam Dei conferret, in oppidulo Caſtro-renardo nominato, capta eſt vnà cum Stephano Peloquino, teſte Ieſu Chriſti fideliſsimo: cuius mentio hoc in libro poſtea fiet. Cùm his autem alij quidem comprehenſi fuerūt, qui metu hominum doctrinā Euangelij confiteri non ſunt auſi. E Caſtro-renardo* Lutetiam *abducta fuit: ibíque à ſuprema curia damnata, vt in ciuitate ſua* Aureliæ *viua igni cremaretur. Quam in vrbem cùm veniſſet die Sabbathi,* XXVIII, *Septembris, pridie eius diei qui ſacer* Michaeli *colitur, non multò pòſt hora ſecunda pomeridiana ſupplicio affecta eſt. Cùm è carcere egrediens, ad locum ſupplicij,* Martro-

Stephanus Peloquinus martyr Chriſti.

ium

ium appellatum, duceretur, funéque, vt fieri ſolet huiuſmodi hominibus vinciretur, quadam cum gratulatione & lætitia ita loquuta dicitur, Quàm pulchra hæc zona, quam ſponſus meus mihi dat: dies erat Sabbathi quum primis meis nuptiis deſponſata fui, ſecundis verò his nuptijs meis, eodem Sabbathi die, Ieſu Chriſto ſpōſo meo nubam. Cùm autem adductum vidiſſet plauſtrum, quo deportanda erat & quo lutum exportari ſolet, animo læto, hilaríque vultu ita ait, Eſt né iſtud quò mihi eſt conſcendendum? atque hæc dicens, illud alacriter conſcendit: eximiámque conſtantiam ac virtutem fœmina & vidua vſque in finem ita retinuit, vt Aurelianenſis populus qui eam videret, ſumma admiratione afficeretur: fideles verò Deúmque metuentes confirmarētur eius morte, qua præclarè eſt defuncta eodē anno M.D.XLIX.

Martyr, fœmina, vidua, fortiſſima & conſtantiſſima.

SARTOR VESTIARIVS.

Huic coram Henrico rege Galliæ de religionis Chriſtianæ capitibus diſſerere, & regi atque auiicis Gallis veritatis præco eſſe contigit.

P*aulò pòſt triumphalem* Henrici *Galliarum regis in vrbem* Pariſiēſem *ingreſſum, vt diximus quum de* Florentio *ageremus, in eorum numero qui iandudum carcere incluſi adſeruabantur, erat quidam Sartor veſtiarius: cuius conditio quanuis hominibus obſcura propter inopiam fuerit, adeò vt nomen ipſius quaſi ſilentio obliteratum fuerit,* Deus *tamen in id tempus hunc adſeruare voluit, vt* Henrico *regi ſeriò cum ſuis ſatrapis triumphanti veritatē & iudicia ſua (quod quidē vix vlli antea contigerat) coràm intrepidè annunciaret. is quum in platea illa ampla quæ ſancti* Antonij *dicitur, nō procul à regia domo quæ à ludis equeſtribus nomen habet. paruas ædiculas inhabitaret, à* Sup*prætoriano ſeu dom⁹ regiæ Suppræfecto captus eſt, quòd opificiū exerceret eo die qui in* Papatu *feſtus obſeruatur.* Priu*ſquā autē duceretur in carcerem, Suppræfectus* ex *eo quæſiuit, quæ res eum ad opus faciendum impuliſſet, an non ſciret eum diem eſſe in quo laborare non liceret. Cui ille reſpondit, ſe vitæ ſuæ tuendæ cauſa laborare: neque alium diem ſe intelligere præter* Dominicum, *in quo arte operáque neceſſaria vti non poſſet.* T*um Suppræfectus à* Sartore *multa alia quæſiuit, ad quæ ille ita reſpondit, vt in carcerem ab eo ſtatim ductus fuerit. Suppræfectus deinde cùm in carcerem illum conieciſſet, ad regiam acceſſit: atque*

vt boni ſerui miniſtríque officio fungi videretur, quibuſdam è primoribus aulæ ſignificauit ſe quendam Lutheranum *nactum eſſe, quem quum die feſto laborantem comprehendiſſet, atque ab eo multa quæſiuiſſet, ſe tuliſſe huiuſmodi reſponſa, quibus nulla ab homine vllo peiora fieri poſſent.* Id *autem cùm poſtea ad* Regem *delatum eſſet, poſtulantibus quibuſdam proceribus ab eo eſt accerſitus, ac coràm adductus, vt illum loquentem audiret. Qui quidem nobilibus, aliíſque adminiſtris è cubiculo remotis, paucíſque primarijs viris relictis, hunc* Sartorem *interrogari voluit per* Petrum Caſtellanum *tum* Matiſconenſem Epiſcopum*, qui inter omnes aulicos ad eam diſquiſitionem atque interrogationem ingenio & doctrina maximè aptus eſſe videbatur.* Sartor *autem eò cùm veniſſet,* Regi *honorem, quem principi ſuo debebat, habuit, gratias agens* Deo *pro ſummo honore ab eo ſibi tributo, quòd coram tanto* Principe *ad teſtificandam fidem ſuam productus eſſet. Cùm verò* Caſtellanus *multa ex eo quæſiuiſſet de maximis ac grauiſſimis* Chriſtianæ *religionis capitibus: ille ſine vlla animi conſternatione atque titubatione ita commodè aptéque reſpõdit, vt pura, ſimplex, ſynceráque doctrina poſtulare videbatur. etſi verò* Caſtellanus *ac cæteri aulæ proceres, vt eum terrerent, omnibus probris contumeliíſque inſectabantur: ille tamen à ſumma illa conſtantia & animi magnitudine nunquam deduci potuit, neque vllis propoſitis minis, terroribus periculíſque impediri, quò minus pietatis doctrinam quam amplexus erat, liberè confiteretur.* Q*uæ quidem res ſummam admirationem ijs qui aderant attulit, cùm viderent hominem inopem tanta libertate & conſtantia, ad ea quæ quærebantur coram* Rege *reſpondentem. Sed egregius* Epiſcopus*, aulicíque proceres, cùm viderent obſtupefactum* Regem*, vt omnem melioris cognitionis cogitationem diſcuterent, dixerunt eum hominem nihili, in opinione obfirmatum, ad iudicémque remittendum, vt pœna merita afficeretur.* Ne *itaque diutius* Henrici *aures detineret, mandatum eſt* Supræfecto*, vt in cauſa illius informaretur: id quod ilico factum eſt.* Paucis *enim pòſt diebus, vt viuus cremaretur, à* Præfecto *aulæ regiæ damnatus eſt.* Nullum *antea coram* Rege *audiuimus prodijſſe, qui* Chriſtum *eiúſque* Euangelium *ita confeſſus fuerit, vt hic* Sartor *eo in conuentu*

auli-

aulicorum ac procerum reſpondit. A*c ne aliqua de tam excellenti hominis conſtantia exiſtimatio in animo* R*egis remaneret, plerique ex illa* C*ardinalium & Epiſcoporum caterua improba aiebant, huiuſmodi homines* L*utheranos nil niſi fumos ore euomere, qui propius igni admoti ſtatim euaneſcunt. Itaque* R*ex ſpectator ſupplicij crudeliſſimi (quod poſtea de Sartore ſumptum eſt ante vaſtam* D. V*irginis ædem) eſſe voluit, vt videret num hic confeſſionem illam doctrinæ, atque adeò illam animi conſtantiam ad extremum vitæ ſpiritum retineret. Ita verò auxit Dominus & robur ac vires huic ſuo Martyri, vt in media flamma immotus conſpiceretur. quo quidem ſpectaculo* R*ex vehementius quàm antè obſtupefactus dicitur.*

MARTYRES QVIDAM *apud* H*annonienſes.*

N*ullum hodie angulum terrarum quantumuis remotiſſimarum* D*ominus ſuæ bonitatis ac miſericordiæ teſtimonijs expertem relinquit, dum vbique gentium fideles ad cauſæ ſuæ defenſionem producit teſtes, quibus & ignorantes erudiri, & qui cognitione cæleſti donati ſunt confirmari, denique omnis homo* ἀναπολόγητος *atque inexcuſabilis eſſe poſſit, quicunque veritati quoquo modo reſiſtit.* A*nno* M. D. XLIX. *orta quadam apud* H*ãnonienſes perſecutione, inter alios capti atque in carcerem incluſi fuerunt quidam* M. N*icolaus natione* G*allus, eiuſdemq; coniux* B*arbara:* A*uguſtinus* T*onſor &* M*ariona eius vxor, nati in pago quodam non procul à* B*ergis* H*annoniæ. qui poſtquam* G*eneuæ aliquandiu commorati eſſent, vnà ſe in* G*ermaniam receperunt, illac in* A*ngliam tendentes.* C*úmque in* H*annoniam perueniſſent,* A*uguſtinus rogauit* N*icolaum, qui erat non indoctus, vt puſillum gregem vrbis* B*ergenſis inuiſeret, quæque ſpiritus* D*ei in ſe dona habebat, cum fratribus beneuolè communicaret. qui quidem tam æquæ petitioni libens aſſenſit, cùm præſertim hac ratione regnum* F*ilij* D*ei propagari non ignoraret. Ingreſſi vrbem benignè à fratribus excepti fuere, qui non mediocrem acceperunt conſolationem ex pijs iſtius hominis admonitionibus. Ibíque cùm diebus aliquot manſiſſent,* T*ornacum profecti ſunt perſequẽtes iter* A*nglicum: ſed in ipſo itinere* A*uguſtinus cum vxore ſua agniti fuerũt atq; è veſtigio ad* P*ræfectũ vrbis delati, qui illos inſecutus, cũ quatuor milliarib⁹* T*ornaco abeſſent* M. D.XLIX.

omnes cepit, præter Auguſtinum, qui tum neſcio quo modo manus iſtorum euaſit, de quo poſtea dicemus. Satellites autem quum nuſquam iſte appareret, M. Nicolaum cum duabus mulieribus reduxerunt, qui à Præfecto contumelias in via paſsi ſunt. Interdum quando menſæ accumbendum erat, M. Nicolaus Deo gratias agebat, vt fidelibus moris eſt. Præfectus illi conuitia multa faciens, variíſque iuramentis in Deum blaſphemus dixit, Videamus nũc, improbè hæretice, an te Deus tuus de manu mea eripiet. Nicolaus modeſtè admodum ei reſpondit, Quid, quæſo, in te commiſit Chriſtus, quòd eum tuis blaſphemijs in fruſta quodammodo ſeces: deſine, quæſo, maledicere: aut ſi tanto furore ageris in filium Dei, ipſiúſq; verbũ, vt ab iniurijs abſtinere non queas: in me iram tuam conuerte vt me tũdendo, illam euomas: longè profectò mihi gratius ita feceris. Itaq; in currũ impoſiti manibus & pedibus vinctis Bergas perueniũt, vbi in imum Caſtri carcerẽ catenis conſtricti includuntur. Dum ſic miſerè detinerentur acceſsit ad eos Dux Arſcotus, multis ſacrificis, & Frãciſcanis comitatus, cũ eorũ antiſtite quem Gardianum vocant, doctore Theologo. Ab his M. Nicolaus in medio conſtitutus & rogatus, cuias eſſet, quónam tenderet, quæ ipſius fides eſſet: alacri ſanè animo reſpondit, exactámque rationem reddidit ad omnia: vt ſæpius perfrictæ alioqui Franciſcanorum fronti ruborem afferret: atque dum illos turpiſsimæ ignorationis conuinceret, vno ore omnes ad veterem illam ac tritam coaxationem confugiebãt, Dæmonium habet, ad ignem ducatur Lutheranus. Excepit M. Nicolaus, Quid, domini mei, Iudæo etiam ac Turcæ datur pro ſe loqui: nihil eſt quod timeatis ne quis vos ſeducat aut vincat: ſi veram doctrinam defẽditis, & veritas ipſa veſtras partes tuetur. Tãdem interrogationibus fine impoſito, petijt ipſe vt ſibi liceret confeſsionem fidei ſuæ deſcribere: quod illi vt in carcere faceret non recuſarunt aduerſarij. Interea dum in cuſtodia eſſet, extremúmque ſupplicium in dies expectaret, hoſtibus in mentem venit vt illum rogarent vbinam diuertiſſet quum Bergas adueniſſet. Ad hoc ille dixit, ſe ante id tempus nunquam in ea vrbe fuiſſe. proinde locum nominare non poſſe: aduerſari quum ab eo nihil ſe extorquere poſſe viderent, adorti ſunt Barbaram vxorem ipſius, atque in primis dux Arſcotus illã manibus prehẽdens

blandi

landis verbis ſic eſt locutus, Barbara, rogo te vt vitam tuam ſerues. orenti enim adhuc es ætate mulier, ſi mihi nomines eos apud quos diertiſti, efficiam equidem vt hoc carcere ſoluta & libera dimittaris. Miſera autem hæc fœmina blanditijs & pollicitationibus Ducis facilè victa, nihil non fecit. quæ res maioris perſecutionis aduerſus fideles cauſa fuit, quorum plures in vincula coniecti fuere. Nicolaus autem poſteaquam omnia tentaſſent veritatis hoſtes, tandem è carcere Ambronenſi ad Iudices ductus eſt qui illum condemnarunt, vt viuus exuretur, atque in cineres, vt ibi ferè ſolet fieri, corpus redigeretur. Qua ſententia pronunciata Nicolaus continuò in Domino exultans dixit, Benedictus ſit Dominus Deus noſter qui me tãto dignatur afficere beneficio, atque ad eum honoris gradum extollere, vt me adhibeat teſtẽ in cauſa chariſsimi Filij ſui. Quo dicto eximio Spiritus ardore Pſalmũ canere cœpit, ſtupẽtibus ſatellitibus qui illum à tribunali in quoddam carceris cubiculum ducebãt dum adeſſet hora ſupplicij in illum conſtituti: ibi cùm eſset, puluerem è veſtibus excutiebat & paleas quæ tunicæ adhærebant, manu deijciebat quaſi ad ornatum ſe componeret: atque ijs qui aderant locutus eſt. Amici, ne miremini cur nunc ita me adornem nam inuitatus ſum ad nuptias & epulas Agni illius immaculati. Interea venit quidam ſatelles qui ſuppræfecti vrbis nomine interminabatur ne quod verbum ad populum faceret. Ille verò reſpõdit cupere ſe ſuppræfecto loqui, quum verò idẽ cõfirmauit, ac niſi pareret, pila ipſi os obſtrueretur. Siquidẽ, inquit reus, tu ipſe mihi ſermone ad populum interdicis, obediam: ſed vnum viciſsim abs te poſtulo. Eloquere, inquit ſuppræfectus, quid velis. ſaltẽ vt dum ad ſuppliciũ accedo liceat mihi inuocare Dominum & laudibus nomen eius celebrare intereundum. quod illi conceſſum fuit, modò nihil ad populũ diceret. Poſt horam itaque à meridie ſecundam venit ad illũ magiſtratus vt ſententia executioni mandaretur. Ipſe per cliuum è Caſtro deſcendens, ſublatis in cælum oculis ac hilari vultu Dominum inuocauit. Plures autem ipſum ſequebantur Franciſcani vſitata Sathanæ flabella, vt impedirent ipſius preces. Vbi ad locum ſupplicij ventum eſt, cernens ingentem populi multitudinem, nulla tum interdicti ra-

tione habita, ad populum conuerſus alta voce exclamauit: O *Carole, Carole, quouſque tandem tibi cor adeò induratum erit? at plura dicere volenti ſatellitum vnus impegit colaphum.* Hîc *iterum* Nicolaus, Ha *miſer popule, inquit, non es dignus cui verbum* Dei *proponatur.* Hæc *dicens ad palum deligabatur.* Franciſcani *qui circunſtabant, multa ipſi conuitia fecerunt: ſolitam cãtilenam ſubinde, vt ſunt verè cuculi, occinentes, quòd dæmonium in ſe haberet.* Quibus Nicolaus *hoc verſu*
Pſal. 6.b.9 Dauidici Pſalmi *valedixit,* Diſcedite *à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit* Dominus *vocem fletus mei: ac de-repẽtè ſtramen accenditur, quum ille defixis in cælum oculis, ſemel atque iterum vociferatus eſt,* Domine Ieſu, Pater *æterne, in manus tuas totum me trado atque commendo. atque ita fœliciter ex hoc mundo migrauit pia anima.*

Sequitur mors Marionæ, vxoris Auguſtini.

Poſt *hanc executionem,* Iudices *ad cauſam* Marionæ *venerunt vxoris* Auguſtini *de quo ſuprà, quæ quidem de varijs rebus interrogata, ac præſertim quid* Geneuæ *fieret, quomodo ibi ſacramẽta adminiſtrarentur: vtrum ipſa cœnam* Dominicam *in ea vrbe celebraſſet: confeſſa eſt omnia liberè, nempe ſe ibi* Cœnæ *participem fuiſſe, affirmans veram* Domini *noſtri inſtitutionem* Geneuæ *retineri atque ſeruari.* Ad *alia quæ percontabantur aduerſarij reſpondit pro modulo fidei atque cognitione quæ illi à* Domino *tradita erat: adeò vt nec precibus vllis, nec minis à veritatis confeſſione deduci potuerit.* Paucis *pòſt diebus cauſa in iudicijs confecta, conſtitutum eſt in illam ſupplicium quod ferè fidelibus matronis aut puellis, quæ ob cauſam religionis ijs in locis capiuntur, ferendum eſt: vt ſcilicet viua in terram defoderetur.* Hæc *autem inſignis mulier ad iſtud genus ſupplicij ducta, eleuans ad cælum oculos prorupit in laudes* Domini, *eíque gratias egit quòd ſe miſeram è dẽſis tenebris eripuiſſet.* In *foſſam ſimulac demiſſa fuit, in genua procumbens* Domini *opem implorauit, & priuſquam proſterneretur à tortore, petiuit ſibi dari ſudariolum aut linteum quo facies eiús tegi poſſet.* Poſtquam *itaque proſtrata eſſet, faciéſque primùm ſudariolo, ac deinde cum ea reliquæ etiam corporis partes terra coopertæ eſſent, cõculcauit*

[c]alcauit eam pedibus carnifex: donec ſic miſerè trucidata Deo *acce[p]tum reddidit ſpiritum.*

AVGVSTINVS TONSOR.

Maritus Marionæ iſtius qui interfectus fuit Bellimonte, quæ vrbs ſex milliaribus Bergis Hanoniæ diſtat.

D[i]ximus dum Nicolaus *cum* Mariona *caperentur*, A*uguſtinum miris modis euaſiſſe, qui ſic liberatus ope proculdubio diuina , dedit [s]e mercaturæ aromatum atq; aliarum rerũ minutarũ quas per merca[t]us vrbium circũferebat, vt ita ſine fraude victũ pararet. Quum veniſ[s]et* Bellimontem oppidum Hannoniæ, *mercéſque ſuas ibi in foro venum [p]ropoſuiſſet, agnitus fuit à quibuſdam, noménque ipſius ad magiſtra[t]um delatũ: ipſe verò perſentiſcens inſidias, relictis mercibus fuga ſi[b]i conſulere volebat. Dum hoc pacto fugeret, vidit procul domũ in qua [d]iuerterat ſatellitibus cinctam: ac magis tum quàm antea ſibi metuere [c]œpit (erat enim ille homo perpuſilli animi, adeò vt ad conſpectum vel [o]ccurſum vnius ſatellitis totus tremeret atque horreret)* Eo *itaq; cor[r]eptus pauore atque tremore vrbem exit, ſéque in dumum mox prori[p]uit ſperãs ibi tutò latere poſſe. Sed iam aderat hora ipſius,* Deóq; *ali[t]er viſum fuit.* Etenim *cum ſe pòſt dumum abſconderet, erant quidam [i]n muris vrbis qui illum facilè poterant videre, ac quãprimùm ſatelli[t]ib⁹ qui inſequebãtur indicarũt.* Proinde *cõprehenſus ilicò deduct⁹ fuit* [B]ergas, *vt in ea vrbe* Hãnoniæ *metropolitana, cauſa ipſius diſceptare[t]ur.* Ibi *rogatus fuit de tota vitæ ſuæ ac fidei ratione: ipſe verò quæſtio[n]ibus omnibus plenè ſatisfecit, oſtẽdens aduerſarijs fiduciam ſuam quã [i]n* Chriſto *poſitã habebat, id quod à ſe conſtanter præſtitum ipſe amicis [q]ui eum in carcere iuuiſebant, narrauit.* In *quo ſanè mirabile* Dei *opus [c]ernimus, vt qui ſemper natura timidus extiterat, tandẽ* Diuinæ *volũ[t]ati ſe totum tradens, inuicta conſtantia & patientia aduerſariorum [m]inas & truculentiam fortiter contempſerit.* Re *ipſius in* Senatu *per[a]cta, lata eſt de eo ſententia vt viuus igni ſubijceretur.* Octo *ferè diebus ante ſententiæ executionem priuſquam* Bellimontem *reduceretur, [a]ntiſtes* Franciſcanorum, Gardianum *vocant, profeſſus* Euangelij *ho[ſ]tis longa oratione apud illum egit vt ei inculcaret, niſi renunciaret do[c]trinæ, ipſum hæreticũ eſſe, perpetuíſq; inferorũ cruciatibus deſtinatũ.*

Auguſtinus verò intereà non obmutuit, ſed garrulitatem hominis ſæpè reprehendit, ac ſermonem nugatoris coram omnibus qui aderãt interrupit, dicens, Proba, quæſo, verbi Dei authoritate quæ dicis, vt verbis tuis fides habeatur, multa quidem garris ſed nihil probas, in quo ſatis conſtat te mendacij doctorem eſſe, cui nulla ſit omnino habenda fides. His dictis Auguſtinus in diuerſorium Angelo penſili inſigne extrahitur, vt in equum conſcendens Bellimontem reduceretur. In eodem loco diuertebat quidam vir nobilis extraneus, qui huic potum obtulit in phiala plena vino, ſic hunc affatus, Miſereat temet tui, ac ſi non dubitas vitam amittere, animæ tuæ ſaltem rationem habe. Cui Auguſtinus hoc pacto reſpondit, De tua erga me voluntate habeo gratiam: atqui vides quantum mihi animæ meæ ſalus curæ ſit, vtpote qui corpus hoc, igni conſumi malim quàm peccare aliquid contra cõſcientiam. Hæc locutus, atque in equum impoſitus, Bellimontem ducitur magna ſatellitum cinctus caterua. ſimulac in vrbem ingreſsus eſſet in vincula conijcitur. Cæterùm, quia tum ibi funus filij ducis Arſcoti curabatur, qui interfectus fuerat: multi eò vndique venerant viri nobiles & Principes, qui certiores facti de aduentu iſtius captiui, inuiſunt hominem & de fide ipſum ac religione interrogãt. ipſe verò ſingulis iucũdè reſpõdens ſatisfecit. præ cæteris autem Comes Alainius diu multũq; cũ eo familiariter diſſeruit. Die præſtituto executioni, extra vrbem in collem quendam educitur vt ibi immolaretur. Maior pars populi in tantam rabiem adacta eſt propter hominis conſtantiam, vt clamaret pedes eius ad caudam equi alligandos eſſe, atque ita ad locum ſupplicij pertrahendum. ſed Dominus eam crudelitatem in ſeruum ſuum exerceri haudquaquam paſſus eſt. Cùm ad locũ ſupplicij perueniſſet, ſupplex Deum precatus eſt, ac deinde ad palum alligatus. nec interea quidẽ verbum vllum protulit, ſed cùm iam accenſo ſtramine ignem ſenſit, cœpit Dei laudes prædicare. Poſtremò in medio ignis clara voce exclamauit: Pater cæleſtis, in manus tuas animam meam commendo, quam paulò pòſt acceptam reddidit Domino.

Leonardus

LEONARDVS PRATENSIS.

Leonardus Pratenſis, apud Lemouices natus, homo valde in literis exercitatus, circiter mẽſem Iuliũ, ãno M.D.XLVII. in oppido Barri, quod eſt ad Sequanam in Burgundiæ ducatu, captus eſt, proditus à duobus falſis fratribus, qui eum Diuione vſque ad illud Barri oppidum fuerant comitati. Quum igitur apud Præfectum eius vrbis de præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus copioſè reſpondiſſet, monachi cæteríque homines fictæ religionis profeſſores hominem ſunt aggreſſi. à quo conuicti falſarum atque impiarum opinionum, vi veritatis expreſſa confeſſione, eum Euangelij teſtem agnoſcere & fateri coacti ſunt. Hoc tamen non impediuit, quò minus ad ſupremæ Pariſienſis curiæ cognitionem reiectus fuerit: ac tandem condemnatus, vt viuus igni cremaretur, menſe Auguſto, anno M.D.XLVII. Nec verò ipſe vnquam deſtitit ſuo teſtimonio vſque ad extremum vitæ ſpiritum, doctrinam Euãgelij quoad potuit profiteri ac confirmare.

M.D.XL VII.

Periculum in falſis fratribus.

Magna vis veritatis in vtramque partem.

APVD LINGONES COMBVSTI *ob Euangelium.*

Interea grauis perſecutio graſſabatur apud Lingonenſes, adeò vt menſe Septembri eiuſdem anni, propter verbum Dei plurimi exuſti fuerint: inter quos memoria cõſeruata fuit, nempe Ioannis Taſſignon, eiúſque vxoris Ioãnæ Seiournã, Simonis Mareſchal cum vxore ſua Ioanna Bailli, Guilielmi Michaut, Iacobi Boulereau, & Iacobi Bretenay, qui omnes in ea vrbe Lingonenſi nati, ſingulari virtute & cõſtantia qua in confeſſione fidei præditi fuerunt, multis veritatis ſtudioſis conſolationem & lætitiam, inimicis verò offenſionem atque indignationem cum admiratione coniunctam attulerunt. Inter cæteros, Ioanna Bailli, Simonis coniunx, in ſexu muliebri virtutem pluſquam virilem declarauit. Nam cùm iam ſupplicium eſſet ſubeundum, ea cæteros, imprimíſque maritum ſuum, magno animo ad patientiam conſtantiámque Chriſtianam hortabatur. Atque inter alia piè tum ab ea dicta, hoc præclarè dixiſſe fertur, Eam coniunctionem vitæ atque conſuetudinem corporis, qua aliquandiu vſi fuiſſent in coniugio, quædam quaſi ſponſalia promiſſáque habuiſſe: at nunc Dominum Ieſum ipſos verè deſponſaturum eo die, quo morte ſua fidei teſtimonium ei præſtarent. Quoniam autem ea natu omnium mulierum quæ captiuæ detine-

M.D.XL VII.

Mulieris virtus maritum conſolantis.

bantur, minima erat, idcirco in poſtremum ſupplicij locum fuit reſeruata, vt aduerſarij præclara quædam pollicentes, animum eius inflecterent, atque à ſuſcepta ſententia deuocarent. Sed ea & cæteri virtute ſpiritus Dei *roborati, in veritate confitenda & teſtificanda cõſtantes permanſerunt.*

Eadem in cauſa & pœna verſati fuerunt, Michael Mareſchalus & Ioannes Camus, *ipſi quoque* Lingonenſes, Magnus Ioãnes Camus Diuionenſis, & Ioannes Seraphinus Turonenſis, *qui omnes eodem propè tempore* Lutetiæ *cremati, conſtantiſſima confeſſione doctrinam* Euangelij *confirmarunt, ornauerunt, illuſtrarunt.*

IOANNES ANGLVS.

M.D.XLVII. Adeò *inualuit perſecutio vt à* Lingonibus *vicinos* Burgundos *eadẽ peruaſerit, plurimi cõprehenſi fuerunt, inter quos vir cùm doctus tum pius* Ioannes *cognomento* Anglus, *in vrbe* Senonenſi *cauſarũ patronus, propter* Chriſtianam *doctrinam, quam ſua confeſſione comprobauerat* Lutetiæ *à ſumma curia poſt diuturnam detentionem condemnatus eſt vt igni viuus cremaretur: ea verò pœna apud eoſdem* Senones *conſtantiſſimè defunctus eſt, menſe* Mart. *anno* M.D.XLVII.

HVBERTVS CHERIET.

M.D.XLIX. HVBERTVS Ioannis *Cherieti filius, patria* Diuionenſis, *ſartor annos natus circiter* XIX. *combuſtus fuit* Diuione, *menſe* Maio, *anno* M.D.XLIX. *Is nullis vnquam nec mortis terroribus, nec parentum blandis illectamentis, quibus illum à pura* Chriſti *cõfeſſione deuocare conabãtur, ꝓpoſitũ fidei ſuæ ac teſtimoniũ* Euãgelij *depoſuit, ſed illud morte ſua æquiſſimo animo ſuſcepta, obſignauit.*

MICHAEL TORNACENSIS.

Iiſdem *temporibus* Michael *cognomine diminutiuo, vt apud illos frequens eſt,* Michelotus *dicebatur, natus* Froyennæ *apud* Neruios, *homo admodum iuuenis, & ſartor profeſſione, captus propter confeſſionem* Euangelij, *ſententia iudicum condemnatus fuit, vt capite truncaretur, ſiquidem ſententiam de religione, quam profeſſus fuerat retractaret: ſi verò in ꝓpoſito permaneret viuus cremaretur.* Itaq; *cùm iudices ex eo quæſiuiſſent, vtrum ex his duobus mortis generibus mallet ſuſcipere, ſumma cum comitate atque hilaritate vultus reſpondit:*

Qui

Qui eam mihi gratiam impertiet vt patienter pro nomine ipſius moriar, is quoque gratiam mihi largietur vt ignem pro eiuſdem honore ſine vlla degeneris animi nota perpeti poßim. Hanc virilem ea ætate *conſtantiam cum ſumma omnium admiratione ad extremum vitæ ſpiritum* Deo vires *ſuppeditante retinuit.*

CLAVDIVS THIERRY.

CLAVDIVS Thierrius, *patria* Carnutenſis, *homo iuuenis, arti inſeruiẽs pharmacopolæ, cùm* Geneua *in* Galliã *rediret, captus eſt* Aureliæ, *vbi fidem eam, quam in* Eccleſia Dei *ex doctrina Euangelij acceperat, maximo pietatis ſtudio teſtificatus, ſententia fuit condemnatus, vt viuus combureretur.* A *qua quidem ſententia appellare nunquam animum induxit, ſed vt parentum atque amicorum voluntati ſummæque ſolicitudini ſatisfaceret,* Lutetiam *ad ſupremã* Curiam *prouocauit.* Vnde *priore ſententia decreto eius curiæ confirmata,* Aureliam *remiſſus vſtulationem corporis ſui ſumma conſtantia perpeßus eſt eodem anno* M.D.XLIX. M.D.XLIX.

FANINVS *Italus.*

Memorabilis vita & mors Fanini Itali, Ieſu Chriſti veri martyris. M.D.LXIX.

FAninus *natus* Fauentiæ Italiæ *oppido, in ea regione, quæ* Romaigna *vocabulo corrupto appellatur, ex familia ortus* Faninorum. Romaigna regio. Is *quidem primis ætatis temporibus nullam doctrinæ ſalutiferæ cognitionem habuit: ſed poſteà* Scripturam *ſanctam ſummo ſtudio & diligentia legere cœpit, libris adiutus in linguam vernaculam conuerſis: propterea quòd* Latini *ſermonis non ita erat peritus, vt eius facultate in ſacris literis verſari poſſet: verùm optimè intelligens eam eſſe virtutem* Dei, *optimi maximi vt cùm hominibus vult reuelari, ad eam cognitionem certo aliquo genere ſermonis non vtatur, commoditate linguæ patriæ adiutus, diligentem operam ad legendam* Scripturam *contulit.* Poſt *diuturnum autem ſtudium, ſentiens in ſeipſo optimũ ſuauiſſimúmque fructũ, quem ex ea lectione atque meditatione perceperat,* Lectio ſacra Scripturæ, via ad pietatem. *ſtatuit pro ſingulari pietate ac gratitudine, theſaurum tam liberaliter à* Deo *ſibi communicatum, non in ſeipſo occultare, ſed alijs communicare atque impertire.* Erat *enim planè perſuaſus nullo modo hominibus* Cognita veritas nullo modo occultanda. *licere, neque æquum eſſe, poſtquam* Deus *eos ſemel* Spiritu *ſuo illu-*

minauit, atque in agnitione voluntatis ſuæ inſtituit, cognitam occultare veritatem qua nihil eſt ei precioſius, cámque quodammodo ſepelire. Itaque cœpit paulatim diuerſis in locis diuulgare, ac pluribus patefacere hominibus eam cognitionem, quam tum quidem ex Euangelio Domini *noſtri* Ieſu Chriſti *adeptus erat.* Non *quòd primùm omnibus quid ſentiret, publicè declararet: ſed ſatis eſſe arbitrabatur, ſi initiò priuatim aliquem eius guſtum dare potuiſſet.* At *ſatellites* Pontificis Romani, *eiúſque adminiſtri, cùm hoc eius ſtudium intellexiſſent, omnibus modis operam dederunt, vt* Faninus *caperetur. Cùm eſſet in carcere, vxor liberíque eius & amici eum continuis precibus ita ſolicitarunt, vt homo victus eorum ſtudijs, patrocinium veritatis ſuſceptum depoſuerit, teſtimonióque iudicij ſui, quod* Euangelio *dederat, improbato, veniam, & carceris liberationem ſit conſequutus.* Verùm *ſimulatque carcere dimiſſus eſt, ita animo fuit perturbatus, mentéque affectus, vt deſperare planè videretur.* Et *certè niſi* Deus *eum ſua prehendiſſet manu, atque eum pro ſua miſericordia retinuiſſet, in horribilem deſperationem confuſionémque prolapſus eſſet. ſciebat enim ſe* Chriſtum Ieſum *quem & ſummo ſtudio amplexus fuerat, & magno cum gaudio ſpiritus profeſſus, perfidioſè indignéque abieciſſe vt cum ſuis in hac vita remaneret: atque ita charitatem ſuorum pietati* Chriſto *debitæ prætuliſſe. Cõſciẽtia autẽ eum ita premebat, vt perpetua perfidiæ recordatio, ſummum & acerbum animo eius cruciatũ die noctéq; adferret.* Itaque *grauiſſimum illud peccatum ſuum gemere, & peramarè deflere cœpit, quòd* Chriſtũ Ieſum, Dominũ *gloriæ, ac pro ſe mortuum, verbum eius prodens, abnegare auſus eſſet: vitámque ita triſtem acerbámque ſuſcepit, vt eum nemo lætum alacrémque poſtea viderit: donec eum animum recepit, quo officium ſtudiúmque ſuum* Domino *fidelius quàm antea fecerat, præſtare conſtituit. Cùm igitur animo ita eſſet cõfirmatus ac perſuaſus, vt cauſam veritatis, quam turpiter deſeruerat, omni animi contentione tueretur, abiecto omnium periculorum & malorum metu, cœpit palàm dicere, vt illam ſuam abnegationem ac proditionem præclariſſima confeſſione reſarciret; ſe tantò magnificentius* Deum Chriſtúmque Filium *eius confeſſurum, quãtò turpius indigniúſque antea illum abnegauerat.* Itaque *hoc ſpiritus ſtudio*

ſummóque

Fanini conſtantia deuicta.

Veritatis abnegatio ſumma crux animi

Faninus animo confirmatur.

ſummóque ardore inflammatus, omnem illam regionem Romaignam *peragrans, ſingulas vrbes adibat, in quibus publicè puram* Euangelij *doctrinam tanta vi ſpiritus & conſtantia annuntiabat, vt omnes maxima admiratione afficeret. Si verbum* Dei *quibuſdam in oppidis ac locis publicè non erat ita receptum, tum priuatim ad certos homines aliquos accedebat, vt hoc modo experiretur qui eſſent dociles capacéſq; percipiendæ eius doctrinæ, quæ in* Euangelio *continetur. In quibus quidem docendis atque inſtituendis quantum poterat, elaborabat, vt eos ad cognitionem voluntatis* Dei *& ſalutis viam adduceret. Dicebat autem ſe in ijs inſtituendis, quibuſcum verſaretur, huiuſmodi ratione vti & ordine, vt primùm ex eorum animis euelleret prauas impiáſque opiniones ac errores quibus erant occupati atque perſuaſi: quo intelligere ac ſentire poſſent eam impietatem in qua erant iandiu confirmati: deinde paulatim eos ad meliorem diſciplinæ vitæque rationem adduceret. Atque ita eos erudiebat, vt temporis progreſſu ad maiorem veritatis cognitionem deduceret.* Hoc *quidem certè magni æſtimabat, cùm ex aliquo loco diſcederet, ſi duos aut tres in vera pietatis doctrina informaſſet: propterea quòd vnuſquiſque eorum rectè inſtitutus, alios ipſe docere atque inſtituere poterat: cæteri idem ſi facerent, maximum fidelium hominum numerum futurum.* Porrò *cùm hæc ita gererẽtur, pius homo* Faninus *captus eſt quodam in loco cui* Bagnacauallo *lingua* Italica *nomen eſt, in quo cùm capitis damnatus eſſet vt igni cremaretur, gaudere cœpit, dicens, horam ſuam nondum veniſſe, ſed hunc eſſe tantummodò doctrinæ ſuæ introitum, vt plus alijs prodeſſe poſſet, & in eo quidẽ verũ dixit: nam paulò pòſt* Ferrariã *deductus eſt, vbi multi fideles, pijs eius exhortationibus nõ mediocrem conſolationem acceperunt magíſque in timore* Dei *ac vera pietate ab eo inſtituti ſeipſos in propoſito gratiæ diuinæ confirmarũt, ſed* Papa Roman. *qui ſua ſemper cogitat veritus huius hominis parrheſiam mandauit vt* Faninus *arctiore cuſtodia teneretur.* Itaque *interioribus arcis ergaſtulis incluſus octodecim menſes fuit, ibíque grauia tormenta perpeſſus, grauiora etiã paſſurus, ſi* Dominicani *eius vrbis eum apud ſe habere potuiſſent.* Et *quanquam carcerem eius ſæpè mutarent, cúmque nunc in hunc, nunc in illum locum tetrum atque horribilem includerent: hæc tamen animum*

Verę inſtitutionis ad pietatem ratio.

Faninus Bagnacauali captus.

Ferrariam ducitur.

mẽtémque ipſius non mutarunt:ſed idem qui antè extiterat,cõſtans in ea fide qua Ieſum Chriſtum *amplexus fuerat permanſit*. I*ncludebatur aliquando ſolus in carcere, ab alijs ſeparatus: aliquando cum alijs captiuis coniungebatur. Sed peræquè illi erat, propterea quòd vtraque in ratione fructum aliquem ſemper adferebat.nam & alios,quos in conſuetudinè ſua habere poterat,cùm exemplo vitæ modeſtæ,tum optima pietatis doctrina inſtituebat*. H*ac verò priuatus vitæ ſocietate,in ſolitudine cõſtitutus,perpetuò ſcribebat aliquid,ſuíſque ſcriptis demonſtrabat, quod coràm ſermone declarare non poterat*. D*enique incluſus fuit in quodam carcere,vbi erant primarij duces ac principes hominum factioſorum, qui in* I*talia plerunque partes ſectáſque facientes, magnorum authores motuum exiſtunt.à quibus pius homo ſæpe atque aſperè diuexatus eſt, propterea quòd ſcelerati homines, qui videbant illum ita loquentem, arbitrabantur aliquem melancholicum humorem,vt vulgò dici ſolent, in cerebrum eius aſcendiſſe,atque ita mente eſſe alienata. porrò etiam homines cauti ac prudentes, officio monitorum apud eum vtebantur, demonſtrantes eam opinionem ei eſſe deponendam, liberè cum hominibus viuendum, neque fatigandum animum, ſed quieſcendum eſſe quoad de huiuſmodi rebus eccleſiaſticis aliquid communi concilio decretum eſſet.* T*um* F*aninus,vt erat homo admodum modeſtus & ſumma comitate præditus, primùm de ſolicitudine & cura quam haberent de ſalute ipſius,gratias egit. deinde eam doctrinam, quam conſtanter tuebatur, oſtendit non eſſe humorem aut opinionem in ſuo natum ingenio, ſed puram* D*ei veritatem, in verbo atque* E*uangelio* I*eſu* C*hriſti reuelatam hominibus, & his maximè temporibus reſtitutam: ſe nullo modo conſtituiſſe hanc certiſſimam veritatem abnegare, vt mendacijs hominum adhæreſceret. quòd verò ad animam, quæ ſanguine filij* D*ei redempta eſſet, ſuauiſſima frui libertate*. D*e concilio verò dicebat ſe nullam aliam ſententiam & authoritatem expectare aut velle, quàm eam quæ in* E*uangelio declarata ei conſtaret. nam* C*hriſtum* I*eſum, cùm illud lætum gratiæ & ſalutis nuntium attulit, concilium ac decretum huiuſmodi annuntiaſſe,atque morte ſua confirmaſſe, vt nulla confirmatione alia opus eſſet.* H*uiuſmodi verbis illorum animos ita commouit,vt eos*

ad

Faninus cũ factioſis includitur.

Chriſtiani ſoli liberi: etiãſi carcere detineantur.

ad rationem vitæ melioris reuocarit, ad eámque adduxerit admirationem, vt eum ſanctum virum appellarent. Quod cùm ille animaduertiſſet, eos ita confirmauit, Equidem, *fratres, ſcio & agnoſco me miſerum eſſe peccatorem: ſed fide, qua de gratia* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti *perſuaſus ſum, peccata mihi condonantur: quemadmodum veſtra vobis quoque ignoſcentur, ſi* Euangelio, *in quo certiſsimum eſt gratiæ* Dei *teſtimonium, firmam fidem habeatis.* Erant *prætereà alij captiui, qui molliori ac lautiori vitæ aſſueuerant: quibus commutata iam conditio maximum dolorem afferebat. ſed eorum dierum conſuetudine, quam cum* Fanino *habuerunt, ita fuerunt recreati, vt eam vitæ rationem moleſtiæ atque acerbitatis plenam, non tam grauiter indignéque ferrent, neque liberationem ita vehementer appeterent: ſed huiuſmodi captiuitatem ſibi quodammodo gratularentur, de eáque gloriarentur, per quam in meliorem libertatem, quàm vnquam antea edocti fuerant, vocati eſſent.* Porrò *parentes eius, de ipſius ſtatu certiores facti, facilè intellexerunt eo illum in diſcrimine verſari, vt de vita eius actum eſſe videretur.* Itaque *vxor ſorórque* Fanini, *ad carcerem acceſſerunt.* Res *erat planè acerba, cùm hæ duæ mulieres, quarum altera amore fraterno, altera maiore beneuolentiæ & charitatis coniugalis vinculo apud eum plurimum valere poterat, ambæ mœſtæ ac mœrentes, cum fletu ac lachrymis eum orarent, obteſtarentur, monerent, vt ſi ſui nollet rationem aliquam habere, memoriam certè & beneuolentiam curámque erga liberos ſuos ſuſciperet & conſeruaret.* At *verò* Faninus *eis ita reſpondit, ac tenerrimo naturæ ſenſui admirabili fidei conſtantia ita reſtitit, vt qui videbant & audiebant, admiratione tantæ virtutis atque magnitudinis animi, attoniti viderentur.* Dominus, *inquit, meus & magiſter, mihi non mandauit vt ipſum abnegem familiæ cauſa tuendæ meæ. vobis quidem ſatis eſſe debet, quòd propter vos ſemel in eam perfidiam ſum delapſus quam ſcitis.* Quanquã *gratia* Dei *non ita turpiter lapſus fuiſſem, ſi hanc tantam cognitionem, quam poſt illum lapſum mihi dedit, habuiſſem.* Sed, *obſecro, domum vos recipite in pace. ego enim planè ſcio,* Deum *vſque ad hunc diem*

Carceris aſperitas lenior fit aliis Fanini conſuetudine.

Fanini conſtantia.

opera mea vſum fuiſſe: nunc finem meum appropinquare, vt ex hac vita me ad eum conferam. T*um mulieres illæ cum magno eiulatu ac multis lachrymis diſceſſerunt. ipſe verò ſine vlla animi perturbatione in illa ſua admirabili conſtantia firmitatéque permanſit.* Porrò Paulo

Iulius III. P.P.

P*ontifice mortuo, ſucceſſor eius* Iulius *tertius, id temporis* Papa *creatus, miſit literas, quibus iubebat vt* Faninus *vita priuaretur.* Itaque *miniſter quidam magiſtratus eum conuenit, ac ſignificauit ipſum veſperi in communem ducendum eſſe carcerem, propterea quòd capitis damnatus eſſet.* T*um verò* Faninus *miniſtrum eum nuntiúmque mortis ſuæ amplexus ac deoſculatus, pro allato nuntio huiuſmodi tam grato atque exoptato gratias ei egit, ac dixit,* Ego *verò, mi frater, mortem quam nuntias mihi, æquiſſimo animo ſuſcipio propter* Dominum *& ſaluatorem* Ieſum Chriſtum, *qui vt me à morte redimeret, vitæ non pepercit ſuæ.* De*inde perlongum ſermonem habuit de felicitate vitæ ſempiternæ, coram iis qui tum ibi aderant. quorum quidam ei dixit,* Quo *in ſtatu nunc diſcedens liberos tuos relinquis? quem tutorem & vicarium tui abſentis mortuíque inſtituiſti? obſecro te, mi* Fa*nine, vt paruulorum liberorum tuorum recorderis, vxoríſque tuæ, quam tantoperè diligis, miſerearis.* Ego, *inquit* Faninus, *optimum omnium tutorem curatorémque illis reliqui, in cuius quidem certiſſima & fideliſſima cuſtodia tuteláque eos perpetuò fore tibi affirmo.* T*um ille quæſiuit quiſnam ille foret.* Dominus, *inquit,* Ieſus Chriſtus, *fideliſſimus eorum tutor & conſeruator futurus eſt.* Ita *digreſſus ex eo loco, in manum ciuilis magiſtratus eſt traditus: cúmque in cubiculo quodam incluſus fuiſſet, compedibus eum conſtrinxerunt, háncque ſolam impertierunt gratiam, vt manus ſolutas liberáſque haberet: reliquo verò corpore toto vinctus & conſtrictus fuit.* Interea *nullus ex vrbe eum adire poterat, niſi ij qui ex domo & familia* Præfecti *erant eiúſque ſatellites, aut ij qui apud* Præfectum *gratia valebant. qui autem potuerunt ad eum accedere, quorum magnus fuit numerus, dicebant eum diabolum habere in corpore: ea etenim vi ipſum loqui vt eum à diabolo occupari oporteret. nam hoc quidem modo profani homines, de veritate* Dei *contumelioſè loqui ſolent.* Verùm *cùm eximiam eius conſtantiam propius aduerterent, ſummámque animi æ-*

Quis liberorũ optimus tutor.

Faninus arctius conſtringitur.

quita-

quitatem atque tranquillitatem aduerſus omnem mortis horrorem comparatam viderent, & in ore nihil eum niſi verbum Dei *habere, & totum ardore Spiritus cæleſtis accenſum atque inflammatum, cœperunt vt cæteri, oculos in eum ſuos intendere, auréſque ad eum attentè audiendum adhibere.* Mulieres *quidem eorum qui erant in magiſtratu, cùm audirent eum tanta ſuauitate & gratia loquentem, à fletu ac lachrymis continere ſe non poterant. quinetiam ipſe carnifex, eius mortis adminiſter, non potuit ſe à lachrymis temperare.* Faninus *autem eis dicebat,* Fratres mei, Deus *quidem vobiſcum ſit: ſed veniſtíſne vos huc, vt mecum vna gaudeatis quòd ex hoc mundo decedens, in cælum ad* Deum *meum concedo?* Deinde *ſurſum oculos attollens ſuos, tanta vehementia ardoréque precabatur, vt quaſi igneus exardeſcere totus videretur.* Tum *paulò pòſt animo & vultu ita hilareſcebat, vt omnium oculos in ſe conuerteret, omnéſque ad ſe alliceret, vt etiam ij qui ad eum accedebant vt ipſum confirmarent, conſolationem ab eo acciperent.* Fuit *quidam ex amanuenſibus publicis, qui eum monuit, ſi quod profeſſus erat retractare vellet, conſilium* Papæ *non eſſe vt ipſe moreretur.* Cui Faninus *tum ſubridens reſpondit, ſi quid haberet falſi aut praui, poſſe facilè coargui atque conuinci: ſed eam vim eſſe veritatis, vt quamuis laboret aliquando, opprimi tamen nunquam poſſit. itaque ſe nullo modo velle ita liberari, vt veritas obſcuraretur atque extingueretur.* Sed *amanuenſi illo relicto, quoniam id quod ab eo proponebatur non erat ita magni momenti, cœpit exponere multos ſacræ Scripturæ locos: ac quò maiorem authoritatem haberet oratio,* Latinum *textum proferebat, ac memoriter pronuntiabat. quæ res erat non parua admiratione digna: propterea quòd homines ſatis ſciebant eum in lingua* La*tina exiguè verſatum atque exercitatum eſſe. is tamē magnum numerum locorū ac teſtimoniorū adducebat, ſinguláq; capita ita allegabat, vt in nullo falleretur, vt omnes facilè animaduerterent eū Spiritu* Dei *regi & gubernari.* In *his etiam pronuntiauit quoſdam verſus, quos de iuſtificatione, de prædeſtinatione, & alijs quibuſdam grauiſſimis fidei capitibus compoſuerat.* Sed *quoniam paulò lætior hilariórq; eſſe videbatur, exultaréque immoderatius: quidam ex ijs qui ibi ade-*

Qui prius exiſtimabant Faninum dæmonium habere, ii iā ipſū audiunt.

Faninus memoriter Scripturæ locos explicat.

rant, ei dixit, Quid cauſæ eſt, quòd tu nunc tantopere lætaris? nam ſi Chriſtus, cùm mors ei impenderet, præ animi triſtitia ſanguinem & aquam ſudauit, Patrémque orauit cum ſummo animi angore ne more- Quare Faninus in morte adeò ſit lætus. *retur: quid habes tu, cur hac tanta lætitia efferaris?* Ei *tum* Faninus *re-ſpondit,* Dominum *Ieſum, quamuis nullum vnquam peccatum habuiſſet: tamẽ cùm noſtra cauſa iudicio* Dei *vellet ſatisfacere, omnes noſtras infirmitates ſuſcepiſſe, pœnáſque omnes luiſſe ac perſoluiſſe, quæ peccatis noſtris debebantur, ita vt cùm in horto eſſet & in cruce ſuſpenſus, veros mortis dolores ſenſerit, eáſque inferorum pœnas, quas nos meriti iurè perferre debebamus. itaque eam cauſam fuiſſe cur in horto tanto animi angore affectus afflictúſque fuerit: quoniam in carne noſtra mortem noſtram infernúmque ſentiebat.* Ego *verò, inquit, qui vera fide* Fiducia in Chriſtum lætitiæ cauſa. *poſſideo benedictionem* Ieſu *Ghriſti, ea nunc perfruens, maximoperè lætor planè perſuaſus, quòd moriens in vitam transferor ſempiternam & beatam. Cur igitur ego non lætarer, cùm huiuſmodi fiduciam atque ſpem habeam?* Porrò *cùm* Faninus *hac cõſolatione perfuſus ita loqueretur, ecce tribus horis ante diluculum duxerunt eum in plateam vrbis ne populus poſſet adeſſe, eáque audire, quæ ipſe ante mortem dicere cõ-* Crux lignea Papiſtarum. *ſtituerat.* T*um verò de more crux ei allata eſt, quam cùm vidiſſet, Obſecro vos, inquit, ne tantum laboris ſuſcipiatis, an exiſtimatis vos memoriam* Domini *noſtri* Ieſu *Chriſti in cælo viuentis ac regnantis, hoc fragmento ligneo mihi magis renouaturos ac confirmaturos, quam ego in corde meo infixam habeo?* Et *ſimul genibus in terram poſitis* Deum *ſummo animi ſtudio precatus eſt, verbis maximi ardoris pleniſſimis, quibus à* Deo *petebat vt ipſe pro ſua gratia & miſericordia mentes cordáque occæcata miſerorum eorum hominum qui ibi aderant, illuminaret.* Deinde *cùm ſeipſum ad trabem ac funem, qua ſuſpendẽdus atque ſtrangulandus erat, compoſuiſſet ac præparaſſet, hilaris dixit carnifici, vt quod ei mandatum eſſet perageret.* Ita *ſemper ſe commendans* Domino *Ieſu Chriſto, eúmque orans vt animam ſuam reciperet, laqueo vitam finiuit. circiter verò horam prandij conſuetam, in eodem loco quũ corpus eius combureretur, plerique dixerunt ipſum vaporem, qui ex* Gratiſſimus odor mortis piorum. *corpore eius exhalabat, quaſi gratiſſimum mortis eius odorem, in mẽtes multorum hominum penetraturum, maiorémque vim ad homines*

admo-

ɩdmonendos & conſolandos habiturum, quàm verba illius habuiſſent. Conſuetudo autem in ea regione eſt, vt oſſa & cineres relicti, extra vrbē deferantur, ſed nec Præfectus, nec inquiſitor, nec Epiſcopus, nec magnus eius vicarius, nec vllus Theologus id negotium ſuſcipere voluit: vnuſquiſque eam curam à ſe reijciēs & conferens in eum qui mortis illius cauſa fuiſſet: planè omnes apertè declarabant quid de eo homine ſentirent, quem innocentem fatebantur, neque mortem huiuſmodi commeruiſſe. Tandem populus negotium ſuſcepit vt oſſa eius vſtulata cum cineribus ex platea deportaret.

Quòd autem ad cauſas attinet, propter quas fuit ita condemnatus atque hoc ſupplicio affectus, non eſt magnoperè neceſſe eas hoc loco referre, quæ ex illius ſcriptis melius cognoſci poſſunt: in quibus apertè & copioſè exponit ea quæ & à ſe dicta & ab aduerſarijs obiecta fuerunt, & quemadmodum omnia à ſe diſſoluta & refutata fuerint. Is ſcripſit complures epiſtolas & multa alia, tum cùm in carcere teneretur. Inter alia eius opera, duo ſunt libri de Proprietate Dei, & alij duo de Confeſſione, totidem etiam de Modo ac ratione qua fidelis homo cognoſci, atque ab infideli diſcerni poſſit. Præterea ſunt eiuſdem centum homiliæ de maximis & grauiſſimis fidei capitibus, multáque alia ſcripta, quæ hic ſanctus Martyr Faninus poſt mortem ſuam reliquit.

Cauſę cur morti adiudicatus Faninus.

MACAEVS MOREAV.

SEQVENTI anno qui erat poſt milleſimum quingenteſimum quinquageſimus, Macæus Moræus Trecis Campanis (Troia in Campania à Gallis nunc nominatur) combuſtus fuit, atque in confeſſione huius piæ ſalutaríſque doctrinæ conſtantiſſimus ſemper permanſit. M.D.L.

IO. GODEAV, ET GABRIEL BERAVDIN.

IOANNES Godæus, Chinone Turonenſis Galliæ oriundus, & Gabriel Beraudinus patria Iuliodunenſis, cùm Geneuæ vterque habitaret, capti fuerunt Chamberiaci, quòd ſacerdotem quendam, nomine Dei contumelioſè in ſermone abutentem reprehendiſſent amicéque admonuiſſent. Godæus cùm doctrinam Euangelij puriſſimè integerriméque defendiſſet, ea in vrbe combuſtus eſt, menſe A-

M.D.L.

Lodunum hodie dicitur.

prili,anno M.D.L.*Gabriel autem* Beraudinus*, quamuis initiò, horrore tormentorum ſenſibus percepto, in confitenda veritate nonnihil vacillaſſet: ea tamen morte quam* Ioannes *perpeſſus erat, ita fuit animo cõfirmatus vt paucis poſt diebus idem genus mortis conſtanter ſuſtinuerit: adeò vt aduerſarij, cùm ſummam eius conſtantiam cernerẽt, ne poſſet loqui, linguam ei præcidendam curauerint.* Is *tamen ſanctiſſima quadam vi ſpiritus præditus, nunquam loqui deſtitit, adeò vt ſatis intelligeretur:* P*ræpoſitúſque qui eum ad vltimum ſupplicium ducebat, carnificem vehementer accuſarit, quaſi non benè ei linguam amputaſſet. Cui ille multis audientibus ſatis aſperè reſpondit, in ſua non eſſe poteſtate vt eum loqui prohiberet. Hi autem duo, multos veritatis ignaros ædificarunt, cùm ſummam fidei conſtantiam diuinitus datam, ad extremum vſque ſpiritum declararent ac præſtarent. hoc verò exemplum imprimis memorabile eſt eorum, qui cùm in eccleſia* Dei *Geneuæ piè vixiſſent ac* Deum *coluiſſent, egreſſi poſtea, doctrinam* Euangelij *in qua fuerant inſtituti, grauiſſimo conſtantiſſimóque teſtimonio & martyrio comprobarunt.*

Beraudinus cõfirmatur, Godæi cõſtantia.

Fructus mortis piorum.

THOMAS SAMPAVLINVS.

M.D.LI. T*Homas Sampaulinus, patria Sueſſionenſis, cùm ãno* M.D. XLIX. *cum matre, ac fratribus, aliíſque multis propinquis ſe* Geneuam *ad* Deum *purè colendum contuliſſet, reuerſus eſt in* Galliam *propter quædam ſua negotia, anno* M.D.LI. *quo in itinere magna in pericula incidit, cùm ſpiritu* Dei *permotus (quem puriſſimè in eccleſia aluerat) blaſphemias ferre non poſſet, ſed liberè eas reprehenderet atque alia vitia, quæ in eo* Galliæ *regno diuturna iam conſuetudine & licentia, veluti ius quoddam obtinuerunt, vt non ſine ſummo piorum periculo reprehendi poſſint.* Deus *tamen eum ex omnibus eripuit, & pro ſuâ ſingulari prouidentia, alium in locum theatrúmque celebrius reſeruauit, quod ei* Lutetiæ *ad* Euangelij *doctrinam confitendum, paratum erat & conſtitutum.* Is *igitur in eam vrbem cùm veniſſet, atque ibi quaſdam merces venderet, ferre non potuit cuiuſdam blaſphemias, quin cùm eum liberè redarguiſſet, comiter etiam pro ea qua præditus erat humanitate ac naturæ ſuauitate, monuit vt huiuſmodi verba contumelioſa, ſanctiſſimo* Dei *nomine indigna, euitaret. quare offenſus ille*

Thomæ Sãpaulini zelus.

Suauitas Thomæ & humanitas.

le tam ſancta admonitione, atque inter Papiſtas inuſitata quibus honos Dei pro nihilo ducitur, ſuſpicatúſque eum eſſe Lutheranum, (vt inuidioſo nomine appellant eos, qui piè de Deo ſentiunt) eum curauit diligenter obſeruandum, eiúſque veſtigijs inſiſtendum vſque ad domum in quam diuertebat. qua notata ac deſignata, eum ſtatim ad Ioannem Andream detulit, hominem nobilitatum ea crudelitate, quam in ſeruos Dei exercuerat, in qua ad flammas illas excitandas inprimis faces ſubdidit. Captus denique ac ductus eſt in eam comitialem curiam, quæ Caſtelletum Lutetiæ appellatur: vbi per conſiliarios eius curiæ, magis ex ore ipſius & confeßione, quàm ex chartis & commentarijs quos ſecum habebat, cauſa eius fuit informata atque inſtructa. Poſtremò ab ea curia fuit condemnatus vt viuus igni cremaretur: cuius quidem ſententiæ cauſa, fuit eximia quædam illius conſtantia in confeßione fidei ac veritatis cognita atque perſpecta: quam neque vllæ tormentorum minæ ei propoſitæ infringere vnquam potuerũt, neque promißiones huius ſuauißimæ iucũdißimæque vitæ, quam iudices, ſine vlla ignominia atque emendatione publica, ei promittebant deferebántque, ſi, quod ſenſerat ac teſtatus fuerat, vellet apud ipſos confeßione ſua improbare. Hoc autem illi cùm conſuetudine quadam adducti agebant vt eum perderent, ipſique religioni hac iudicij varietate, omnem detraherent authoritatem, tum etiam permoti commiſeratione quadam ætatis, in qua vix annum XVIII *egreſſus eſſe videbatur. ſed ſingularis Dei bonitas & veritas, quæ nullis rebus vinci vnquam poteſt, contra impetus omnes eum infractum inuictúmque effecerat. Nam cùm quæſtio de eo tam vehementer atque acriter, quàm de vllo vnquam latrone aut ſicario homine, habita fuiſſet, vt ſocios fideles homines quorum conſcius eſſet, nominaret: Deus tanta animi vi eum confirmauit, vt nullum eam in partem verbum exprimi potuerit: nec vlla mentio facta fuerit eorum quidem, qui maximè ab aduerſarijs poſcebantur. eos verò ſolùm nominauit, qui aduerſariorum manum, dominatúmque Antichriſti effugerant, ac iam in liberis ciuitatibus degebant. ita Deus Sampaulinum gubernauit, eóque robore muniuit, vt ſuo indicio neminem in periculum adduxerit: nam iudicibus qui inſtabant, eúmque premebant, ita dicebat, Cur*

Lutherani qui dicatur apud Papiſtas.

Io. Andreas librorum propola P. Liſeti & Sorbonicorũ emiſſarius.

Sampaulini conſtantia.

Sampaulinus neminem ſuo indicio in periculum adducit.

me tam atrociter torquetis, vt vobis tot probos homines nominem? quæ vtilitas ad vos redibit, cùm eo modo eos quo me nunc torquetis, cruciaueritis? ſanè ſi referre veſtra exiſtimarẽ, eorũ nomina quemadmodum & cæterorum, nunc proferrem: ſed certò ſcio vos in eos, ſi in veſtra poteſtate haberetis, maiore ſæuitia atque atrocitate ſuppliciorũ, quàm in meipſum, vſuros eſſe. Nihilominus *tamen tortores illi & carnifices in illa immani crudelitate obfirmati, oĩa odij ſui, ſæuitiæ ac furoris inſtrumenta ad eum iam ſatis afflictum & propè confectum, magis adhuc cruciandum & lacerandum adhibuerunt atque explicarunt, cùm ſummis tormentis, tum etiam clamoribus eum vrgentes prementéſque vt ſocios indicaret: aut ſe eius corpus in fruſta diſcerpturos.* Denique *tortorum manus in huiuſmodi quæſtione exercenda fuerunt fatigatæ.* Maillardus *verò, egregius doctor &* Sorbona *dignus, ac plerique eius ſimiles, à curia accerſiti vt* Thomam *conuerterent, perculſi tanta in iuuene conſtantia, exclamarunt, vehementius arctiúſque torquendum.* Homines *fide digni audiuerunt ex* Auberto, *qui vnus erat è numero vrbanorum conquiſitorum vrbis* Pariſienſis, *qui tũ ei quæſtioni præerat, homo ad ſæuitiã procliuis, tũ verò maximè cùm de religione ageretur: cũ tamẽ tantã atrocitatẽ ferre non potuiſſe coactúmque fuiſſe præ lachrymis ſeorſum recedere: eundem porrò dixiſſe pluribus audientibus, ſe multis de rebus cùm priuatis, tum etiã ad diſquiſitionem* Lutheranam *pertinentibus loquutum eſſe: ſed eum ſibi iuuenem probum integrúmque viſum fuiſſe. Cùm autẽ eorum immaniſſima crudelitas, ſingulari* Thomæ *fide, conſtantia, animíque magnitudine ita victa fuiſſet, tandem fuit ductus ad plateam celeberrimam* Malbertinã *appellatã, vt ibi viuus cremaretur, habẽs in comitatu ad conſolationem ſuã doctorẽ* Maillardũ, *vt eum ab inuocatione nominis* Dei *auocaret, atque ad omnem aliam fallacem ſpem cogitationémque traduceret. is* Thomæ *ſæpius dixit, ſe ab ipſa* Curia *mandatum habere, vt vitam ei offerret, ſi priſtinam fidei confeſſionem vellet contraria teſtificatione improbare. ad quod cùm alter reſpondiſſet ſe millies mori malle, ſtatim in aerem ſublatus eſt: vbi ſimulatque cœpiſſet populum de gratia* Dei *& ipſius ſalute admonere, ignis ſubiectus exarſit. eum autem cùm vehementer ſentire cœpiſſet, ſubitò ex*

Maillardus doctor Sorbonicus.

Sorboniſtarum crudelitas etiam impiis odioſa.

eo

ro fuit extractus hortatu ipſius Maillardi, *qui ei affirmando incolumitatem promittebat, ſi commutata ſententia vellet ſummam Curiam appellare. hoc autem ille agebat, exiſtimans ſe de eo triumphaturum, cùm horrore mortis ipſum ac ſenſu tormenti, de ſententia deieciſſet.* Sed *Deus verus fideliſque in ſuis promißis, oculos ei aperuit, vt contemplaretur excellentem ipſius gloriam, ad quam vocatus, toto animi ſtudio ac deſiderio aſpirabat.* Itaque *maxima voce eis dixit,* Cùm *ego fuerim in via vt irem ad* Deum, *remittite me in eam ac me ire ſinite.* Ita Thomas Sampaulinus, *cùm fortiter, vt egregius miles* Ieſu Chriſti, *cauſam eius & gloriã* Dei *propugnaſſet, atq; admirabili conſtãtia defendiſſet,* Lutetiæ *coronã martyrij eſt adept⁹,* XIX. *Sept. anno* M.D.LI.

Studium impiorum vt de gradu conſtantiæ pios deiiciant.

CLAVDIVS MONIER.

M.D.LI.

CLaudius Monerius, *natus in vrbe ſancti* Amandi, Talanda *appellata, alio dicta nomine* Cathedra, *tribus milliaribus ab* Iſsiodoro *in* Aruernia, *cùm ea in vrbe &* Claromõte, *quæ* Gergobia *à* Cæſare *nominata, metropolis eſt totius* Aruerniæ, *ſcholas aperuiſſet: ac iuuentutem imprimis in timore* Dei *eiúſque verbi cognitione inſtituiſſet, in ſuſpicionem venit apud eos qui huiuſmodi integritatem ac pietatem ferre non poſſunt.* Itaque *eum à munere ſuſcepto inſtituendæ iuuentutis remouerunt.* Poſtea *regionem* Aruerniam *locáque finitima obiuit, docens ſemper & annuntians verbum* Dei, *donec graui perſecutione eiectus illinc, cô ſe contulit vbi & doctrinam* Euangelij *receptam, & eccleſiam verbo* Dei *emendatam eſſe audiuerat.* Itaque Lauſannam *eſt profectus, vrbem in ditione* Bernenſium *poſitã: quæ quoniam non ſtudijs ſolùm religionis ac pietatis, verùm etiam omnis doctrinæ elegantis liberaliſque florebat, in ea aliquandiu ſtuduit.* Inde Lugdunum *profectus, aliquorum puerorum curam diſciplinámque ſuſcepit: quos in literis ſacris ita erudiebat, vt multis hominibus pijs cognitus, & in ſancta modeſtáque vitæ conſuetudine probatus gratúſque extiterit.* Erat *enim ſuaui, placido mitíque ingenio, quemadmodum complures homines teſtéſque fideles retulerunt: qui omnem eius & vitæ & doctrinæ rationem, ea in vrbe cognouerant. quam quidem ipſe etiam maximè declarauit ea nota, quæ veræ piæq; doctrinæ propria ſequi ſolet.* Nam *cùm aliquandiu in ea vrbe ita viuens docénſque verſatus eſſet, accidit vt die* Dominica, XV. Iulij *cùm ipſe do-*

Iſsiodorum & Claromons Aruerniæ.

Lauſanna vrbs in ditione Bernatium.

Ingenium & indoles Monerii.

mum cuiuſdam amici ac familiaris hominis veniſſet nunciaturus illi aduentum Præfecti vrbis, vt periculum vitaret: ac quum amicum extra portas deduxiſſet, reuerſus rediјt ad ædes amici, vt vxorem eius & familiam conſolaretur: hoc officio amici Chriſtianíque hominis perfunctus, in ea domo Præfectus eum quadam ſuſpicione motus comprehendit, ac deinde ad Officialem adducit, à quo interrogatus de præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus, receptíſque in Papatu ſuperſtitionibus ita reſpondit, vt ſubito periculo nihil planè territus eſſe videretur: ſed potius paratus ad ea omnia quæ homini Chriſtiano Euangelium profitenti propoſita, ſunt expectanda. Sed in iudicium poſtridie adductus, vt de pluribus rebus interrogatus fuit, ita de omnibus non minus conſtanter quàm prudenter commodéque reſpondit, ac veritati huiuſmodi dedit teſtimonium, in quo ſumma ſacrarum literarum cognitio & pietas cum pari magnitudine animi coniuncta eſſe videbatur. Cùm autem ab eo vehementiſsimè flagitaretur, vt eos nominaret, qui eam doctrinam ſequerentur, nullius vnquam fecit mentionem, niſi eorũ qui eò profecti erant vt nullum periculum eis pertimeſcendum videretur. Sed quandoquidem in carcere cùm detineretur nactus eſt Dei beneficio occaſionem ſcribendi exemplar quoddam actionum atque percontationum iudicialium aduerſus ipſum habitarum: illud hîc inſeremus vt ipſe in ſua ad fideles Lugdunẽſes epiſtola loquens audiatur

Monerius in iudiciũ adductus veritatem tuetur.

Claudius Monerius captiuus Ieſu Chriſti, omnibus fratribus pauperibus ſimul & diuitibus, electis à Deo ad hæreditatem immortalitatis perpetuámque in domo eius habitationem μετὰ ἀυταρκίας: Gratiam & fiduciam per vnigenitum Filium eius.

Antea quidem ad vos ſcripſiſſem, niſi papyrus aliáque ad ſcribendum neceſſaria mihi defuiſſent. Gratias ago quòd vobis adeò curæ ſim vt & certis hominibus & literis ad me miſsis facilè perſpexi Dominus in regno ſuo compenſet veſtram operam. Non latet vos, ni fallor, quo modo comprehenſus fuerim: reuerſus ſcilicet in domum amici quem deduxeram: ſex aut ſeptem ſatellites in eam irruunt infeſti ſanè animis, nec quenquam ibi reperiunt præter me extraneum. In ſumma, præda petita fruſtrati, me velut ſuſpectum arripiunt: ad Officialem deducor. Is vt primùm ingreſſus eſſem, rogat ex me, num corpu Ieſu Chriſti in pane eſſet. reſpondeo, me adorare Ieſum Chriſtum ſe

denter

tem in cælis ad dexteram Patris *ſui*. De *purgatorio autem quid ais? Quia, inquam, poſt mortem nullus eſt miſericordiæ locus, nihil etiam opus eſt purgatione. nam antequam ex his corporibus migremus, purgatos eſſe oportet.* De Papa *verò quid ſentis? inquit ille*: Epiſco-*pum equidem dicerem æquè atque alium, modò* Diui Petri *imitator eſſet. Sed quia eo die Dominico nempe, pauci habiti erant ſermones: poſtridie ad auditorium ducor, vbi à me ſtudioſè contendebant, vt dicerem ſi quos in hac vrbe noſſem, quibus familiariter vſus eſſem: quod genus vitæ aut quam artem profiterer, faſſus ſum, ſiquidem ille quem dixi amicus iam notus erat ipſis pro* Lutherano, *vt vocant, me ædes illius ſubinde frequentaſſe, nec alias inſuper quàm ab octo aut nouem diebus diuerſorium meum oliua penſili inſigne celebraſſe: in quo ego diuerterem, quòd in meditullio ciuitatis ſitum eſſet, quò facilius illic arte mea ſcitè ſcribendi ſcilicet, quæſtum aliquẽ facerem. illud autem diuerſorium minimè ipſis ſuſpectum eſt. Sequenti die venerunt tria religioſorum genera, ac tum ego accerſitus, cùm illi ſupra modum vrgerent vt nominarem mihi notos homines, vi magna coactus, cupiens vitare duriora tormenta, tandem duos nominaui qui iam à duodecim vt minimùm diebus diſceſſerãt, alter in* Angliam, *alter* Geneuam: *cuius quidem rei mihi teſtis eſt* Dominus. *Nam reuera, fratres mei, nihil meũ animum adeò cruciat, quum coram ipſis ſto, quàm ſi quando de vobis aliquid ex me audire volunt.* Inter *religioſos iſtos, inquam, variè vexatus fui, hinc inde me pupugerunt aduerſarij ſuis aculeis venenatis. Sed quoniam pluribus* Papiſtarum *articulis reſpõdendum erat, Quæſiuit ex me* Officialis *quid de votis ſentirem. dixi tanta voueri haud poſſe quin multò plura præſtari à nobis* Lex *ipſa requirat.* Deinde, *an inuocandi eſſent* Sancti, Reſpondi *ipſos precari ſine fide nequire, ac proinde fruſtra quos ipſos obtunderet*: Angelos *enim à* Deo *conſtitutos vt nobis obſequium præſtent ex præcepto eius.* Tum *etiam, ánnon oporteret recitare* Aue Maria *ad ſalutandã* Virginem. *Quum in hoc mundo, inquam, verſaretur, ſalutatione egebat* Angelica, *quia ſalute opus habebat perinde ac cæteri mortales. nunc autem quum plenè beata ſit, nulla illi maior optari poteſt ſalus.* Rogatus *præterea an habendæ eſſent imagines. reſpondi,* Quum *ingenium hominum adeò*

procliue ſit ad idololatriam, ac magis ſemper omnes occupatiſſimus & intenti ijs quæ oculis cernimus, quàm quæ nõ videmus, Chriſtianis nõ proponendas eſſe eiuſmodi imagines. Scitis enim, fratres mei, adorandum eſſe quod oculis non ſubijcitur: Deum nempe ſolum, qui Spiritus eſt. hunc itaque in Spiritu & veritate adorare oportet. Viſus nihil prodeſt, cor tantummodò ille deſiderat. De voto autem religionis, reſpondi vnam nos retinere & ſeruare religionem Chriſtianam. Quod ad horas canonicas attinet, negaui nos certis horis anxiè aſtrictos, ſed quoties nos ſpiritus Dei impelleret, precari: ac tum quidem attentius cùm neceſſitas aliqua vrgeret. Ventum eſt ad oleum illud ſacrum, ſalem, aliáſque eius generis nugas, quas aiebam merum eſſe Marraniſmum. Hîc cùm viderem Officialem hæſitare in voce Marraniſmi, declaraui illi quid ea ſibi vellet, dicens iſtiuſmodi vnguenta & ſalſamenta, prorſus redolere legem Marranorum, ac ſuperſtitionem Iudaicam. Ad extremum percontati ſunt num probarem ſiqui Pſalmos Dauidicos lingua vernacula canerent publicè. Quidni? inquam ego, modò id cum reuerẽtia fiat: omiſſis nimirum putidis cãtilenis, quarum putore atque ſpurcitie totus aer paſſim infectus eſt. Paucis diebus pòſt reuocatus fui, vt quid haberem animi cognoſcerent. Illi nihil me immutatum offendentes, à percontationibus prorſus abſtinuerunt. Tum ego rogaui, quínam eſſent aduerſæ partis. Officialis autem ſubridens, Sunt, inquit, plurimi qui diuerſas partes tuẽtur. Excipiebã ego, quòd optarem de fide mea interrogari. Iudex verò dixit ſatius eſſe vt confeſſionem meam in ſcripto exhiberem, quemadmodum Richardus fecerat. His dictis, me recedere iuſſerunt, ſe de ea re deliberaturos. nec ipſe eos deinceps vidi. Spero autem (ſi Deo placet) me ad vos miſſurum confeſſionem meam poſtquam illam nitidius deſcripſero. Hactenus de teſtatione mea. Reliquum eſt vt nunc in quo ſtatu ſint res meæ, & quid valeam cognoſcatis: méque vobiſcùm conſoler in hac noſtra captiuitate. Noſtram dico captiuitatem, quandoquidem vt me veſtram, ſic & vos meam ſentire oportet. Inter fratres enim omnia communia ſunt bona ſimul & mala.

Primùm, amici mei, ſiquidem Dominus veſtris impulſus precibus me patientia fulſerit, nolim in domo Regis eſſe, atque hunc carcerem

regi

regis palatio prætulero, ac potiorem duxero. nam ibi ſi fuero metuens veritatem profiteri, punget me atque intus accuſabit conſcientia: qui haud mediocris eſt cruciatus, ſed ipſis inferorum tormentis quodammodò grauior. cuius rei mihi teſtes eſſe poteſtis, quicunque inter Babylonios *vitam agitis. In ea, inquam, detinemini captiuitate, quæ mea nihilo eſt leuior. Corpore quidem liberi eſtis: ſed animæ veſtræ non ſine gemitu ferunt, non ferendum ſanè cuiquam iugum* Antichriſti. *Ac licet corpus meum intra quatuor parietes incluſum ſit: ſpiritus tamen habet quòd ſe in* Domino *oblectet: quum is me tanto honore dignatur vt me in ſocietatem* Filij *ſui ad ferendam crucem aſciſcat. Orandus eſt præcipuè* Dominus, *vt quàm illa carni eſt triſtis & amara, ſpiritui contrà tam iucunda & ſuauis reddatur, vt quo maiore metu illam antehac ſubire recuſaui, nunc fortiori animo complectar. Eheu, fratres mei, ſi guſtu percipi poßit ſuauitas quæ ſub hac cruce latet, nemo à ſe illam reijceret, ſed certatim omnes contenderemus, quò primus quiſque eam humeris ſuſtineret.* Multi *tum inuenirentur* Simones Cyrenæi *qui crucem portarent. Verùm caro noſtra tam delicata eſt, vt ne extremitate quidem digiti attingere velit. Precemur igitur, precemur, inquam,* Omnipotentem, *vt nos corroboret* Spiritus *ſui virtute propter* Filium *ſuum, ad ineundum certamen pro virili: quo ſuperemus omnes hoſtes noſtros, carnem, mundum cum principe eius* Sathana, *mortem, ipſos denique inferos. Sed præ cæteris non reperio capitaliorem hoſtem (quemadmodum ſæpe in precibus meis dicebam) quàm proditricem illam* Voluntatem *noſtram quæ perpetua nobis comes eſt. Ipſa cùm ſit domeſtica & familiaris, aliíque omnes exteri tantùm hoſtes, plus nobis ab illa metuendum eſt. Non enim caret dolis, probéque nouit ineſcare hominem. Si quis huic veneficæ indulget & aſſentatur, eíque placere ſtudet: ſi miſer eius maritus* Spiritus *aſtutiā & arrogantiam illius dißimulat & tolerat: tota repētè domus tumultu ardet, ſubit diabolus quo illa velut nitido fidit adultero. à quo tentata facile ſe patitur opprimi, nec fidem ſponſo datam rumpere veretur. id multum curat ſcilicet. Nonne ipſa ſceleratis parentibus, filia*

Horatius 1. epiſt.2. *ſceleratior? Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem* Teſta *diu, neceſſe eſt vt ortus ſui naturam referat, atque ad ingenium ſemper redeat improbum, niſi illam* Dei *gratia conuertat, vt patriam, familiam parentes, omnia denique quæ poßidebat prius, relinquat: atque adeò ſemet ipſa abneget.* Sed *quis tanti operis effector exiſtet? Quis niſi* Ieſus Chriſtus, *nouus maritus ac ſponſus omnium piarum animarum & voluntatem ſyncerarum. is eam de-integro immutabit, eámque liberam, obedientum ac placidam dabit. tum demùm caſtus erit lectus, nullis diuulſus querimonijs: nequaquam metuendum erit ne* Sathan *eius tentet pudicitiam. quandiu fidelis erit* Spiritui *ſancto, procul erunt omnes maligni ſpiritus. Quapropter, fratres mei, precemur aßiduè* Patrem *cæleſtem, vt creet in nobis cor mundum, det nobis cor nouum, gubernet ſemper volũtatem noſtram ſpiritus ſui ductu, ne adulter ille* Sathan *eam ſuis præſtigijs illudat, qui vt illam ad nequitiam abducat, nihil omittit, eámque aßumpta boni* Angeli *forma petit.* O *térque quatérque fœlicem* D. Paulum, *qui probè huius nouerat inſidias & quò tãti nebulonis calliditas tenderet exploratũ habebat.* Conſiderate, *quæſo, fratres mei & ſorores, an vllus locus ſegnitiæ aut ſocordiæ ſit, ac non potius aßiduas in ſpecula excubias agere debeamus, cùm tam cautos habeamus inimicos, maximéque periculoſißimum omnium in nobis ipſis domi certamen.* Dicat *nunc aliquis nos à cruce liberos, omníque moleſtia & prælio vacuos. nónne conſtat in hoc quàm* Iob 7.a.1. *verè dixerit* Iobus? *militia eſt vita hominis in hoc mundo? Quod quidem bellum perpetuum & funeſtum iure dici poteſt, ſiquidem in eo ad extremum vſque vitæ ſpiritum nobis dimicandum ſit, nec vlla ante mortem pax aut induciæ iniri queant.* Adhæc *nónne horrenda & ferox pugna eſt, quando ipſi noſmet petimus & nobis ipſi infeſtißimi hoſtes ſumus?* Atqui *ſi noſtri noſmet haud miſeret, quis quæſo nos reſpiciet?* Pater *nimirum omnis miſericordiæ, ei ſi videbitur: qui etiam inimicis ſuis benefacit, atque iniuria accepta beneficium reddit. faxit is pro ſua gratia, vt & noſtri & aliorum miſericordia tangamur.* Agite *ergo cõmilitones mei, ad prælium accingamur, ad arma, inquã, ad arma.* Bono *animo eſte viri fortes, & audacter in mediũ procedite.* Nequid *timeatis hoſtes. facilè ipſos ſuperabimus: duce enĩ Chriſto nihil deſpe-*

deſperandum, qui eos omnes pro nobis vicit. Spes itaque victoriæ eius nobis ſit loco galeæ. deinde clypeum aſſumamus qui ictibus telorum ſufficiat, fidem ſcilicet viuam, firmam & conſtantem. Videamus etiam atque etiam ne gladius nobis è manibus elabatur: enſis, inquam, Spiritus ſancti vtrinque incidens, qui eſt verbum Dei *viui, quod penetrat corda & animas, cogitationes omnes & voluntates, denique nihil ei reſiſtere poteſt. cuncta illi patent ac cedũt: illud proſternit inimicos ſuos, etiamſi ne ſtrictim quidẽ attingat. Solo verbo, vt ait* P*aulus, interficiendus eſt* Antichriſtus. *Sed diligenter cauendum ne quis hæc arma commutet ferro. nec enim ferrum, lacerti, equitatus, nec aliæ humanæ vires in militia* Chriſtiana *adhibendæ ſunt. relinquamus hæc omnia tyrannis atque* Rhodienſibus *equitibus, qui nihil non arrogant armis, & fuſtibus inculcare fidem hominibus conantur. Sed videtis quid proficiant & quàm fœliciter res ipſis ſuccedat.* Idem *illis impẽdet quod* Templarijs, *vt vocant, accidit, qui vna nocte omnes profligati fuere.* Capta *iam eſt* Rhodus *maximum illorum præſidium & munitiſsimum propugnaculum. atque ita paulatim amittent quicquid habẽt reliquum. eſt enim planta quam non plantauit* Pater *cæleſtis, quapropter etiam conuelletur.* Papa *cum fautoribus nequitiæ ſuæ nónne robore & potentia humana vtuntur, dum nos volunt cogere vt abiuremus* Ieſum Chriſtum: *contráque credamus* Antichriſto *falſámque religionem amplectamur?* Vincula, *ignes, & alia eorum tormenta rectè dici poſſunt, potentia tenebrarum & vis tyrannica. quæ quidem tyrãnis, etiamſi omni alio crimine vacarent, ſatis tamẽ arguit ipſos mãcipia eſſe* Antichriſti, *totúmque papatum plantam eſſe non bonam quæ tandem eradicabitur.* Turca *ſi cum papiſtis comparetur plus ſanè habebit humanitatis. nec enim quẽquam cogit ad religionis ſuæ abnegationem: cuius etiã in orationibus noſtris immemores eſſe nõ debemus.* Videtis *ergo crudeliſsimos in orbe tyrannos eſſe eos qui nomen* Chriſtiani *vſurpãtes, falſo prætextu ſanctitatis, vi occupant locũ* Filij Dei. Tempus *breui affore manifeſta ſunt præſagia, quòd iam* Papæ *dominatus multum imminuitur, alæq; ipſi præciduntur, dum ſe exoſum reddit* Principibus. Vtinã Deus *regnũ* Filij *ſui* Ieſu Chriſti *inſtauret,* Antichriſtum *verò ſede ſua pellat. fiet quando illi viſum fuerit. noſtrum eſt*

Rhodiẽſes equites fidem papiſticam armis propagare volunt.

orare & optare tātam generi humano fœlicitatem. Cæterùm ne cogitemus hæc humanis viribus perficienda. Deus enim, vt ait Paulus, *filium illum perditionis ſpiritu oris ſui conficiet.i.virtute* Verbi. *Quātos ammodò progreſſus fecerit in varijs regnis lenis ille ſpiritus oris* Dei, *verbum iſtud* Domini *amabile ſupra modum, abſque vllo tumultu, nulláque vi externa, res ipſa paßim loquitur.* Hoc *ipſum diuinum* Verbum *docet, haudquaquam certandum cum inimicis noſtris robore corporis aut ferro. Diſcite à me, ait* Ieſus Chriſtus, *quòd mitis ſum & humilis corde. Sanctis igitur armis contenti ſimus, de quibus ſuprà locuti ſumus, fide ſcilicet & ſpe quam in* Ieſu Chriſto *habere debemus,* Verbo *ipſius tantummodò præfulti.* Reſtat, *fratres mei, vt de charitate dicamus, cuius praxis inter homines parum eſt in vſu.* Nunc *etenim ſunt tempora, quibus* Chriſtus *charitatem plurimorum labefactatum iri prædixit, fruſtra nomen* Chriſtianorum, *fidelium & euangeliſtarum vſurpamus, fruſtra etiam libros Scripturæ euoluimus: fruſtra Scripturam ſemper in ore habemus, ſi charitas friget: nihil agimus, inquam, ſi illa non excolitur. An fides dare lucē poteſt abſque charitate? non ſecus quàm ſi lumini nō inſtilletur oleum. Charitas ſingularis eſt nota qua veri diſcipuli* Ieſu Chriſti *dignoſcuntur. Charitas certißimus eſt noſtræ fidei teſtis. Charitas de pluribus vnum cor & vnam animam efficit. Charitas puſillum gregem compellit in vnum. Charitas communionem* Sanctorum *conciliat. Qui charitatis expers eſt, inquit* Ioannes, *in morte manet, in tenebris verſatur, atque homicida eſt.* Res *ipſa tam excellēs eſt, vt* Ioannes *ipſum* Deum *charitatem eſſe ſcribat. Cùm tanta igitur támque neceſſaria ſit charitas, vt ſine ea mortui ſimus, quantumuis nobis omnia proſperè cedant: orandus eſt aßiduè* Dominus, *vt in nomine dilecti* Filij *eam in cordibus noſtris accendat virtute Spiritus ſui, vt toti ardeamus eius amore, zelo gloriæ eius, & deſiderio eius videndi: quò tandem præſentes cum eo in æternum mutuo conſpectu fruamur, feſtúmque celebremus perpetuum in perfecta lætitia, hymnos & cantica ſpiritualia inceſſanter canentes in honorem & gloriam* Dei *noſtri.* Amen. Fratres, *ne cœtus veſtros celebrare omittatis, etiāſi paruo numero congregati: néue*

2.Theſſ.2.c.8.

Matt.11.d.29.

1.Io.4.b.8.

vſque adeò

vſque adeò veſtes aut anulos reſpiciatis.ſcitis quòd Diuus Iacobus eam curam vt inanem reprehendat. Æſtimet ſe quiſque minoris quàm cæteros. Frequenter inuicem inuiſite, ac præſertim imbecillos animo & corpore: veſtráſque domos ita conſtituite, vt meritò eccleſiolæ dici poſſint: atque dum corpus cibo & vino reficitis, ſermones habetote ſanctos. hac enim ratione familiam totam ædificabitis animæque paſtum ſimul & corpori præbebitis. Ne mea vos terreat captiuitas quo minus in officio ſitis, ſed potius meo exemplo firmiores nunc reddamini quàm vnquam antea. Hîc enim ſum vt aſſeram veritatem Dei in me operantis, precibus etiam veſtris aſſiduis adiutus, quibus me plus millies commendo. commendabo itidem me eccleſiis ſuperioribus. Quod ad me attinet, meminiſtis quantã mea deſideria vim habeant. Reliquum eſt, fratres mei, vt Deum orem, quò beneficia quæ à vobis in me adhuc in dies proficiſcuntur, ſua bonitate compenſet, quemadmodum iam initiò dixi: ſupplicans vobis coram Domino, vt mihi ignoſcatis quòd ea prudentia atque conſtantia inter vos non egerim qua oportuit. Nam reuera probè mihi conſcius ſum imbecillitatis meæ, quòd receſſerim quum me progredi opus eſſet. idque feci præ nimio metu hominum, aliíſque infirmitatibus, quas mihi condonet Deus merito Ieſu Chriſti Filij ſui obedientiſſimi, rogo. Miniſtris honorem exhibete, non velut idolis, ſed nuntijs Domini. De me autem ne aliâs ſoliciti ſitis quàm in orationibus veſtris. nam & me & mea Deo trado omnia, cui honos, laus, gloria exhibeatur cum gratiarum actione pro omnibus beneficiis in æternum. Amen. Rogo vos vt hanc epiſtolam in multorum manus tradendam curetis: non quòd illius dignitas id mereatur, ſed vt omnes ſimul fratres gaudere poſſint, & pro me Dei opem implorare. Saluto vos & amplector omnes in Ieſu Chriſto. Veſter frater Claudius Monerius.

Geneuẽſes ſcilicet & Lauſanenſes intelligit.

In carcere verò Lugdunenſis Archiepiſcopi quandiu fuit, & fideles homines Deúmq; timentes literis magnopere in fide vocationéque Chriſtiana cõfirmauit, & magiſtratus iudicéſque Lugdunẽſes de ipſorũ ſæuitia & crudelitate in filios Dei, atque intolerabili dominatione

grauiter admonuit. quæ fuit cauſa, vt in locis carceris profundioribus atque obſcurioribus demiſſus fuerit: vbi cum maxima corporis moleſtia & ærumna, vſque ad XXVI. diem Octobr. incluſus fuit, patienter conſtantérque perſeuerãs in ea fidei confeſſione quam antea præclaram ediderat. Quanquam ſæpius maxima vi impetúque tentationum moueretur, quibus ſathan eius fidem oppugnabat: tum etiam aduerſarij, qui varijs modis ac rationibus eum à propoſito auocare conabantur. ſed ſumma Dei benignitas eum ſemper in puritate fidei eiúſque conſtanti confeſſione conſeruauit. Itaque eodem Octobris die, qui fuit dies Lunæ, in maximam plateam ſummi templi nomine ſancti Ioannis appellati, deductus eſt: ibíque hæreticus palàm declaratus: deinde à vicario Archiepiſcopi Lugdunenſis motus de eo gradu, quem ſacerdotibus & ſuo clero conſecrare conſueuerunt: ac ita ea gradus neceſſitudine ſolutus, in manum ciuilis magiſtratus eſt traditus. indéque lætus, quòd turpiſſima illa nota liberatus eſſet, ad alium carcerem Roanam appellatum traductus, in foſſámque obſcuram miſſus vſque ad diem Sabbathi ſequentem fuit, pridie eius diei quem feſtum omnium Sanctorum appellant & celebrant. Eo autem profeſto die ſententia pronuntiata, capitis damnatus vt viuus igni cremaretur, in locum, Sacellum appellatum, deductus eſt, vt ibi expectaret illud tempus quo iudices pranſi fuiſſent. Ibi parum piſcis & panis viníque allatum eſt ei vt pranderet. Itaque cùm diu flexis genibus Deum oraſſet, atque aliquantum panis cœpiſſet ſumere, duo Franciſcani ad eum acceſſerunt: qui multis & varijs ſermonibus cum eo habitis, in quibus ab illo præclarè repulſi refutatíque fuiſſent, alio tandem tentationis genere aggreſſi ſunt, crimen edacitatis ei obijcientes, tempúſque illud non edendi eſſe demonſtrantes, ſed alia maiora magíſque neceſſaria cogitandi. Quibus ille cum ſumma manſuetudine lenitatéque reſpondit, ſe non ventris ac voluptatis cauſa comedere, ſed corporis tantummodò aliquantum confirmandi: ne ipſum, cùm ſit infirmum, promptitudinem ſpiritus interturbaret in grauiſſimo atque aſperrimo certamine quod ei ſtatim ſubeundum eſſet. Hoc reſponſo tam manſueto ſummæque æquitatis pleno, homines impudentes maximo pudore affecit coram hominibus quibuſdam qui eo

in loco

Tentationum impetus.

Roana, Regius carcer Lugduni.

Frãciſcani edacitatis crimen Monerio obiiciunt.

in loco aderant. Horam circiter ſecundam, ſuis exutus veſtimentis, curru ad locum ſupplicio conſtitutum ductus fuit: cuius conſtantiam, manſuetudinem, ſummámque patientiam cùm iudices viderent, continere ſe non poterant quin gemerent: quidam etiam lachrymas, eius innocentiæ indices ac teſtes, emitterent. Nam priuſquàm inde diſcederet, petijt ab illis vt ſibi liceret Deum orare atque inuocare. Id quod ea conditione ei conceſſum eſt, ne contra ipſos vllò modo loqueretur: aut eam ſibi pœnam eſſe propoſitam ſciret, vt lingua ei amputaretur. A carcere igitur ductus eſt vſque ad eum locum, qui à magnitudine terræ congeſtæ, atque ad Rhodanum vſque in amplam & longam plateam complanatæ, Territorij nomen habet, iunctis manibus vultúque ſemper in cælum erecto, aſpectúque læto atque hilari. Porrò cùm duceretur per vrbem magna hominum multitudine occurrente aut comitante, quidam obuius ei factus, eum his verbis ſalutauit, Vale in Chriſto. Qui ſtatim inſtinctu duorum Franciſcanorum qui ibi aderant, comprehenſus eſt. Cùm igitur ad locum ſuprà nominatum demonſtratúmque veniſſet, declarata fidei ſuæ ratione, & oratione Domini Ieſu pronuntiata, catena præcinctus eſt: deinde accenſo igne in aerem ſublatus: diu priùſquam moreretur, flammas eius perpeſſus eſt, ſemper orans atque hæc verba iterans, Mi Deus, mi pater: atque ita ſpiritum Domino reddidit.

Ad locum ſupplicii, quo vultu & qua conſtantia pergat Monerius.

GILLOTVS VIVIER,

& alii Vallencenis ob verbum Dei exuſti.

PErſecutionum tempeſtas, rurſus nos ad Hannonnieſes reuocat. Nam circa illud tempus, multi nomine Euangelij in carcerem coniecti fuerunt, grauémque perſecutionem paſſi in ea inferiore regione Flandrica quæ ad Hiſpanũ Regẽ pertinet, imprimíſque Vallencenis Hãnoniæ vrbe, comite Lalaino acerrimo eius perſecutionis authore ac principe. Inter alios iſti ſunt, quorũ memoria eſt cõſeruata: Gillotus Viuierus, natus in pago quẽ vocãt San-ſaluatoris tribus milliaribus à Tornaco, homo pãni texẽdi artifex: & Michael Faber, ex eodem quoque loco affinis ipſius Gilloti, annos natus XIX, *patérque eius Iacobus Faber, annos* LX. *natus, pater Annæ quæ Gilloti vxor fuit, quæ paulò pòſt propter eandem Euangelij cauſam in carcerem coniecta eſt.*

Perſecutio memorabilis.

Comes de Lalain.

Eorum autem vnuſquiſque ſuſceptam Euangelij *veritatem conſtantiſsimè defendit.*Iacobus *verò* Faber *cùm in ſumma ætate ad agnitionem veritatis deductus eſſet, in eius profeſsione ac confeſsione adeò permanſit, vt nullis impeditus aduerſariorum quæſtionibus cauillíſque obiectis, ab ea vllo modo dimoueri potuerit. Si minus aduerſariorum argumentis ſatisfacere aut reſpondere poſſet, conſtanter tamen ad veritatem* Euangelij *prouocabat.*Neque *verò minus inſignis atque admirabilis fuit virtus* Annæ Fabræ, Gilloti *vxoris, quæ præclarum patris, fratris, maritique exemplum fideíque teſtimonium imitata, eorum quoque ſupplicium ac martyrium aliquo tempore, puerperio videlicet abſoluto, poſt ſequuta eſt.* Nam *capitis damnata propter cõſtãtem Chriſti eiúſque* Euangelij *cõfeſsionem, eandem ignis pœnam mulier virili animo cum ſumma omnium admiratione ſuſtinuit.*

Annæ Fabræ conſtãtia.

MICHELLA *de* CAIGNONCLE.

E*Odem quoque tẽpore fuit fœmina primaria,* Michella *de* Caignoncle *nominata, viduáque relicta à* Iacobo Clerico, *qui ex eadem vrbe* Vallencenenſi *fuit ex qua* Michella *eius vxor.* E*a autem antequam in manus eorum incideret qui* Euangelium *perſequuntur, fuerat poſtulata in coniugium à quodam fideli atque honeſto homine, vt eam ſecũ in eccleſiam verbo* Dei *emendatã ac puræ religioni reſtitutam adduceret. Quod quidem illa recuſauit, modeſtiſsiméque excuſauit, non quòd in eum hominem amicam nõ haberet voluntatem: ſed quòd Spiritu* Dei *nondum ſe impulſam eò diceret, vt patriam ſuam relinqueret: at contrà in propoſito gratiæ* Domini *atque eius vocationis cõfirmatam, vt pura & integra ab omni idolorũ atque abominationum pollutione conſeruari poſſet. Quòd ſi in huiuſmodi ratione vitæ caperetur,* Dominum *pro ſua benignitate & conſuetudine, virtutem eam daturum, quã prædita confiteri ſanctiſsimum eius nomen poſsit, id quod etiam ſummo cum honore* Dei *& ſingulari fœminæ exemplo præſtitit.* Nam *cùm capitis damnata eſſet, vt cum* Gilloto *ac cæteris, quorum ſuprà mentio facta eſt, viua combureretur, ad ſupplicium ducta cæteros ad conſtantiam hortabatur, oſtendẽs ipſos iudices à quibus erant condemnati & qui ad illud ſuppliciũ conſtituendũ aderant, nõ poſſe aliud habere quàm horrẽdã & ppetuã cõſcientiæ carnificinã:*

Cur patria excedere recuſarit Michella.

Inſignis conſolatio.

cùm

cùm ipſi qui paterentur, placidiſsima animi pace ſummáq; certitudine ſalutis ſuæ fruerentur. Itaq; Pſalmos canens & laudes Domini, *animo non ſolùm æquo, ſed etiam lubenti lætóque ſuum reddidit ſpiritum ei, cuius nomine pœnam mortis propoſitam ſuſtinebat.*

MAVRICIVS SECENAT.

M*Auricius Secenatus fuit natus in ijs mõtibus, qui quoniã Prouinciæ* Narbonenſi *adiacent, Græcè videntur eſſe appellati* Κέμμοι, *Gebenni nunc vulgari* Prouincialium *lingua appellantur.* Propri*us tamen eius patriæ locus S.Saturnini nominatur, prope montem* Co*letum in* De*za, vnum ex ijs montibus qui paulò antè nominati ſunt. Is igitur* Mauricius *cum* Nemauſi *ſtuderet literis, ſtudiáque humanitatis cum pietate cõiungeret, in qua eos quos poterat in ædibus priuatis inſtituebat, captus eſt anno* M.D.LI. *atque in arcem eius vrbis incluſus, in qua cùm à* Locumtenente *eius curiæ quadam arte & ſumma prudentiæ humanæ moderatione de ſua fide interrogatus fuiſſet, ita reſpondit, vt diſsimulata veritate quam debebat cõfiteri, incolumitatem vitæ adepturus eſſe videretur. Nã ita ſolent agere aſtuti homines vt artificioſè & callidè totam interrogationem moderãtes, fideles homines à vera Chriſti confeſsione abducant. Sed interrogatione à* Iudice *primario repetita,* Mauricius *tanto dolore diſsimulatæ veritatis affectus eſt, vt eam perfidiam Chriſtiana teſtificatione corrigendam ſibi eſſe exiſtimauerit. Itaque à primario* Iudice *interrogatus, ita liberè conſtantérque reſpondit, vt ipſius confeſsionem ſententia capitis & pœna ignis ſit conſecuta, quam ſumma cum lætitia ſuſcepit ac pertulit. Eius autem mors præclara & beata omnes fideles* Prouinciæ Narbonenſis *maximoperè in fide Chriſti ac vera religione confirmauit,* XVI. *Auguſti, poſtridie eius diei qui* Virgini Mariæ *conſecratus in* Papatu *colitur.*

M.D.LI.

Gebenni montes.

Aſtutia Iudicum qui cognouerunt veritatem.

IOANNES *à* PVTEO.

Hic vulgò Medicus appellabatur.

V*Cetiæ in* Prouincia Narbonẽſi, *eodẽ tẽpore ac mẽſe quodã die* Lunæ *menſis* Aug. *nomine* Euãgelij *ac religionis crematus eſt* Ioannes, *cognomento dictus* Medicus, *homo literarum omniũ imperi-*

M.D.LI.

Vzez in Prouincia.

tus, in ea vrbe artificio vtens eo, quod ad ligna cædenda tractandáque pertinet. Is autem doctrina Euangelij *tum imbutus fuit quum* Epiſcopus *eius vrbis, rebus quietis ac tranquillis, ſine vllo perſecutionis periculo, veram pietatis diſciplinā neſcio quomodo amplexus, eam curarat &* Vcetiæ *& in tota diœceſi anunciandam, ita vt ab ijs verbi miniſtris, quos ad concionādum aſciuerat, forma quædam & ratio piè puréque docendi conſeruaretur.* Itaque Medicus *cùm eorum conciones diligenter atque ſtudioſè frequentaret, in agnitione veritatis fuit inſtitutus. Sed cauſa cur delatus ad* Prætorem *vrbis fuerit, atque in carcerem cōiectus, hæc fuit.* Is *puteum habebat cōtrouerſum cum alio quodam ciue* Vcetiēſi, *qua in controuerſia aduerſarius vt cauſam meliorē faceret, confugit ad ea remedia, quibus plerique hodie cauſæ diffidentes ſuæ vti ſolent, vt eos crimine hæreſeos cōficto obiectóque opprimāt quos non poſſunt iure atque æquitate cauſæ ſuperare.* Hac *igitur calumnia vtens, non modò in re priuata & parua aduerſarius, ſed in religione inimicus, non puteum ſolùm, verumetiam caput proximi ac vicini petere cœpit.* Atque *vt facilius quæ intentabat teſtimonijs comprobaret, omnes vinitores, quorū opera* Medicus *in vinea ſua vſus fuerat, conduxit, ac quid ille ſenſiſſet aut dixiſſet de religione, exquiſiuit atque ad* Prætorem *detulit.* Itaque Medicus *cauſa informata approbatáque ijs teſtibus, in carcerem coniectus eſt, in eóque de fide ſua interrogatus de cœna* Domini, *ita reſpondit homo illiteratus, vt à docto & literato nihil purius dici potuerit. nam & diſciplinam eam, in qua fuerat inſtitutus allegauit, ex qua didicerat* Chriſtum Dominum *in eo fruſto panis nullo modo eſſe incluſum, & illud caput fidei ſuæ protulit, in quo illum ad dexteram* Dei Patris *ſedere confitebatur.* Itaque *ea ſententia à iudicibus eſt condemnatus, vt ſtrangulatus primùm, igne deinde cremaretur.* Interea *autē cùm in ſacello quodā aſſeruaretur, dū ad ſupplicium duceretur, quidam facinoroſus, qui ob maleficia ſua flagellabatur, per eum locum ducebatur, quem cùm vidiſſet* Medicus, *cauſámque cur cæderetur intellexiſset, ſtatim exclamauit, beatos eſſe qui propter iuſtitiam paterentur, & carmen quoddam ſpirituale in eam ſententiam compoſitum, vſque ad locum ſupplicio conſtitutum cecinit*

Cauſa cur delatus ſit Medicus.

Chriſtus fruſto panis non includitur.

Nota.

Antè

Antè verò quàm laqueo præfocaretur, orans Dominum memoriter pronunciauit eam orationem, quæ Geneuæ die Mercurij in precibus ſolēnibus ad Deum haberi ſolet. Deinde propoſitam pœnam ſumma cum æquitate animi & manſuetudine, quaſi agnus ſuſtinuit. Huius viri conſtantia atque integritas tanta fuit, vt plurimos qui ab ipſa veritate alieni erant, ad ipſius cognitionem pertraxerit.

IOANNES IOERY, & Famulus ipſius.

IOANNES Ioerius natus in quodam pago Sanct-ioerio nominato, tribus milliaribus ab vrbe Albigēſi, maiore parte ætatis ſuæ Montalbani educatus fuit. Ex ea vrbe Geneuam ſe contulit ad maiorem pietatis cultum capiendum, atque in ea eccleſia purè Deū inuocandum. vbi cùm aliquandiu eſſet commoratus, menſe Iul. anni M. D. LI. atque ætatis ſuæ XXII. iter in patriam inſtituit, habens ſecum itineris comitem quemdam adoleſcētem, qui ei ſeruiebat. Vt autem aliquem profectionis ſuæ fructum & conſolationem fidelibus adferrent, ſecum libros piè de religione ſcriptos, deferendos acceperūt. quæ fuit cauſa, vt cùm eſſent Mendæ in Prouincia Narbonenſi, capti fuerint & condemnati vt igni cremarentur. Ab ea ſententia Ioerius (qui ſæpe amicis ac familiaribus dixerat, ſi Dominus ipſum vocaret ad teſtificandam veritatē, ſe maximè cupere Tholoſæ teſtimonium ei ſuum dare, & morte ſua obſignare) appellauit. Itaque Tholoſam ad ſupremam curiam miſſi fuerunt: vbi Ioerius amplam confeſſionem fidei ſuæ edidit, eámque confirmauit authoritate Scripturæ, in qua erat non mediocriter verſatus: in omnibúſque ſuis reſponſis ſe valdè modeſtum & temperatum præbuit. Neque verò adoleſcens ſeruus, pro ætate & cognitione qua præditus erat, minus gratiæ habebat, eandem fidem profeſſus, quam Ioerius illius herus declarauerat. Quanquam tum propter ætatis infirmitatem, tum etiam ignorantiam earum rerum quæ in controuerſia agitari ſolent, non ita commodè poterat diſſoluere ea argumenta, quæ ad aduerſarijs obijciebantur. quare cùm videret ſe vehementius premi ab his qui quæſtioni exercendæ, cauſǽque informandæ præfecti erant, eos ad Ioerium herum ſuum & magiſtrum remittebat, teſtificans ſe quidem velle in edita confeſſione omni ratione permanere Cùm autem illi dicerent, ipſum non debere vllam fidem adhibere hero

M. D. LI.

Ioerii votū vaticinio iunctum.

ſuo, qui hæreticus eſſet ac planè reprobatus: eis reſpondebat, ſe eum cognouiſſe virum bonum & ſanctitate vitæ præditum: certúmque ſe eſſe nihil ab eo præter veritatem, quæ verbo Dei continetur, didiciſſe. Porrò eo die quo hi duo capitis damnati fuerunt, multi ſacerdotes & monachi veniebant in carcerem, vt cum Ioerio diſputarent: quibus ille ita placidè ac ſedatè reſpōdebat, quaſi ſolutus vinculis in ſumma libertate ſine vllo periculi terrore eſſet. Cùm autem ducti eſſent ad locum ſupplicio conſtitutum, in plateam S. Georgij appellatam: adoleſcens poſtremò interrogatus, ad ſtruem lignorum adductus eſt, dum Ioerius poſtremis interrogatis reſponderet. Ibi complures hypocritæ adoleſcentem cœperunt ſolicitare vt virginem Mariam inuocaret, ſuſceptámque ſententiam deponeret: atque ita importuni extiterūt vt iuuenis vel imbecillitate quadam ætatis, vel importunitate aduerſariorum & moleſtia motus, illachrymari cœperit. Tum verò Ioerius, qui cum alijs loquebatur, cùm cōuerſus illum ab aduerſarijs ſolicitari animaduertiſſet, ilicò feſtinauit eò aſcēdere. Et cùm eū ita flētem reperiſſet, Cur, inquit, mi frater, tu fles? an neſcis nos nunc quidem accedere ad optimum benigniſſimúmque Deum noſtrum, & quàm primum fore liberos ac ſolutos his ærumnis quibus affligimur? Cui adoleſcens, Ego, inquit, flebam quòd mecum non eſſes. Non eſt, inquit, Ioerius tēpus quo ploremus, quin potius canamus Domino. Tum cœperunt Pſalmum canere. At cùm flamma ignis exarſiſſet, & iam ipſum Ioerij corpus inuaſiſſet, ille quaſi ſui oblitus, & magis de adoleſcente quàm de ſe ſolicitus, ſe quātū poterat ad poſtem erigebat, reſpiciens vt adoleſcentem confirmaret eíque animum adderet. deinde cùm animaduertiſſet illum iam extinctum, ore aperto flammam ignis hauſit, capútque demittens ſpiritum Deo reddidit.

Serui de hero pia opinio.

GODEFRIDVS DE HAMELLE.

M. D. LII. Niuella in Brabantia.

GOdefridus Hamellæus, nat⁹ in vrbe Brabantiæ Niuella nominata, Tornaci vbi agebat, artē veſtiū conficiendarum ſarciendarúmque exercens, propter Euangelij doctrinam captus eſt. Et quoniam ex ſuis literis quas in carcere ſcripſit, acta iudicij & confeſſionem de plurimis & grauiſſimis rebus ad religionem pertinentibus complexus eſt, nos exiſtimauimus dignas quæ in Latinū ſermonem conuerſæ ad omnium

ium cognitionem peruenirent. Nam quantum ex illius epiſtolis intelgere poſſumus, videtur vir fuiſſe cùm magnitudine ſpiritus amoréq; i Chriſtum excellenti, tum etiam ſtudio & cognitione ſacrarum literarũ ſingulari: tametſi nullius alterius linguæ facultate, quàm vernaulæ & Gallicæ inſtructus eſſet. Hanc autem primam epiſtolam miſit ıd quandã mulierem fidelem, vt eam cæteróſque pios hoc fidei ſuæ & gratiæ in ſe Dei teſtimonio, in doctrina Euãgelij ſuſcepta cõfirmaret.

Scripta Martyrũ teſtimonia gratiæ Dei ſũt.

Gratia & miſericordia optimi Patris noſtri per Ieſum Chriſtum Filium eius, ſalutem tibi impertiatur.

Ego chariſſima atque amantiſſima ſoror, toto animi ſtudio tibi gratias ago pro ea memoria & cura, quam tum corporis tum ſpiritus mei ſuſcepiſti. Certè huiuſmodi amorem veſtrum ita mei memorem, quaſi quendam Dei nuntium atque etiam ſuauiſſimum odorem accipio. ſum etiam magnoperè in ſpiritu recreatus veſtris precibus atque orationibus, quas ad Deum cum aſſidua mei memoria adhibetis, quas ſcio, quemadmodum vos dicitis, non inanes & fructu vacuas à conſpectu Altiſſimi abituras. Quare te toto corde rogo, ne in hoc pietatis officio fatiſcas atque orare deſinas, vt hoc excellens certamen, ad quod me Dominus deduxit, ad ipſius gloriam & eccleſiæ ædificationem obire poſſim, id quod eius gratia ſpero & cõfido. nam is quidem optimè ſcit, quãtoperè ego deſiderem vt nomẽ ipſius per me exiguum eius inſtrumentum glorificetur, ſi eo quidem tum ad vitam, tum ad mortem vti vult. Ego enim nihil aliud cupio atque appeto, niſi vt ſanctiſſima eius voluntas de me perficiatur, non ſolùm vt in infimum obſcurúmque aliquem carceris locum demittar: verumetiã vt pro ipſius nomine moriar, ſi illud mea morte poteſt vllo modo illuſtrari, perſuaſus eius verbo Chriſtum mihi eſſe lucrum, tum ad vitam tum ad mortem.

Deſideriũ Godefridi.

Ego verò, chariſſima ſoror, nõdum planè cõſtituerã hanc cõfeſſionẽ meam ad te mittere, quoad ſcirem an iſti ex me aliquid amplius vellent quærere: ſed quoniã hic tabellarius mihi ſignificauit ſe ad biduum aut triduum domo profecturum aliquò, eam ob rem mittere coactus ſum. Neque verò hanc confeſſionem ad te mitto vt tu ea quaſi excellenti quadam perfectáque ſapientia erudiaris atque inſtruaris: ſed vt confeſſione ſerui Dei minimi, qui noluerim defodere talentum quod

Confeſsio fidei Godefridi.

à Domino mihi commiſſum acceperam, vt tu tantummodò intelligas me in ſimplicitate mea Dominum Ieſum Chriſtum *coram hominibus non abnegaſſe, ſed pro menſura fidei mihi ab eo tributæ confeſſum eſſe. Qua in re confido* Dominum *hoc meo ſtudio atque officio contentum eſſe, quum vitæ non parcam meæ vt eam conſeruem, ſed eam negligam & perdam, quoniam* Dominus *eam dignam exiſtimat quæ coram hominibus amittatur. Sic habeto, mea ſoror, cor meum, ſimulátque à ſatellitibus magno cum impetu & vi comprehenſus fui, exclamaſſe,* O Domine, *ego paratus ſum non modo in carcerem conijci, ſed etiã mortem pro nomine tuo perpeti, ſi id in gloriam poteſt tuam redundare. Atque hæc quidem erat voluntas mea, quæ in confeſſione quoque mea fuit, & erit vſque ad vltimã guttam mei ſanguinis, poſtremúmque os membrorum meorum, quæ igne combuſta in cinerem ſunt redigenda. Equidem ipſius ſum & ad vitam & ad mortem. faciat de me quod ſtatuerit. ego enim ſiue viuendum ſit, ſiue moriendum, mihi planè perſuaſi me ipſius ſemper fore, propterea quòd filij eius ſum* Ieſu *Chriſti, à quo permagno pretio redemptus ſum, ita vt iam hæres* Dei, *& cohæres* Ieſu *Chriſti ſim. Itaque nunc quidem perſuaſum planè habeo mea eſſe omnia, ſiue vitam ſiue mortem, ſiue præſentia ſiue futura: omnia, inquam, mea eſſe: me autem Chriſti, Chriſtum verò* Dei *eſſe: atque ita perſuaſus, ipſum Chriſtum cùm ad viuendum tum etiam ad moriendum lucrum eſſe.* Neque *verò me pudet coram hominibus confiteri eum ſolum fuiſſe & nunc eſſe in quo omnem ſpem ſalutis meæ vitæque beatæ repoſuerim: quo cum me perpetuò victurum eſſe ſpero. Itaque quoniam nulla alia in re ſpes fiduciáque ſalutis poſita mihi eſt, quàm in eo ſacrificio* Ieſu *Chriſti, in quo ſemel crucifixus corpus ſuum* Deo Patri *pro meis peccatis obtulit: idcirco adduci nullo modo poſſum, vt ijs aſſentiar quæ ex me quæſiuerunt, approbaríque voluerunt, cùm præſertim Spiritus* Dei *certiſſimus ſit teſtis & comprobator huius animi mei atque iudicij, quòd ea quæ ſentio & credo vera ſunt, & quæ ab aduerſarijs mihi proponuntur, falſa, atque ab omni verbi* Dei *veritate abhorrentia. Illud etiam certo ſciens, in méque experiens, corde credi ad iuſtitiam, ore verò cõfeſſionem fieri ad ſalutem. Itaque* Dominus *hoc exiguo volens vti inſtrumento*

Chriſtus ſpes vnica ſalutis.

Rom.10.b 10

ſtrumento,me dignum iudicauit vt vocarer ad hoc genus excellentis confeßionis,& coram hominibus producerer, vt ex abundantia cordis ore ter interrogatus ipſum confiterer. Prima confeßio à me edita fuit VIII. die Martij anni M.D.LI. circiter tertiam horam pomeridianam,cùm Decanus Officialíſque adeſſent, & præterea Inquiſitores duo cum notario qui ſcribebat. Priuſquam in præcipuam & legitimam confeßionis meæ rationem ingrederer, multa ſunt ex me quæſita & agitata,quæ longa nimium eßent ad ſcribendum. Neque verò ego omnia verba his literis committere,ſed breuiter ac ſummatim tantùm præcipua capita ſcribere conſtitui earum rerum quæ ad fidem ac religionem pertinent.

Ac primùm vt ad rem ipſam veniamus,quæſiuerunt ex me,quandiu iam nō cōfeſſus fuiſſem. Ego ab illis primùm poſtulaui,vt mihi nouum darent Teſtamentum,in quo reſponſa mea & fidem fundare conſtituerèque planè poſſem. Id cùm illi recuſaßent, atque inſtarent vt reſponderem ad id quod rogauerant, ego eis dixi, vt illud quidē mihi concederent. Quæſiuerunt,an nō crederem ſacerdotē ab eccleſia Romana inſtitutum,cùm peccatorum confeßio ad aures eius fieret,poſſe ignoſcere peccata,atque abſoluere per pœnitentiam. reſpondi me nullam peccatorum veniam nec abſolutionē expectare,niſi à ſola Dei miſericordia,per gratiā Filij eius Ieſu Chriſti. Quæſiuerunt,an non crederem in eccleſiam Romanam cuius Papa eſſet caput & ſucceſſor Petri, cui Chriſtus claues dediſſet: multáque alia quæ ad illum impium dominatum confirmādum nefariè vſurpata omni vi tueri ſolent. Quibus ego deliberato animo reſpondi,me Eccleſiam ſanctam credere per Spiritum ſanctum inſtitutam & fundatam,quæ vnum Chriſtum caput haberet atque agnoſceret: deinde ſucceſſores eos,qui doctrinam Apoſtolorum ac Prophetarum ſequerentur. eccleſiam verò Romanam me non habere pro vera eccleſia,quæ potius eſſet ſynagoga quædam Antichriſti,in qua tātum abeſt vt oues Ieſu Chriſti foueātur & ſaluberrimo verbi Dei paſtu nūtriantur, vt potius ab immaniſsimis voraciſsimíſque lupis deuorentur, aut erroribus doctrinarum humanarum perniciosiſsimis paſcantur. Siccine ais? inquit Decanus: ſcriptis hæc mandentur. Deinde quæſierunt ex me quid de ipſa Miſſa ſentirem,ego ve-

Hamellęus nouū teſtamentū poſtulat.

Eccleſia vera,quæ.

De Miſſa.

ro eos monui, vt de iis rebus, quæ in ſcriptura ſancta continentur loqueremur. nam me illud nomen Miſſæ nuſquam nec in nouo nec in veteri Teſtamento reperire, quantùm quidẽ legere aut meminiſſe poteram. Ita ſanè, inquiunt Decanus & cæteri murmurantes: ac iubebant id notarium ſcribere, quòd Miſſam nuſquam in Scriptura inuenirem. Tum ilico ex me quæſiuit, an tranſſubſtantiationem panis in corpus Chriſti crederem: Cui ego reſpondi, me Miſſam eorum credere merum eſſe hominum inuentum & commentum cum maxima contumelia Ieſu Chriſti ac dedecore coniunctum: propterea quòd ipſum populum in eum impium pernicioſúmque errorem induxerunt, vt Chriſtum credat in fruſto panis incluſum, panémque ipſum adoret: non quærat Chriſtum, veneretur, colátque in cælis ad dexteram Dei Patris ſupra omnes creaturas eleuatum & collocatum. Quòd verò ad tranſſubſtantiationem ipſorum attineret, dixi liberè, mihi quidem eam videri impoſturam quandam & ludificationem huiuſmodi, quæ ad magos atque incantatores pertineret. Rogarunt me, crederémne ſeptem eſſe Sacramenta. reſpondi, me duo tantummodo tenere. Quæ? inquiunt illi: Baptiſmum, inquam, & Cœnam, quæ vos Sacramenta appellatis. Tum quæſiuerunt ex me, quid ſentirem de ipſa Cœna, cùm eam Sacramentum appellarem. Ad id autem ſimpliciter ego reſpondi, ſicut à Domino acceperam, ipſam Cœnam, cùm ita adminiſtratur vt eſt inſtituta à Domino, conuiuium eſſe ſpirituale fideli animæ propoſitum ſub ſpecie panis & vini, ita vt qui fide eum panem vinúmque ſumit, is corpus quoque Chriſti ſanguinémque eius ſumat: non quòd in eo pane corpus Chriſti ſit, aut ſanguis in vino aut cum vino: ſed quòd credam id omne me ſpiritualiter accipere ad ſalutarem refectionem animæ meæ & conſolationem: ita vt edens eum panem vinúmque bibens eo quo dixi modo, corporis Chriſti eiúſque ſanguinis verè ſim particeps: neque oculos meos defigo ſolùm in ea caduca elementa quæ corruptioni ſunt obnoxia, ſed longius oculos fidei meæ reiicio in Ieſum Chriſtum ſemel pro peccatis meis crucifixum & oblatum: vulnus contemplor lateris, ex quo puriſſimus ſanguis emanauit, vt ab omnibus vitiorum peccatorúmque meorum maculis purgarer, ac eo liberarer debito quo me iudicium Dei obſtrictum obligatúmque tenebat. Quæſiuerunt ex me, an panis ita ſuam naturam retineret, vt maneret panis

Tranſubſtantiatio.

Impius error, credere Chriſtũ fruſto panis incluſũ.

Verus vſus Cœnæ Dominicæ.

Elementa ducunt nos ad Chriſtũ.

ſine aliqua immutatione, codémque modo vinum? reſpondi, nihil planè in his elementis immutari: ſed quemadmodum ea corpus alerent ac ſuſtentarent, ita fide, quæ carnem & ſanguinem Chriſti ſumeret, animam ali, vegetari, confirmari: neque verò opus eſſe aut neceſſe dixi, vt Chriſtus Dominus à dextera Patris in hæc inferiora deſcendat elementa, quò ſe nobis communicet atque impertiat: ſed potius vt mentes ipſi noſtras & cordis cogitationes, ab huiuſmodi rebus quæ ſunt aſpectabiles atque ad tempus propoſitæ, ad alia æterna & ſpiritualia quæ non cadunt ſub ſenſum & aſpectum, traducamus, animóſque noſtros reuocemus & erigamus ad dexteram Dei Patris: vnde nullum eius corporalem aduentum expectamus ante illud tempus quo ad iudicandum viuos & mortuos venturus eſt: tum ſanè Chriſtus Dominus veniet non occultus & obſcurus, ſed illuſtris & gloria ſua ornatus. Cùm hæc ita vtrinque tractarentur ac dicerentur, ſeptima hora iam appropinquare videbatur. Itaque eam diſquiſitionem atque interrogationem, tum quidem progredi longius noluerunt. me verò in alium carcerem obſcurum incluſerunt: vbi ego ſum adhuc, quoad optimo Deo meo placuerit. Ab eo igitur die Martij, quem ſuprà ſcripſi, ab illis eo in loco fui relictus vſque ad xv. diem eiuſdem menſis: eo quidem die tanta moleſtia affectus, quantam verbis non poſſem ſatis explicare, non propter obſcuritatem carceris, aut quòd vererer in eorum conſpectum venire: ſed potius quòd me amplius rationem fidei meæ declarantem audire nollent. ego enim multò vehementius cupiebam fidem meam coram illis teſtificari ac planè confiteri, quàm ipſi me audire. Itaque Dominum orabam, vt mihi eam daret facultatem, qua ſimplicis ac puræ confeſſionis meæ munere officióque perfungi poßem qua in re ipſe pro ſingulari ſua benignitate, ſtudio animi mei ac deſiderio cumulatè ſatisfecit. Die igitur xv. Martij hora octaua audiui vocem ianitoris mihi nuntiatis dominos iam aduenisſe, & vt me præpararem admonentis. Illud nuntium, vt fuerat mihi optatum, ita periucundum accidit. tum dixi, Perfice, Domine, quod in me iam cœpiſti, & quod promiſiſti mihi conſerua ac præſta. nã hæc quidẽ tua cauſa eſt, in qua oportet Spiritum tuũ mihi eſſe adiutorẽ. Cùm in ea ſecũda interrogatione coram eis productus fuiſſem, quæſiuerunt ex me an

Triſtatur Godefridus quòd ampliorem fidei confeſſionem non edat.

eſſem baptizatus.dixi quamobrem id à me quærerent:an uerò me Anabaptiſtam eſſe exiſtimarent.Sed cùm illi inſtarent,reſpondi,me iam inde prima ab infantia,non alio tempore aut aliter baptizatum fuiſſe. A*c cùm quæſiuiſſent,an ego eum* Baptiſmum *approbarem atque amplecterer,dixi me eo quidem contentum eſſe.*P*oſtea quæſiuerunt, an ego* Baptiſmum *in* S*criptura reperirem. hoc autem rogabant eo conſilio,vt nomine* S*acramenti à me expreſſo cauillatoriè atque inſidioſè ad* S*acramenta reliqua,& commenta ab ipſis introducta, comprobanda abuterentur.ego verò eis ſimpliciter reſpondeo,*C*ircunciſionem patri noſtro* Abraham *datam fuiſſe,vt ipſe ac ſemen eius octauo die circũcideretur:ei poſteà* Baptiſmum *ſucceſſiſſe,quo* Chriſtiani *in eccleſia vtuntur,baptizantes in nomine* P*atris &* Filij *&* S*piritus ſancti.* De*inde quæſiuerũt ex me,an vlla præterea eius approbatio eſſet in* S*criptura. ego eos remiſi ad* x.*cap.*1.*epiſtol. ad* Cor.*vbi ab* A*poſtolo dicitur,* P*atres in mari rubro ſub ipſa nube baptizatos fuiſſe. ea autem debere eis ſatisfacere.*T*um verò cupidiſſimè arripuerunt, quod ego (nullas eorum inſidias ſuſpicans)de* S*acramentis dixeram atque ita nominaueram:móxque quæſierunt, vbi illud nomen* S*acramenti inuenirem. ego tum ita circumuentus, confiteri coactus ſum quod verum erat,me illud* S*acramenti nomen propterea vſurpaſſe,quod inter ipſos ad maiorem intelligẽtiam magis eſſet vſitatum:nolle autem poſthac eo appellare nomine,ſed* Baptiſmum *&*Cœnam *vt* S*criptura nominaret. nam ſi illud nomen eis cõceſſiſſem aut recepiſſem, magnoperè eos armaſſet contra me vt peraccommodatum ad* Miſſam, P*urgatorium,& alia huiuſmodi multa comprobanda,quæ ab ipſis introducta, nuſquã in* S*criptura nominantur. itaque dixi me in his nominandis nullo alio nomine vſurum,quàm eo,quo* S*criptura vteretur.*T*um dixerunt,exiſtimantes me cauillis ſuis implicare aut protelare,*T*u quidẽ tam ſæpe dicis te nihil planè velle credere aut reſpondere niſi id quod in* S*criptura continetur:quid ais de coniugio? habéſne pro* S*acramento?* Ego, *inquam,ſic ſtatuo,coniugium ſanctum* Dei *inſtitutum, cubiléque immaculatum,eámque cõiunctionem ac ſocietatem vitæ tantã eſſe vt homo patrem ac matrem ſuam derelinquat, adhæreſcátque vxori ſuæ vt ſint duo in carnem vnam.*Itaque *hoc genus vitæ atque inſtitutum tã neceſſari-*

Cauillum Papiſtarum in nomine Sacramẽti.

Sacramenti nomẽ quare in vſu.

Laus coniugii.

neceſſarium & honeſtum maximi facio: quod ipſe Chriſtus tantoperè approbauit, cùm in Cana Galilææ nuptias & præſentia & miraculo ibi primùm edito honorare voluit. Tum quidam, qui ſatis verſatus in Scriptura videbatur, Credíſne, inquit, verbis ipſi⁹ Apoſtoli? Abſit, inquã, vt ei vllo modo cõtradicã. Tu, inquit, duo recipis ſolùm ſacramẽta: Apoſt. tamen ad Epheſios coniugium ſacramẽtum appellat, dicens, Sacramentum hoc magnum eſt. Quid tu ais? inquit. Cui ego reſpondi, me nullo in verbo velle diſſentire ab Apoſtolo, ſiquidem ille coniugiũ nominaſſet Sacramẽtum. Sanè in omnibus quæ mihi propoſita quæſitáque fuerunt, nihil me magis conturbauit, nec maiore moleſtia affecit, quàm hoc vnum, in quo nihil dicere contrà poteram nec audebam. Sed Dominus me in hac difficultate ac obturbatione non diu hærere voluit: mox enim Spiritus eius me commonuit rem nõ ita ſe habere quemadmodum ab illis allegabatur. Itaque memoria mea eius loci ita diuinitus renouata, eis dixi non ita legendum eſſe in ea Pauli epiſt. ſicut ab ipſis citaretur: ſed pro ſacramento Secretum eſſe legendum, iuxta poſtremam trãſlationem, qua nouum Teſtamentum ex Græco in linguã Gallicam conuerſum eſt. Tum verò ira atque indignatione vehementer in me commoti fuerunt, cùm propoſitum locum in libro noui Teſtamenti Lugduni impreſſo inſpexiſſent, atque vt dicebam reperiſſent, multa tum dixerunt, quæ longum eſſet ſcribere. Ac quoniam duodecima iam hora appropinquabat, hæc omnis ea collocutio fuit intermiſſa. Poſtero autem die, qui dies fuit XVI. Martij, ab illis ſum reuocatus horam circiter octauam, & interrogatus an Sacramentum confirmationis crederem, quod epiſcopus hominibus in legitima eorũ ætate adminiſtrare ſolet. Ego verò reſpondi, huiuſmodi ceremonijs fidem meam non confirmari: ſed tantummodo ea ratione virtutéque Spiritus, quæ aut in Baptiſmo me regeneraret ac nouam creaturam efficeret, aut me in Cœna communione corporis Chriſti in fide aleret & confirmaret. Cùm autem illi ex octauo capite Actuum protuliſſent exemplum Apoſtolorum, qui baptizatis hominibus manus imponebant: dixi me id quidem quod à Petro atque Apoſtolis factum fuiſſet, approbare: eiuſque impoſitionis autorem ac moderatorem fuiſſe Spiritum: ſed eam ceremoniam poſtea finem habuiſſe. Rogarunt an Sacramentum extre-

Attẽde craſſam vel ignorantiã vel malitiã

Sacramẽti nomen falſò refertur ad cõiugiũ.

Confirmationis papiſticę ſacramẽtum.

mæ vnctionis credere. reſpondi me credere verbum Dei *eſſe verum & ſanctum oleũ quod homini periculoſè ægrotanti adhibendũ eſſet, quód que omni credenti ſalutẽ afferre poſſet.* Illud *verò oleum, quod ægrotis hominibus applicare ſolẽt, inutile planè eſſe, vt obnoxiũ corruptioni.* Tum *illi, vt eam vnctionem probarent, propoſuerunt tritũ illud ex epiſtola, quã* Diuus Iacobus *ſcripſit.* Quibus *ego,* Vos *quidem, inquam, videtis quid ea de re ſentiam & credam.* Poſtea *de feſtis diebus interrogatus, reſpondi,* Dominum *ſex dierum laborem populo ſuo præcepiſſe, nec vllum alium diẽ hebdomadis quàm ſeptimũ à negotijs vacuum ac liberum inſtituiſſe.* Eodẽ *modo de* Quadrageſima *& quatuor ipſorũ tẽporibus aliíſque hominũ cõmentis interrogatus, reſpondi, ea mandata hominum ad populum onerandum inuenta, nuſquam in* Scriptura *inueniri: ſed aliã eſſe rationẽ & diſciplinam mortificandæ carnis noſtræ, totúmque hominis vitæ curſum perpetuum quoddã eſſe ieiunium: non vt comedamus ſemel in die, ſed vt in tota noſtra vita ſummam ſobrietatem ſine vlla intemperantia conſeruemus.* Item *de abſtinentia à carnibus & ouis in illo quadragenario tempore rogatus, dixi me quidem ex quo* Dominus *è tenebris ad veram lucẽ & cognitionem veritatis tranſtuliſſet, nullum diſcrimen dierum ac temporum facere, atque ſine vllo conſcientiæ ſcrupulo poſſe bibere ac comedere quicquid à* Domino *creatum ad neceſſarium hominis victum tribuitur.* Fides *tantùm adſit, qua his* Dei *beneficijs cum omni gratiarum actione purè ac piè perfruamur: ſicut* Apoſtolus *in* 1. *ſua ad* Timotheum *epiſtola præcipit.* Tum *illi,* Ergo, *inquiunt, tam facilè carnes comederes die magno* Veneris *qui* Paſcha *præcedit, quàm ipſo die* Paſchatis. Ego *verò, inquam, hîc quidem nullum diſcrimen dierum planè facio, ac ſiue* Quadrageſima *eſſet ſiue aliud tempus, nihil aſpernarer eorum quæ ad eſum mihi eſſent appoſita: ſed liberè his veſcerer in fide & cum gratiarum actione abſque vllo animi ſcrupulo.* Quòd *ſi quis infirmus, cùm videret me veſcentem, offenderetur, tum nollem mea libertate vti, ne hoc modo non tam ad ædificationem, quàm ad offenſionem proximi mei ambularem. non enim regnum* Dei *in cibo eſt conſtitutum, neque ego ſiue comedam, ſiue non comedam, melior & ſanctior ſum. piè tamen amplector eam libertatem, quæ per verbum*

De feſtis diebus.

De ieiunio.

De ciborũ delectu.

Vitandum ſcandalum proximi in victus ratione.

umDei benigniſſimè offertur,vt omnibus eius beneficijs cum gratiarum actione vti poſſim.

Deinde *quæſiuerunt, an preces ad virginem* Mariam *adhibendæ eſſent,vt ea pro nobis aduocata apud* Filium *intercederet.Ego autem ad id reſpondi,me quidem credere eam apud* Deum *plenam gratiæ repertam fuiſſe, ac benedictam inter omnes mulieres: Dominúmque ita humilitatem ancillæ ſuæ reſpexiſſe, vt* Filius Altiſſimi *ſaluator mundi in eius vtero reſederit, vt humanitatem noſtram ſuſciperet: quem poſtea ſine vlla corruptione eſt enixa. eandem etiam verbis Angeli à Deo miſsi fidem habuiſſe: & propterea beatam iudicatã fuiſſe. verùm vt honorem* Filio Dei *debitum in eam transferamus, abſit à me, & ab iis omnibus qui* Chriſti *nomen verè profitentur.* Nam *ne ipſa quidem me docuit dare ei vllum titulum honorémque adorationis, aut inuocare & orare vt mihi apud* Filium *patrona ſit & aduocata: ſed potius me monuit loquens de* Filio *ſuo in nuptijs in* Cana Galilææ, *vt quæ ille præciperet ac iuberet facerem.* Iidem *quoque quæſiuerunt de Sanctis, qui hac vita ſunt defuncti, inuocandis & orandis, vt in curia cæleſti ſuo nos patrocinio atque hoc aduocationis officio proſequantur. reſpondi, me nullum alium aduocatum agnoſcere aut habere, quàm Ieſum Chriſtum ipſum iuſtum, qui merito mortis ſuæ vt ſolus purus atque innocens, hoc officium honorémque adeptus eſt, in quo vno Pater ſibi bene complacuit, in cuius ore nullus vnquam dolus eſt inuentus.* Itaque *me eum ſolum* Mediatorem, Aduocatum, *Interceſſorémque agnoſcere: quemadmodum* 1. *Ioan.* 11. *cap. ſcriptum eſt.*

De virgine Maria quid ſentiendum

Ioannis 2.

De Sanctorum inuocatione.

Quæſitũ etiam eſt de imaginibus, num liceret effigiẽ habere crucifixum repræſentantem. reſpondi, quomodo id ex me quærerent, cùm legerent Scripturam tum veteris tum noui Teſtamenti, *in qua huiuſmodi ſimulacra tam diſertis verbis prohiberentur.* Tu *igitur, inquiũt, nullas vis imagines?* Non, *inquam: nam ex eius verbo didici eum in ſpiritu ac veritate adorare: & qui volunt à* Deo *exaudiri, oportet eos oculis fidei* Patrem *cæleſtem in cælo quærere.*

De imaginibus.

Poſtremò interrogatus ab iis, num crederem certum eſſe locum, in quem animæ ex hac vita decedentes concederent, vt ibi purgarentur: reſpõdi tãto animi ſtudio ac gaudio, quãto eſuriens cibũ vnquã ſũpſi,

De purgatorio.

ita vt interiora viſcera mea quadam voluptate perfundi viderentur, cùm ita commodè de honore, gratia & ſalute Domini mei Ieſu Chri*ſti loquerer: reſpondi igitur me nullum aliud purgatorium agnoſcere, quàm ſanguinem* Ieſu Chriſti *ſaluatoris mei: à quo credebam æternum ſacrificium factum eſſe, facta omnium meorum peccatorum purgatione. cùm præſertim eo perfunctus ſacrificio, nunc ad dexteram* Dei Patris *viuat in perpetuum, atque pro nobis intercedat.* Neque ve*rò dubito quin* Deus *pro ſua miſericordia homini peccatori planè ignoſcat, tum cùm ille relicta priſtinæ vitæ ratione ad eius gratiam ita confugit, vt cum pœnitentia melioris vitæ propoſitũ ſuſcipiat.* Ne*que enim* Dominus *aliqua ex parte peccata ignoſcit: ſed omnia plenè perfectéque remittit.* Atque *hæc quidem ſunt, quæ in hac poſtrema interrogatione ex me quæſiuerunt: aliáne præterea ſint quæſituri, planè ignoro.* V*num penè oblitus ſum, quòd vt me fraudulenter circunuenirent* P*urgatoriúmque ſuum approbarent, ex me ſcire voluerunt quóſnam libros ſacræ Scripturæ ego reciperem atque approbarem. quibus ego reſpondi, vetus ac nouum* T*eſtamentum.* T*um illi, Omniáne, inquiunt, credis eſſe bona ſanctáque?* Maximè*, inquam, exceptis iis libris, qui* Apocryphi *appellantur, quibus fundamentum fidei meæ niti nollem, neque eorum authoritatem pro capitibus fidei aut firmamentis allegare: cùm cæteros, qui fidei meæ ſatisfaciunt, approbem. Cur, inquiunt, hos potius quàm alios hoc iudicio fidei amplecteris?* Q*uoniam, inquam, hi habent tam inſignem authoritatis notã, vt* Spi*ritum eorum authorem eſſe dubitare nullo modo poſſim: de cæteris verò, quorũ certus non eſt author, idem affirmare non poſſum. Quãquam illos quidem propter multa bona exempla & præcepta quæ in iis continentur, non omnino reiicerem, ſed meam in iis fidem fundare nollem.* Itaque *hac mea reſponſione impediti,* P*urgatorium ſuum comprobare non poterant.* Interea *ipſi inter ſe* Latinè *loquebantur. in quo quidem vt nihil à me metuerent, ex me quæſiuerunt, an ego* Latinè *ſcirem. id cùm negaſſem, iuſſerunt à notario ſcribi.* Hæc*, ſoror chariſſima, ſunt & ab illis interrogata & reſponſa à me.* Ex *eo tempore neminem eorum vidi, niſi canonicum quendam,* Quintinum Charlardum *nominatum: quem ad me iam aliquoties miſerunt, vt me in ipſorum fidem*

Quibus Scripturæ libris fides inniti debet.

Quintinus Charlard.

dē induceret. Maxima fuit mihi cum eo diſputatio quatuor horas habita. Itaq; maximoperè doleo in eo genere vitæ atque errore eũ adhuc verſari, neque deduci ad hanc lucem admirabilem, quam aliquo modo aſpicit. ſtudium enim quoddã Dei *habet, ſed non ſecundum ſcientiã: cùm illorum cauſam tueatur, nihil magis cupiens, quàm vt ego cum ipſo conſentiam, imprimiſque in ea doctrina, qua ille in* Sacramento *corpus Chriſti in pane incluſum eſſe ſtatuit. Affert ille quidē neſcio quas rationes de deſcenſu* Domini *ad nos: quas ego nullo modo approbare poſſum, propterea quòd & à natura veri corporis, quod Chriſtus in cælũ extulit, & à veritate verbi & fidei ratione cõfeſſionéque abhorrent. Itaque ei vſque ad hunc diē acerrimè reſtiti, ſperóque* Dei *gratia me reſtiturum adiuuantibus veſtris precibus. Te autē, chariſſima ſoror, rogo, & eos omnes qui ſummo ſtudio verbum* Dei *amplectuntur, vt ſimul pro me* Dominũ *oretis, vt ipſe me purũ atque integrum in fide Filij ſui conſeruet, atque in ea conſtantia & perſeuerãtia confeſſionis quã ego hactenus edidi, mihi impertiens eam victoriam, quã aduerſus omnes inimicos tum carnis tum verbi ſui promiſit. Quòd ſi hoc corpuſculo vult vti, vt ad obſignandam* Euangelij *veritatem ſanguis meus effundatur, atque in cinerem oſſa mea redigantur: is me confirmet virtute Spiritus ſui vſq; in finem, vt fidei meæ teſtimoniũ ſine vllo pudore, fidele illuſtréque ad ipſius gloriã atque electorum ſalutē extare poſſit. Si verò vult me adhuc retinere in iſta vita, & ad gloriam ſuam, atque* Eccleſiæ *vtilitatem reſeruare, ipſe furorem tyrannorũ mitiget, ac me ex ore leonum eripiat.* Equidem *ad vtrũque ſum paratus, vt me in ſacrificium* Domino *in omnibus offeram.* Mea *ſoror ac cæteri* Euangelii *amatores, gaudete mecum. nemo verò offendatur & perturbetur iis perſecutionibus, quæ hiſce diebus acciderunt: quemadmodum illi qui ſemen miſſum inter ſaxa receperunt. ſed potius huiuſmodi perſecutiones ad confirmandam fidem veſtram cum ſumma animi æquitate à vobis ſuſcipiantur, & cum patientia perferantur, cùm in hoc quidem ad imaginem eius conformentur, qui dixit, Si me perſecuti ſunt, vos quoq; perſequentur.* Hæc *enim eſt conditio propoſita ijs omnibus, qui Chriſtum verè profiteri volunt, in eóque piè viuere.* Neque *verò hoc donum* Dei *eſt vulgare cum*

Tum mors tum vita piorum ſeruit Dei glorię.

Perſecutionũ vtilitas.

multíſque commune: ſed ijs tãtùm tributum ac datum, quos Deus vocauit non ſolùm vt in Chriſtum credant, ſed etiam vt pro eius nomine patiantur & moriantur. Orate pro me, nec pro me ſolùm, ſed etiam pro ijs qui vos perſequũtur: vt ſi errore atque ignoratione eò ſunt delapſi, miſericordiam Dei conſequantur, atque ad hanc viam ſalutis adducantur. Itaque benedicamus eis, & non maledicamus. Salutate eos qui me amãt. Gratia Domini noſtri vobis adſit. Frater veſter Godef.

Godefridi ad iudices epiſtola.

Idem Godefridus cùm adhuc in carcere eſſet, alias epiſtolas ſcripſit, inter eas vnam, quam miſit ad eos qui eo tempore Tornaci iudicia exercebant. in qua quidem accuratiſsimè ſe purgauit atque defendit aduerſus illud crimẽ, quo ab Inquiſitoribus fidei iniquiſsimè grauatus fuit, & vt hæreticus declaratus, in poteſtatem iudicum traditus. Itaque integritatem fidei ſuæ eo modo atque ordine declarauit, quo tota fidei Chriſtianæ ratio in ſymbolo Apoſtolorum eſt comprehenſa, atque à pijs doctoribus explicata. Ea autem in confeſsione omnibus etiam iniquis alieníſque hominibus ſatis oſtendit ſe in religione talem nõ eſſe, qualem aduèrſarij arguerent atq; damnarent: ſed ea pietate atque fide, ad quam declarandam & teſtificandam non modò nullam interrogationem, ſed nec tormentorum perpeſsionem defugeret.

Sunt præterea aliæ eiuſdem epiſtolæ ad pios homines miſſæ, ſummæ conſolationis pleniſsimæ, quas vt prolixitatẽ euitaremus, huic libro minimè opportunam, omiſimus. Reliquum eſt, vt feliciſsimum eius exitum ac genus mortis, teſtimonijs hominum certiſsimorum approbatum, demonſtremus. Die igitur Sabbathi, qui dies fuit XXIII. *Iulij, anni* M.D.LII. *ſententia capitis pronuntiata, in qua ipſe Godefridus hæreticus eſt declaratus, his verbis tantùm exclamaſſe dicitur,* Heu, *non hæreticus, ſed ſeruus Dei inutilis. Deinde poſitis in terram genibus, Dominum teſtem cauſæ ſuæ ac vindicẽ magna voce ita appellaſſe, Domine Deus, tu ſolus cauſam noſti, propter quam ego ſum condẽnatus. Cùm autem veniſſet ad locum, in quo ſupplicium paſſurus erat ſatis diu locutus eſt, populúmque adhortatus vt in Chriſtum Ieſum crederet, totámque fiduciam ſalutis in eo vno poneret, cuius morte ac paſsione remiſsionem peccatorum per ſolam fidem in eius nomine cõſequuturus eſſet. Loquebatur autem ea conſtantia, vt omnes eius o-*

Godefridi condemnatio.

Godefrid. populum adhortatur.

ratio

ratio grauiſsimè afficeret ac permoueret: adeò vt vulgus diceret ſe ignorare cur hominem huiuſmodi morte multarent, qui de Chriſto Domino eum in modum loqueretur. Iam quum eſſet in theatro, ſe in genua abiecit, & capita fidei Apoſtolicæ in modum confeſsionis pronuntiauit, in qua cùm illud caput pronuntiaret: Credo Eccleſiam ſanctam, catholicam: & ſuprà dictus canonicus ciuitatis Tornacẽſis Charlardus eum monuiſſet vt eccleſiam Romanam diceret. Minimè verò, inquit Godefridus: ſed eccleſiam credo ſolùm catholicam. Tũ propius acceſsit ad patibulum, in quo erat alligandus: ac dum carnifex eũ ad ſupplicium accingeret, catenîſque ligaret, dixit, Pater cæleſtis, exaudi gemitũ ſerui tui. Et cùm Charlardus dixiſſet ei, vt ſe Virgini cõmendaret. Solus, inquit Godefridus, aduocatus meus apud Patrem pro me intercedens eſt Chriſtus Ieſus, cui me vni commendo. Hæc autem cùm dixiſſet, carnifex humanitate quadam adductus volens eum ſubleuare, cruciatúmque ignis minuere, ſe comparabat vt eum ſtrangularet. Sed Godefridus hoc eius officium aſpernatus, Sine, inquit, ſine amice, ego ſententiam, vt eſt pronuntiata, ſequi ac perpeti volo. Deinde maxima voce exclamauit, Pater æterne, in manus tuas ſpiritum meum hodie ſuſcipe. Igne verò accenſo, cùm angorem mortis iam ſentiret, iterum ad Deum clamauit, Pater cæleſtis, recipe me in regnum tuum. Tum viſus eſt obdormiſcere medio in igne, non minus placidè quàm ſi quis ſomno naturali quieſceret: atque ita faciem habens in cælum erectam expirauit.

Chriſtus ſolus aduocatus apud Patrem.

Poſtrema Godefridi oratio.

GVLIELMVS GARDINERVS *Anglus*,

Vlyſsiponæ primaria Portugaliæ vrbe, ob Euangelium immani ſupplicio affectus. cuius conſtantiſsimi martyrii adeò apud Luſitanos recens etiamnum viget recordatio vt in hodiernum diem viua illius memoria tanquam fœlix ſemen fructum vberem ferat.

Apud Luſitanos rarum & memorabile martyrij hiſce temporibus exemplum dedit Gulielmus Gardinerus ab extremis Angliæ finibus Briſtoliæ vrbe apud Anglos maritima & emporiali natus: iuuenis, natura ad grauitatem compoſitus, ſtatu corporis mediocri & æquabili, vultu aſpectabilis elegánſque: ſed nuſquam elegantior, quàm internis animi decoris, & moribus quos ſemper ille à puero ſine omni reprehenſionis næuo inculpatos retinuerat. Augebat porrò

M.D.LII.

hæc ornamenta doctrinæ ac literarum mediocris acceßio. Adoleſcẽte iam ætate, *qua ſolent iuuenes ad aliquod vitæ inſtitutum animos appellere:euenit vt is mercaturæ operam exercendæ daret, ſub auſpicijs & ductu cuiuſdam quem* Briſtolienſes Mag. Pagetum *cognomẽto appellabant,profeßione mercatorem*. A *quo demùm* Guilielmus *hic* XXVI.*ætatis ſuæ anno,aut non multò ſecus,in* Hiſpaniam *eſt miſſus.* Qui *tum* Lisbonam *primùm,fortè vt fit, appulſa naui, quæ vrbs eſt* Portugaliæ *primaria:ea in vrbe mercaturæ rei cauſa eſt commoratus, vbi demùm percepta facilè illorum lingua, moribúſque conſuefactus, vtilem tum ſibi,tum hero, aliiſq; operam nauauit in negotijs ac mercimonijs,quæ ad eius artis diſciplinam ſpectare videbantur.Quibus ille rebus ita incumbebat, in exterorum commercijs frequens, vt nihilominus religionem patriam, qua eſſet in* Anglia *imbutus ab eorum ſuperſtitione ſemper integram illibatámque retineret.*Nec *defuerunt alij item* Angli *in ea vrbe viri boni:codices non defuerunt ſacri, ac vtiles honeſtorum hominum cõgreſſus,apud quos crebrò imbecillitatem ſuam eſt deplorare ſolitus:quippe qui nec peccatorum ſuorum odio,nec pietatis amore flagraret ſatis.*Interea *dum illic ageret,ſolennes intercedunt nuptiæ inter principes neſcio quos,in ea vrbe,ingenti cum apparatu cal.Sept.cõcelebrandæ.*Itaque *aduentante iam nuptiarum die,frequens fit ordinum,ac nobilitatis omníſque generis cõcurſus.*Nec *deſunt epiſcopi mitrati,quin nec* Cardinales *galerati aliquot ſua præſentia regales nuptias honeſtaturi.* Quid *multis? magna cum pompa,maiori multitudine,maximáque omnium expectatione ad nuptias proceditur.*Ingens *per totam vrbem celebritas,apparatus (vt in re tanta conſueuit) maximus, publica & feſtiua lætitia perſtrepunt omnia.in hac igitur longè omnium maxima totius regni panegyri adeſt inter cæteros* Guilielmus *hîc* Gardinerus,*qui licet ſpectacula huiuſmodi non magni faceret,fama tamen & conſpectu tãtæ celebritatis attractus,abeſſe vnus inter omnes noluit.*Venit *ergo ſummo manè quò locus eſſet ſpectandi,& facultas in tẽplo commodior.venit hora.* In *templum ſolenni pompa aſcenditur.*Rex *primùm,reliqui deinde ſequuntur ordines.*Quo *maior erat perſonarum dignitas, hoc minus deerat ceremonijs.* Poſt *hæc,ordinatis ritè rebus,ad* Miſſæ *liturgiam*

pergitur

pergitur (quoniam hæc vna omnibus ſeruit rebus) quæ plurima ſymphonia, voce, cantu, organis, adminiſtrante Cardinale *peragitur. Stat multo ſilentio & religione venerabundus populus orans, ſpectãs, adgeniculans, tundens, & oculis & animis totus hærens ac ſuſpenſus, vt mos eſt in extremo ſacramento.* Dici *non poteſt, ea res quàm miſerè altéque pio iuueni perculſit animum, partim rerum miſerandam abſurditatem, partim vulgi ineptiam contemplanti: nec vulgi ſolùm, ſed quum ipſum maximè* Regẽ, *tum tot ſapientiſſimorum hominum ſenatum, communi pariter idololatria cum plebe ſeduci cerneret. Parúmque abfuit quin hoc ipſo die inſigne aliquid in conſpectu* Regis *totiúſque theatri deſignaſſet, ni conferta multitudo, qua vndiq; claudebatur obſtitiſſet quo minus ad aram penetrare potuiſſet. Quid hîc verbis explicem, quod vix quiſquam æſtimando conſequi poterit? interim dũ hæc contemplatur, quas intus in animo curas verſat? quos ignes? quos aculeos ſentit mens conſilij inops? Quid enim faceret? abiret è templo? præ turba non licuit: miniſtrum prohiberet? multò minus potuit, & pudor & loci reuerentia vetabant. quid ergo, voce abominationem deteſtaretur? è veſtigio gladius mũdi huius ceruici imminebat. Taceret? at hîc gladium metuebat* Dei. *Quid multis? finitis orgijs, redit domum mœſto animo prorſúſque perturbato, vſque adeò vt commilitones ſuos in magnam ſui admirationem omnes raperet. qui licet & ipſi nonnullam triſtitiæ huius cauſam coniecturis concipiebant, attamen quàm penitus pio animo hæc inſideret perturbatio, non intelligebant: nec is cuiquam conſilia cõmunicabat. ſed ſeceſſum captans & ſolitudinem coram* Deo *proſtratus, multis lachrymis deplorata prætermiſſi officij negligentia, deliberat de populo* Chriſtiano *ab ea impietate & ſuperſtitione reuocando: id quod & fecit. In ea igitur deliberatione mẽs penitus obfirmata, nec diutius rem producendam putans, mundo ſe prorſus abdicat, rationes omnes, quid ſibi, quid alijs deberetur, ad calculũ ſubducit tam acuratè, vt nemo haberet quod de teruntio quiritari poſſet. Qua confecta re, totos deinde dies noctéſque in aſſiduis precibus, inuocando* Dei *præſidio, ac iugi meditatione cõſumit, vix ſemel interdiu cibi paululum, ſomni etiam minus noctu capiens, cui vna, ad ſummũ duæ noctis horæ quieti dabantur. cuius rei teſtis etiamnum viuit* Pẽ-

Luſitanorũ inſana idololatria.

Quàm varia obuerſẽtur animis fideliũ quũ idololatriã conſpiciũt.

Pendigratius. *digratius, lecti eiuſdem ſimul & hoſpitij ſocius.* Redit dies iterum Dominicus, vel pari, aut non multò inferiori pompa celebrandus. Adeſt & Guilielmus ſummo mane, quàm cultiſſimè veſtitus de induſtria, nimirum quò facilior ſibi locus iuxta altarium ſine repulſa permittteretur. Nec multò pòſt Rex cum ſatrapali comitatu in templum ingreditur. ibi tum Gardinerus altari ſe adiungit quàm proximè, in manibus ferens Euangelium Ieſu Chriſti, in eius incumbens lectionem, precibúſque ardentiſſimè inſiſtens quoad inſtaret tempus quo negotium aggredi conſtituiſſet. Fit igitur Miſſa, incipit ſacerdos (qui tum & ipſe quoque Cardinalis erat) ſedet adhuc quietus noſter. Procedit porrò Miſſagogus, ſacrificat, cõſecrat, ſublime procul ſublatis brachijs quãtum poteſt tollit ac oſtentat populo. denique ex ſacramẽto idolum facit. ingens in plebe veneratio. Atque ne adhuc quidem mouet ille. Ventũ eſt tandem ad eum Miſſæ locum, vbi ſacrificus ceremonioſam hoſtiam altera manu acceptã, circa pateram in circulos quoſdam ac ſemicirculos crebro iactatu circumuerſat. Hîc Guilielmus non ferens amplius, impigrè ad Cardinalẽ accurrit. Incredibile dictu: præſente ac ſpectãte Rege, in tot nobilium ac ciuium oculis, altera manu libum adoreum ſacerdoti eripit, ac proterit pedibus: altera paterã euertit. Habuit primùm ea res omnes attonitos: mox ingenti orto tumultu, exclamare populus: Cardinalis tantumnon inſanire, nobiles cũ plebeiis concurrere, è quibus vnus educto pugione ſcapulam ei alteram ingenti perfodit vulnere, rurſúſque repetito ictu certam illi cædem parabat, & perfeciſſet, niſi Regis audita vox bis iuſſiſſet ſeruari hominem. ſicq; à cæde tẽperatum eſt. Sedata tãdem rabie, Guilielmus ad Regem perducitur. à quo interrogatus de patria, quáque audacia maieſtatem ipſius, ac ſacramenta eccleſiæ ſacra afficere ea eſſet auſus contumelia? Illuſtriſſ. (inquit) Rex, patriæ meæ nihil pudet, qui & natione & religione Anglus ſum, vnde huc mercaturæ faciendæ cauſa adueni. quũ autem tantam vidi in tam celebri conuentu idololatriam fieri: pati nõ potuit nec debuit conſcientia, quĩn hoc facerem quod maieſtas tua hodie à me factũ videt. Quũ autem audiſſent Anglum eſſe, meminiſſéntque reſtauratæ per Edouardum religionis, facilem inde arripiebãt ſuſpicionem quaſi nobilis iſthic fuiſſet quiſpiã, atque per Anglos ſubor-

natus

atus ad ludibrium ſuæ religionis, eò magis ſcire ab eo contendebant, uo tandem authore induceretur. quibus reſpondit ille, ac orat, Se nul ius impulſu huc adactum eſſe, præterquã ſuæ duntaxat ipſius cõſcien iæ: alioqui nullum eſſe ſub cœlo mortalium, cuius gratia in tãtum ſe- e támque manifeſtum diſcrimen conijceret. Verùm Deo primùm, tum aluti ipſorum hoc ſeſe obſequiũ debuiſſe. qua in re, ſi quid eſſet quod pſis diſpliceret, nulli id magis imputandũ quàm ſibi ipſis qui ſacrati- ſima Chriſti cœna tam intemperanter ad tãtam idololatriam abute- entur: idque non ſine magna tũ eccleſiæ ignominia, tũ ſacramẽtorũ vi- olatione, tum etiam ſalutis ipſorũ ac animarũ periculo, niſi reſipiſcãt.

Dum in hanc ſententiam multa pro ſe & grauiter & magno ſpiri- u diceret, defluente vbertim è vulnere recenti ſanguine, corpori penè am deficienti adhibẽtur chirurgorum manus: quo nimirum curato (ſi ieri poſſet) vulnere, ad prolixiorem diſquiſitionem, grauioréſque cru iatus ſeruaretur. prorſus enim eis inhærebat perſuaſio, factũ hoc ſuis equaquam ducibus & impulſoribus caruiſſe. quæ cauſa fuit, cur & æteri omnes eadem in vrbe Angli in nõnullam eiuſdẽ periculi partem leuenirent, atq; cuſtodiæ mandarẽtur. Inter quos erat Pendigratius, ui quòd lecti eſſet illi ſocius, in grauiſſimas quæſtiones & tormenta ræ cæteris vocatus eſt: qui vix demùm poſt biennalẽ cuſtodiam domũ nde redijt. reliqui Ducis cuiuſdam interceſſione, multò ſunt prius ſolu i. Quin nec ijs hactenus cõtenta pertinax ſuſpicio, venit porrò in cu- biculum, ſi quid fortè literarum reperiri poſſet exploratura, vnde con tare aliquid de incœpti huius authore potuiſſet. quum neque hîc quic- uã inueniri quitũ eſt, ad ſauciũ iterũ cũ tormentis redeũt, primùm vt le impulſore, ſi quẽ haberet, cognoſcerẽt: tũ vt grauiſſimæ eum hære- eos reum facerẽt, quorũ ille vtrumq; qua potuit dexteritate remo- uebat. Nã licet ſatis dextrè Hiſpanicam teneret linguã, tamẽ certius & exactius ſermone eſt Latino vſus. Verùm quũ verbis illi nõ haberẽt fidẽ, ad tormẽta demũ itum eſt. quibus etiã ipſis ſi fidem adhibuiſſent Portugalẽſes, etſi ſatis quidẽ acerbos, minus tamẽ crudeles ſe iudices declaraſſent. quãquã nõ erat res tã ambiguæ cõiecturæ, quin ratio ip- ſa & communis ſenſus facilè vel abſque tormentis, verum videre po- tuiſſet. Nam an quiſquam tàm demens eſt mortalium, qui alieno per- ſuaſu ac ductu, in re tanta caput atque fortunas tam certis periculis

obijceret, ídque in tali loco, vbi nulla elabendi non modò copia, ſed ne minima etiam ſpes poterat ſupereſſe, ni res ipſa, ni religio ac conſcientia hominem huc ſolicitaſſet? Nunc neque verbis ipſius, nec literarum indicio, nec ſociorum teſtimonijs, nec ipſis denique tormentis contenti, aliud ſuperaddunt cruciamenti genus inauditum, quódque ſuperat opinor Phalaridis tauros, ne quid iam reſtet amplius quo humana crudelitas altius poſſit aſcendere. Curant conſui linteum, ferè in modum pilæ orbicularem, illud per gulam vi traijciunt in imum ſtomachum, tenui alligatum chordulæ quam ipſi manu tenent: traiectum rurſus ad ſe trahunt, retrahúntque per occultas ciborum fiſtulas, ſic naturã excarnificantes, vt minori cruciatu rumpi ipſa poſſent ilia.

Tormenti genus apud Luſitanos.

Ita demùm fatigatis machinis omnibus ac tortoribus, quum nequicquam proficerent: cô deſcendunt denique, rogantes ecquid facti tam intempeſtiui, ac perturbationis eum pœniteret? De facto dicebat adeò ſe nihil pœnitere, vt etiamſi factum non fuiſſet, debuiſſe tamen id à ſe fieri putaret. Cæterùm de modo quidem actionis nonnihil dolere ſibi, maximè quòd præſente Rege, tantáque cùm omnium perturbatione fieret. quanquã non tã ſibi id imputandũ, qui id ea cauſa neque ſuſceperit nec cogitarit, quàm ipſi potius regi aſcribendum eſſe, qui tam fœdam in ciuibus ſuis idololatriam, quum poſſet, non prohiberet. hæc verò ille magna cum parrheſia. Illi autẽ conſumptis tormentis omnibus, quum neque ab illo plura expectari, neque ille ex vulnere aliíſque tormentis poſſe diutius viuere videretur, poſt triduum vltimo afficiendus ſupplicio ducebatur, primùm quidem in ſummi templi ſacrarium, vbi manus illi dextra amputatur: quam mox ille ſiniſtra ad os ſublatam deoſculatur. Deinde productus in forum detruncatur & altera: qui & hanc ſimiliter humi procumbens oſculo proſequitur. Quibus rebus more & humanitate Hiſpaniẽſi cõfectis, religatis poſtea brachijs pedibúſque ſub equi ventrem, ad martyrij locum pertrahitur. erat eo in loco machina, vnde cãnabinus funis ex trabe trãſuerſa per rotulam dimiſſus volubilem Chriſti martyrem medio corpore circunligatum, primò ſublimẽ arripit. infrà quàm vehementiſſimè pyra accendebatur: in quam ſenſim dimittitur ille, non toto corpore, ſed ita vt pedibus tantùm ardores ſentiret. Deinde ſublatus, atque demerſus

Gardinerus ambabus manibus truncatur.

iterum

terum in flammas, ſubinde trahitur ac retrahitur, velut per interualla redeunte cruciatu. In quo tamen ille magno ac libero ſpiritu perdurauit, quantóque ardet vehementius, tanto precatur ardentius. T*andem conſumptis iam pedibus, & truncatis manibus, rogant incendiarij ecquid eum facti demum pœniteret? ſimúlque ad* Mariam, *diuóſque inuocãdos hortãtur.* At *ille, vt nihil admiſerit, cuius eum valde pœniteret: ita minus eſſe quòd* Mariæ *diuorúmque præſidio indigeret, reſpondit. adderent illi quantum vellent externis tormentis, veritatem tamen ſemper eãdem eſſe ac ſui ſimilem, quam vt vita prius confiteretur: ita nec morte nunc eſſet negaturus. proinde deſiſtere ipſos ab huiuſmodi ineptijs rogat.* Q*uãdo autem deſineret eſſe aduocatus* Chriſtus, Mariam *tum demũ adhibiturum ſe aduocatricem.* A*eterne, inquit,* Deus, Pater *miſericordiarum, reſpice quæſo ſeruum tuum, &c.* Q*uúmque illi precantem hunc in modum & laudantem* Deum, *quibuſcunque poſſent modis & conuicijs impedirent: magna voce exclamans ille,* P*ſalmum* 43. *recitauit,* I*udica me* Deus, *& diſcerne cauſam meam de gente non ſancta, &c.* Nondum *peruenit ad pſalmi finem. dum illi nunc demerſum in ignes, nunc rurſus ad maiorem cruciatum ſubleuare niterentur, quum exuſto rudente in mediam concideret pyram, vbi præbito in holocauſtum corpore, temporarium dolorem æterna finiret requie*

Hic *fuit* Gardinerij *exitus, quo voluit* Dominus Portugalenſes *ad ſynceriorem ſui agnitionem expergefacere.* I*pſe verò* Rex *tertio aut quarto pòſt menſe ab huius* Gulielmi *martyrio, morte dicitur abreptus.*

Liber ſextus Actionum

MARTYRVM.

MARTIALIS ALBA Montalbanus.
PETRVS SCRIBA Bolonienſis in Vaſconia.
BERNARDVS SEGVINVS Reolenſis in Bazadoia.
CAROLVS FABER Angoliſmenſis.
PETRVS NAVIHERVS Lemouix.

QVINQVE SCHOLASTICI *gymnaſii Lauſannenſis.*

Qui pro nomine Dei confitendo mortem in igne propoſitam & oblatam, Lugduni conſtanter pertulerunt.

M.D.LIII. INGREDIMVR *iam Annum quinquageſimum tertium, qui vt variarum rerum hiſtoria, ita multorum martyrio inſignis fuit: eorū verò maximè qui* Lugduni *nobiliſſimo totius* Galliæ *emporio mortem oppetierūt. De quibus primi vt paſſi ſunt, ita nobis in hac hiſtoria occurrunt quinque Scholaſtici vrbis atque vniuerſitatis* Lauſannenſis, *Martialis* Alba, *natus* Montalbani *in* Quercyo: *Petrus* Scriba, *patria* Bolonienſis *in* Vaſconia: *Bernardus* Seguinus *ex vrbe* Reola *in* Bazadoia: *Carolus* Faber, *Blanzaci natus in regione* Angoliſmenſi: *&* Petrus Nauiherus Lemouix: *qui omnes ſimul* Lugduni *capti fuerunt, atque in carcerem coniecti primo die* Maij, M.D.LII. *Nos eorum confeſſiones, quas ſinguli ediderunt, ac res perpetua dignas memoria, ſuo quáſque loco ordinéque retulimus, cum aliquot eorum epiſtolis ſelectis ex multis alijs, quas tum ipſi inter ſe alij ad alios in carcere ſcripſerunt, tum etiam ad eccleſias atque amicos ſuos miſerūt.* Ratio *autem inſtitutæ eorum profectionis & captiuitatis huiuſmodi fuit.* Cùm *hi quinque* Lauſannæ *ſtudiorum cauſa egiſſent, alij diutius quàm alij, literiſque tum* Diuinis *tum humanis ſtuduiſſent, poſt feſtum* Paſchæ *conſtituerunt omnes ſimul, optimis* Dei *auſpicijs in patriam ſe quiſque ſuam conferre, alij verſus* Tholoſam, *alij* Burdigalam, *alij ad* Santones, *alij ad* Lemouices, *vnuſquiſque ad ea loca & oppida, in quibus patriā natiuitatis ſuæ habebat: eo quidem conſilio & animo, vt gloriæ* Dei *ſeruirent eámque gratiam, quam à* Deo *acceperant, cum parentibus ſuis communicarent atque impertirent, vt ſi poſſent, eos adducerent ad eam* Chriſti *cognitionem, qua à* Deo *illuminati fuerant.* Neque *verò ſolùm hoc ſtudium pietatis plenum in parentes ac propinquos ſuos ſuſceperunt, ſed etiam in alios, quos opera ipſorum,* Deum *ad agnitionem veritatis vocaturum ſperabant.* Hòc *autem profectionis ad ſuos ſuſcipiendæ conſilium communicauerunt cum eccleſiæ* Lauſannenſis *miniſtris ac ſcholæ profeſſoribus, qui illud vt pium ac ſanctum magnoperè probarūt, cùm illud ad honorem* Dei *amplificandúmque regnum* Chriſti *eius*

Filij

ilij pertineret. Atque vt eorum aduẽtus maiorem haberet approbationem, ea eccleſia tribus illorum teſtimonium dedit fidei ac probitatis ius quæ ea in vrbe perſpecta fuiſſet, vt fideles homines, quos ita piè nuiſebant, eo teſtimonio quod afferebant adducti, eos libentius exciperent, meliúſque de illorum & vita & doctrina exiſtimarẽt, cui quidem teſtimonio, Ioannes Caluinus *à* Petro Vireto *rogatus, facilè ſuũ coniunxit. Cæteri verò duo, aliquandiu in eadem vrbe ſeruierunt, alter nempe* Petrus Nauherus *apud ipſum* Viretum, *alter verò* Bernardus Seguinus *apud* Theodorum Bezam, *eáque in conditione ac vitæ ratione ita integrè verſati fuerunt, vt fidem, officium & modeſtiam eccleſiæ ſuam probauerint. Paulò pòſt* Geneuæ *aliquot dies cõmorati, iter ſuſceperunt vt* Lugdunum *proficiſcerentur. Atque in itinere quendam* Lugdunenſem *nacti comitem, rogatíque ab eo vt ipſum quũ* Lugdunum *perueniſſent, inuiſerent, ſe id facturos promiſerunt. Itaq; quoniam nullum aliud diuerſorium reperiebant, in quo ad vnum aut alterum diem* Lugduni *commodè poſſent commorari, ad inſigne triũ piſcium diuerterunt: ac poſtridie duabus aut tribus pòſt prandium horis, omnes ſimul domum eius à quo in ipſo itinere humaniter fuerant inuitati acceſſerunt: quæ eſt ad* Rhodanum, *in ea vrbis regione quæ à quibuſdam* Athenæus *appellatur. Vbi cùm in horto aliquandiu deambulaſſent, inuitati ab eo amico, adhibitáque nominis* Dei *inuocatione inter pios priuſquam cibus capiatur vſitata, cœperunt accumbere, ſéque ijs reficere, quæ ipſis appoſita fuerant. Cùm autem ita in mẽſa donis piè fruerentur, lætarentúrque in* Domino, *Latrunculator* Lugdunenſis *vrbis,* Poulletus *cognominatus, cum ſuo ſatellitio aduenit, qui ſimulatque cubiculum in quo illi erant, ingreſſus fuiſſet, nomen & cognomẽ vniuſcuiúſque, patriã, rationémque vitæ ab eis quæſiuit, aliáq; huiuſmodi ad indaginem reorum vſitata. Id cùm feciſſet, quatuor corũ vinciendos curauit binos ac binos, quintum verò medium inter ſatellites collocauit, nulla parte aduerſatrice expreſſa cauſæue informatione habita contra omne ius in carcerem* Officialis *ducti fuerunt, in locũq; ꝓfundũ & obſcurũ cõiecti, atque hora propè pòſt ſinguli ordine coram* Officiali *accerſiti, eodẽq; die interrogati de ijs religionis capitib⁹ quæ illi magna cõtẽtione & vi tueri ſolẽt. ad quæ illi pro eximiis* Dei *do-*

Vulgò Enaium appellant.

nis, quibus præditi erant, conſtanter ſecundum verbum eius reſponderunt, & gloriam ei dederunt, confitentes eius nomen apud eos, qui etiam à mentione eius maximopere abhorrebant. Poſtero autem die, iterũ interrogati fuerũt, & ſequenti eam adepti facultatem vt confeſſionem ſuam ex ſcripto ederent, quam illi ſcripſerunt: ſed ita ſubitò vt vix eius exemplum retinere potuerint. Sequenti etiã hebdomade quidam eorum ad examen reuocati ſunt: in quo quidem de religionis capitibus cum tribus monachorum generibus erat eis diſputandum. Poſtremò cùm eos adhuc ad ſe vocauiſſent, vt viderent an in priore ſententia permanerent: cognita eorum hominum conſtantia, confeſſionéque ipſorum obſignata, eos in foſſas carceris ſingulis ſeparatim aßignatas remiſerunt. Poſtridie autem, qui erat dies Veneris 13. Maij, ſingulos eorum ſeorſim in auditoriũ Officialis produxerũt. à quo cùm in maxima hominum frequentia hæreſeos condemnati eſſent, atque in manum Magiſtratus ciuilis traditi: quiſque eorum, cùm huiuſmodi ſententia contra ſe pronuntiatam audiuiſſet, prouocauit de eo quidem, quòd vt hæreticus condemnaretur, poſtulauítque vt ad parlamentum Pariſienſe duceretur. Id autem cùm Officialis magnoperè eſſet admiratus, tamen appellationem eorum admiſit. In quo cùm quidã qui Officiali aßidebat, audiuißet vnum eorum ita appellantem, quæſiuit ex eo, an de reliqua quoque ſententia idem faceret. Ad id alter reſpondit, ſe quòd intelligeret præcipuum ſententiæ caput in eo conſiſtere, quòd hæretici eſſent declarati, ea quidem in parte vt iniqua appellare, in reliqua verò ſe non intelligere quid vellent. Tum Officialis ſatis eße dixit, quòd illi ita appellaſſent. Ita his tredecim diebus ab aduerſarijs cauſa illorum fuit cognita, in iudicióque verſata. Reliqua autem quæ ab illis & dicta & facta ſunt, ex ipſorum ſcriptis cognoſcentur: ex quibus nos ea ſermone Latino exponemus, quæ & grauem aliquam conſolationem, & illuſtrem Euangelij fideíque confeßionem continere videbũtur. Martialis quidem Albæ nullum extat ſcriptum, quod ad illud tẽpus cauſámque pertineat. Neque verò in ſcribendo ita fuit verſatus vt cæteri: in orãdo meditãdoq; magis occupatus: ad quẽ cæteri eius ſocij propter huiuſmodi meditationes officium orãdi inter ipſos deferebãt. Petrus verò Scriba & Bernardus Seguinus nõ ſtudio

Dominicanis. Franciſcanis. Carmelitis.

ſolùm

ſolùm pietatis, ſed etiam ingenio doctrináque excelluerunt, multáſq; epiſtolas in carcere ſcripſerunt: quæ oſtendunt illos non modò in ſacris literis diligenter verſatos fuiſſe, verumetiam ad mortem pro cauſa Chriſti Euãgelijque ſuſcipiendam toto animi ſtudio paratos. Quod vt facilius perſpici poßit, nos primùm confeßionem à Petro Scriba *in iudicio editam ac* Latino *ſermone expoſitam hoc loco inſeruimus.*

Petrus Scriba pro verbo Dei captiuus, omnibus fidelibus Chriſtianiſque hominibus gratiam, pacẽ, ſalutémque à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto etiam atq; etiã exoptat.

CVM *ego, fratres in Chriſto chariſsimi, animo mecum perpenderem eum fructum qui ad vniuerſam eccleſiam venturus eſſet, ſi ea argumenta, quæ de fide aduerſarij in carcere* Lugduni *mihi propoſuerunt, & ſimul quæ ſunt à me reſponſa vobis exponerem: ob id confeßionem meam ad vos ſcribere volui, tum vt omnes fideles conſolarer, tum etiam vt regnum* Ieſu *Chriſti amplificarẽ: in qua quidem etiam complectar ea capita, quæ tractaui ac poſui in ea confeßione, quam ego manu mea ſcripſi, atque aduerſarijs dedi, cùm eam ex ſcripto recitaſſem. Cùm igitur nos incluſi eſſemus in carcere* Archiepiſcopi Lugdunenſis, *ſeparatíque alij ab alijs, Deúmque ſummo animi ſtudio oraremus vt ad nomen ipſius cum omni fiducia & libertate cõfitendum nos Spiritu ſuo confirmaret: venit ad me ianitor carceris, qui duobus oſtijs apertis eius infimi loci in quo erã, comitatus legato* Præfecti *me ducit ad auditorium coram* Officiali, *aliíſque hominibus qui ibi maxima frequentia & authoritate aderant.* Tum Officialis *ex mé quærit, Quomodo appellaris?* Petrus, *inquam,* Scriba. *Qua, inquit, es vitæ profeßione? Scholaſticus, inquam. Vnde, inquit, nunc venis? Ex* Sabaudia, *inquam, & ditione principum* Bernatium. *Qua ex vrbe?* Lauſanna, *inquam. Quid, inquit, ibi agebas? Verbo* Dei, *inquam, ſtudebam. Quam, inquit,* Lauſannæ *doctrinam amplectũtur? Verbi* Dei, *inquam. Quomodo, inquit ille, ſcis tu verbum* Dei *eſſe, quod illi amplectuntur? Quoniam, inquam, iandiu in ea vrbe ſtudui, concionibúſq; interfui, quæ ibi quotidie habentur, vidi & audiui eos aliud nihil quã purum* Dei *verbum prædicare, & ita credo, propterea quòd Spiritus ſanctus animo meo eius rei teſtimoniũ dat, atque ita affirmat, vt nullo modo dubitare poſsim aut debeam. Víſne, inquit, amplecti eorum*

legem ac ſecundum eam viuere? Ego verò, *inquam, volo: quoniam verum* Dei *verbum eſt.* Num *credis, inquit ille, corpus* Ieſu *Chriſti in Sacramento altaris eſſe?* Minimè, *inquam: nam id quidem repugnat illi fidei noſtræ capiti, in quo dicimus ac credimus eum ſedere ad dexteram* Dei Patris, *nec inde antè venturum, quàm dies iudicij ille magnus & illuſtris venerit.* Diuinitatem *quidem eius per totum mundum diffuſam eſſe fateor. Sed ne vos exiſtimetis me ſanctũ negare ſacramentum, à* Ieſu *Chriſto inſtitutum: ego credo & confiteor, Sacramentum ſacroſanctæ* Cœnæ, *in qua comedo corpus* Ieſu *Chriſti, ſanguinémque eius bibo, non eo modo ac ratione carnis abſurda qua Capernaitæ &* Papiſtæ *arbitrabantur: ſed ita ſtatuo me capiendo eũ panẽ ac bibendo vinũ, verè corpus Chriſti edere ac ſanguinem eius bibere: ídque per fidem atque in ſpiritu.* Tum Procurator *fiſcalis, homo doctus (quemadmodum ego intellexi) Clepierius nominatus, qui proximus* Officiali *aſsidebat,* Tu, *inquit, ais te cùm panem ac vinum in* Cœna *ſumis, ſimul corpus & ſanguinem Chriſti ſumere?* Sanè *inquam: ſed ſpirituali quadam ratione, non carnali. nam quamuis Chriſtus nunc in cælo ſit, vbi eum fide quæro: virtute tamen Spiritus ſui qui res longo interuallo remotas ſeparatáſque coniungit, animas noſtras alit, fouet, reficit admirabili quadam ratione: quæ ab humano ingenio minimè comprehendi poteſt: atque hoc modo efficit, vt nos corporis ipſius membra, os ex ipſius oſsibus, caróque ex carne ſimus.*

Chriſtum impanare repugnat fidei Symbolo.

NB Corpus Chriſti quomodo nobis eſt cibus.

Credíſne, inquit, Purgatorium eſſe, vbi animæ purgentur, pro quibus nos orare debeamus? Ego verò, *inquam, credo ſanguine* Ieſu *Chriſti nos purgari, omniáque peccata noſtra elui. nam eam ob cauſam effuſus eſt: neque aliam credo, habeóque peccatorum purgationem. Scriptura enim duas nobis vias proponit: vnam fidei ad vitam æternam, alteram incredulitatis, per quam omnes infideles, qui non credunt in Chriſtum, ad mortem æternam deducuntur. nã ita ſcriptũ eſt, Qui in* Filium Dei *credit, vitam habet æternã: qui verò in* Filium Dei *non credit, is iam condẽnatus eſt, iráque* Dei *ſuper eum manet. Quare pro mortuis nullo modo orandum eſt. nam ſi in paradiſo ſunt, ſuperuacanea eſt oratio, planéque inutilis iis qui iam fructum ſentiunt mortis*

Verum Purgatorium.

Duæ tantũ viæ propoſitæ.

Pro mortuis nõ eſſe orandum.

ac paſſionis Ieſu Chriſti omniúmque promiſſionum, quæ in Euangelio *offeruntur. ſin damnati ſunt, nil oratio poteſt illis prodeſſe, qui à* Deo *ſunt maledicti in perpetuum.* Num *credis, inquit, ſacerdoti eſſe confitendum?* Ego *verò, inquam, ſentio vni* Deo *confitendum eſſe. ſicut* Dauid *multis locis dicit, ac præcipuè* Pſalmo XXXII, T*um dixi, Confitebor aduerſum me præuaricationes meas* Domino *& tu dimiſiſti iniquitatem peccati mei.* H*æc vera eſt confeſſio, quam ſtatim abſolutio peccatorúmque gratuita remiſſio ſequitur.* Ergo, *inquit, tu non credis confitendum eſſe ſacerdotibus?* Minimè, *inquam. nam id quidem planè pugnat cum verbo* Dei, *in quo docemur vnum* Deum *eſſe apud quem peccatorum confeſſio facienda ſit, quemadmodum* Dauid *oſtendit* Pſalmo LI, T*ibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Q*uid tu, inquit, ſentis de eccleſiæ ceremonijs, vt de campanis, aliíſque rebus ab ea inſtitutis?* Q*uoniam, inquam, nos hac carne circundati non poſſumus comprehẽdere res* Diuinas *ac cæleſtes, ſentio ad infirmitatem noſtram ſubleuandam huiuſmodi adiumentis atque adminiculis nos opus habere. itaque in* Eccleſia Domini *noſtri certæ ceremoniæ ſunt obſeruãdæ, conueniendúmque vnum in locum, tum ad audiendum* Dei *verbũ, tum ad ſacramenta à* Domino *inſtituta adminiſtranda & celebranda: quas ego ceremonias approbo.* Q*uæ verò à* Papa *in eccleſiam ſunt introductæ, eas planè repudio, vt perniicioſas alienáſq; à verbo* Dei, *quibus homines à vero* Dei *cultu pietatéque abducuntur.* C*redis, inquit, virginem* Mariam *orandã eſſe, cæteróſque item* Sanctos *qui ſunt in cælo: eóſque nobis eſſe aduocatos & patronos?* Nullum, *inquã, credo alium eſſe aduocatũ, qui pro nobis apud* Deum Patrẽ *intercedat, quàm* Ieſum *Chriſtum, in cuius nomine certiſſimã habemus promiſſionem, nos in noſtris precibus à* Deo Patre *exaudiri.* Is *etiam ſolus eſt* Mediator *inter nos &* Deum, *quemadmodum dicit* Apoſtolus: *neque vllus eſt alius.* Q*uòd verò ad* Virginem *attinet, credo eam inter omnes mulieres maxime beatã eſſe, propterea quòd ea credidit, atque* Chriſtum *in vtero ſuo tulit, virgo & antequã eum pareret & poſtquã peperiſſet: eiuſdémque fidem ac conſuetudinem vitæ imitandam:* Deum *verò ſolum eius exemplo inuocandum atque imitandum: quemadmodum in cantico ſuo nos monuit.* Idem *de* Sanctis *quoque ſentio.*

Vni Deo confitendũ

Ceremoniæ in quẽ vſum adhibendæ.

Chriſtus ſolus patronus.

1.Timoth. 2.b.5.

Virginis matris præſtantia.

quos quidem exiſtimo eſſe beatos, eorúmque exemplum imitandum, & laudandum Deum, quòd tantis eos beneficiis affecerit atque ornauerit. vt verò eos inuocem adorémque, nulla ratione adduci poſſum. nam ne ipſi quidem huiuſmodi honorem volunt. Cùm autem animaduerterẽ notarium non ſcribere ea quæ à me dicerentur, ac locos Scripturæ qui à me citarentur, in ſcribendo prætermittere, ea de re Officialẽ admonui, ab eóque papyrum atque atramentũ petij, vt confeſſionẽ meam ederem, atque ex certis Scripturæ teſtimonijs fidem meam declararem, demonſtrarémque eam meam teſtificationem à veritate verbi Dei nulla in parte diſcrepare. Id cùm mihi ille aſſenſiſſet, chartámque & atramentum ſe poſtridie mihi curaturum promiſiſſet, iuſsit vt meam confeſsionem ſubſignarem: atque à ianitore legatóque Præfecti in carcerem meũ reducerer. vbi gratias Deo meo per Ieſum Chriſtum eius Filium egi, quòd me ita ad confitẽdum coram inimicis ſanctum eius nomen virtute Spiritus ſui confirmaſſet, eúmque rogaui vt in eadem fidei confeſsione perſeuerantiam vſque in finem mihi præſtaret. Poſt hanc precationem, quanuis in loco eſſem admodum obſcuro ac tetro, in quo vix reſpirare poteram: tamen Spiritus virtute magnopere fui recreatus & confirmatus, eáque conſolatione ac lætitia affectus, quæ omnem triſtitiam, angorem, moleſtiámque ſuperabat. Poſtero autem die, qui erat dies Lunæ ac ſecundus menſis Maij, cuſtos carceris hora octaua me alium in locum traduxit: in quo aliquanto plus lucis ad ſcribendum habere poteram, partémque folij dimidiam mihi dedit ad perſcribendam confeſsionem meam. Id quod ego feci, inuocans Dominum vt author moderatórque totius confeſſionis meæ eſſe vellet. Poſtridie ianitor ſæpius ad me venit, valde vrgens vt ſcriptum quãprimum conficerem. cui ego reſpondi me non poſſe, propterea quòd ad ſcribendum non multum lucis haberem. Porrò duabus horis poſt meridiem legatus Præfecti venit, méque in amplam aulam adduxit, in qua erat Officialis, & iudex Cortrerius, aliíque plurimi magnæ authoritatis aduocati, ciues, mercatores, cæteríque alterius generis atque ordinis homines, multi præterea monachi tum Dominicani tum Franciſcani, aliíque pſeudoprophetæ qui inſignia beſtiæ in capite atque in toto corpore impreſſa habent. Tum Officialis

Lux in tenebris oritur rectis corde.

ficialis ex me quæſiuit, num vellem in ſuſceptâ ſententiâ permanere, & quod eſſem confeſſus defendere. Ego verò, *inquam, cùm nihil aliud quàm purum Dei verbum ſenſerim ac dixerim, volo id omni ratione tueri, atque in eo quod ſum confeſſus & viuere & immori. Scripſiſtíne, inquit, confeſsionem tuam ac perfeciſti?* Partem, *inquam, vnam tantùm ſcripſi: ſed vos rogo, vt conceſſu veſtro abſoluere mihi liceat, ad ídque faciendum iuſſu quoque veſtro ianitor mihi chartam ſuppeditet.* Lege, *inquit, id quod ſcripſiſti.* Tum *ego magna voce, quod à me erat ſcriptum legere cœpi. quo lecto atque recitato,* Officialis *ex me quæſiuit, num id quod ſcripſiſſem tueri vellem ac defendere.* Ego verò, *inquam, etiam vſque ad mortem, cùm id purum ſit* Dei *verbum, tueri paratus ſum.* Et *poſtea cùm is iuſsiſset vt confeſsionem meam obſignarem, id feci ſummo cum ſtudio ac voluntate.* Deinde *ille,* Hìc *adſunt, inquit, doctores, qui ſententiam tuæ opinioni confeſsioníque contrariam tibi demonſtrabunt. Incipiant igitur, inquam. nam ego eis reſpondere paratus ſum.* Verus & cordatus Christianus [illegible] Papa auis in terra

Tum *vnus ex illis monachis, quem cæteri dominum* Doctorem *honorificentiſsimis verbis appellabant, cœpit mecum ita loqui,* Age, *inquit, amice, tu in confeſsione tua dicis* Papam *non eſſe eccleſiæ caput. at ego contrarium tibi probabo:* Papa *eſt ſucceſſor ſancti* Petri, *ergo eccleſiæ caput eſt.* Ego, *inquam, primùm nego antecedens, quòd* Papa *diui* Petri *ſucceſſor ſit.* Ego, *inquit, tibi probo,* Papa *eſt in loco ſancti* Petri, *ergo eius ſucceſſor eſt.* Ego *verò, inquam, neutrum concedo. neque enim* Papa *annuntiat verbum* Dei, *quemadmodum fecit diuus* Petrus. Porrò *oportet eum qui* S. Petro *vult ſuccedere, illum quoque imitari, vt & annuntiet verbũ* Dei, *& oues* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti *paſcat: id quod* Papa *nullo modo facit, ſicut ego in confeſsione mea vobis oſtendo.* Dux gregis ipſe caper. Papa non eſt S. Petri ſucceſſor.

Præterea *etiam ſi* Papa, *vt verus verbi* Dei *doctor paſtórque* Eccleſiæ, *exemplum* Petri *ſequeretur, atque ei ita ſuccederet: non tamen caput eſſet* Eccleſiæ Domini *noſtri* Ieſu Chriſti, *ſed membrum tantùm, aut miniſter &* Apoſtolus. Itaque *nullum eſt aliud caput* Eccleſiæ: *neque alterum ego agnoſco, quàm* Dominum Ieſum *ſolum ſine vicario ac ſucceſſore.* Nam *diuus* Paulus *eum vnum conſtituit* Angelorum Chriſtus ſolus caput Eccleſiæ.

caput & hominum. Tum *monachus,* Equidē,*inquit, ſcio* Paulum *dicere Chriſtum totius* Eccleſiæ *caput conſtitutum: verumtamen vicarius qui vices eius ſuppleat, eſt in terra conſtitutus.* Minimè, *inquam ego. nam cùm ille magnitudine ac virtute* Diuinitatis *ſuæ omnia impleat, atque Spiritu ſuo* Eccleſiam *ſuam regat, vbi ille ita præſens eſt, nullum vicarium eſſe oportet.* Ego, *inquit monachus, oſtendo Chriſtum, quãuis totius cæli ac terræ rex ſit, plurimos tamen vicarios habere in hoc mundo, reges ac principes, quos vult populo ſuo præeſſe. Aliud eſt, inquam, in rebus ciuilibus, aliud in ſpiritualibus. nam in illa rectione rerumpublicarum atque rerum humanarum adminiſtratione reges vult eſſe ac principes qui ad ſocietatem generis humani conſeruandam dominentur: in eccleſia verò & regno* Chriſti, *quod eſt ſpirituale, non eadem eſt ratio regendi & gubernandi.* Tum *is mihi alias ſimilitudines afferebat: quas ego vt leues & ineptas prætermitto. Cùm autem in hac mihi cum illo monacho inſtituta diſputatione cæteri eiuſdem farinæ ac raſuræ homines viderent illum magnum doctorē ita victum: tum contrà vt me clamoribus ſuis conſternarent, bini aut terni interdum vociferabantur.* Ex *illis vnus fuit* Franciſcanus, *doctor Cumbanus appellatus, qui me hunc in modum aggreſſus eſt,* Tu *ais, inquit, ſanctum* Petrum *eccleſiæ caput non fuiſſe.* Maximè, *inquam.* Ego *verò, inquit, contrarium probo,* Dominus *noſter dicit* Petro, Tu *es Simon filius* Ionæ, *tu Cephas vocaberis. porrò Cephas, caput* Latinè *dicitur.* Vnde, *inquam, hanc tu interpretationem accepiſti?* Ioãnes *quidem in* Euãgelio *ſuo aliter interpretatur, cùm in primo capite eius* Euangelij *ita ſcribit,* Tu *Cephas vocaberis, quod declaratur* Petrus. Tum *iudex* Vilardus *nouum* Teſtamētum *in manu ſūpſit, vt videret an ea interpretatio ita eſſet quemadmodum ego dicerem: quam à meis verbis diſcrepare nullo modo comperit.* Itaque *monachus demiſſo capite ſummóque affectus pudore conticuit, ac planè concidit.* Tum Dominicanus *interruptum ſuum ſermonem hoc modo continuauit:* Tu, *inquit, tua confeſſione dicis hominem nullum habere liberum arbitrium: ego verò contrariam ſententiam probo. nam ita ſcriptum eſt in* Euangelio, *hominem quendam cùm* Hieroſolymis *in* Iericho *deſcenderet, in latrones incidiſſe, à quibus fuit ſpoliatus ac*

vulneratus

Chriſto nil opus vicario.

Clamoribus vincere volunt monachi.

Cephas doctori caput ſonat quia ſcilicet Galli *chef* caput vocant.

De libero arbitrio diſputatio.

vulneratus, ſemimortuúſque relictus: Thomas autem Aquinas, eam parabolam à Domino propoſitam interpretatur de libero arbitrio, quod dicit in parte quidem læſum, ſed non planè comminutum attritúmque fuiſſe vt nulla vis amplius hominis remanſerit. Hanc ego interpretationem, inquam, nullo modo accipio. Quid, inquit ille, éſne doctior S. Thoma? Ego, inquam, non tantum mihi arrogo, vt me eo doctiorem eſſe dicam. ſed hanc parabolam ita exponendam eſſe nego: ſed potius eo propoſito à Domino Ieſu exemplo nobis eam charitatem cõmendari, quam nos erga proximum noſtrum ſuſcipere & habere debemus. De libero verò arbitrio, nos omnem eius facultatem ac vim amiſimus, quemadmodum ego in mea confeßione declaraui. Nos enim planè mortui ſumus & non aliqua in parte, ſicut ait Diuus Paulus. Quòd ſi benè agimus, id nobis non eſt attribuendum, ſed Deo, qui per Spiritum ſuum in nobis agit: qui etiam, vt idem Apoſtolus teſtatur, facit vt nos & velimus & efficiamus. ita ſi Deus huiuſmodi voluntatis & facultatis largitor effectórque in nobis eſt, nullo iure eam poſſumus nobis arrogare. Tu, inquit, ais in confeßione tua, nos ſola fide iuſtificari. Maximè, inquã. at ego, inquit ille, probo nos operibus iuſtificari: Nos operibus meremur, ergo nos per ea iuſti ſumus. Ego nego, inquam, antecedens. Ego verò, inquit, illud probo: Diuus Paulus vltimo capite epiſtolæ ad Hebræos ita dicit, Beneficentiæ & communicationis ne obliuiſcamini: talibus enim victimis promeretur Deus: Vides, inquit, promereri ſignificare mereri. ergo nos operibus noſtris meremur. Nego, inquam, in eo textu ita legi: ſiquidem veram tranſlationem ſequi velimus. Tum Officialis ac monachi cæteri, Dic tu ipſe, inquiunt illi, quomodo eo in loco legendum ſit. Si, inquam, proprium ſermonis genus quo vſus eſt Apoſtolus, eiúſque ſenſum ſequamur, ita legendum eſt: Talibus victimis Deus delectatur, aut gratas acceptáſque habet: huiuſmodi hoſtiæ ei placent. Itaque Iudex Vilardus in nouo Teſtamento Franciſcani mox inſpexit, atque ita eſſe vt ego dixeram comperit. Tum verò Pſeudoprophetæ illi vehementer perturbati fuerunt, tantóque pudore affecti, vt loqui non poſſent nec auderent homines alioqui audaces atque impudentes. Ego autem, fratres, vobis verè affirmare poſſum, me quum diſputarem cum miſeris

In Adam omnes ſumus mortui.

*huiuſmodi hominibus,ita liberum,alacrem,paratúmque fuiſſe , vt ad omnia quæ mihi ab ijs proponerentur,placidè comitérque reſponderem.*Illi *verò erant planè conſternati & attoniti . Alij caput demittebant,alij frendebant dentibus,quemadmodum ego facilè videre poteram,inprimíſque* Frāciſcani *ea in diſputatione cum maxima animi indignatione,moleſtia & confuſione verſabantur .* Ex *quibus vnus quæſiuit ex me,quid de confeßione ſentirem.*Cui *ego cùm reſpondiſſem vni* Deo *confitendum eße,eóſque locos quos ad probandam auricularem confeßionem afferret,vt* Iacobi Apoſtoli *, non debere de ea intelligi aut exponi,ſed potius de fraterna reconciliatione:miſeri homines obmutuerunt.*T*um* O*fficialis,*E*quidem,amice,inquit,video ea quæ iſti ad te admonendum afferunt:ſed tu in tuo errore obſtinatus ſemper permanes.*Q*uare cogita,quemadmodum res tua cauſáque ſe habeat.*T*u verò,inquā,optimè perſpicis eas demōſtrationes,argumēta,rationes quas vndique afferunt,non valere vt me de eo quod affirmo,redarguant atque conuincant,neque verò eos , quæ à me ſecundū verbum* Dei *dicuntur,poſſe refellere ac refutare . quare ego non ſum pertinax,neque vllo in errore:neque aliud quidquam aſſero quàm purum* Dei *verbum,quod ego vſque ad vltimum vitæ ſpiritum tueri paratus ſum.*T*um is iußit vt ego in carcerem meum reducerer, vbi ego fui vſq; ad diem* Martis *ſequētem,qui dies decimus erat menſis* Maij, Dominum *orans,vt me ad cauſam ſuam defendendam virtute* Spiritus *ſui confirmaret.*

De confeſſione.

Veritatis defeſio pertinaciæ nomine traducitur.

Et *quoniam in poſtremis diſputationibus de ſacramento* Cœnæ *nihil obiectum mihi fuerat,præparaui me vt reſpōderem ad ea quæ ab illis dici atq; obijci poſſent contra ea quæ ego in confeßione mea profeſſus ſum.* Q*ua in re* Deus *benigniſſimus voto meo ac deſiderio reſpondit & ſatisfecit.*

Decimo *igitur die* Maij, *eodémque* Martis *, circiter horam ſeptimam ianitor me accerſit vt ad* O*fficialem adduceret , quocum etiam erat* O*fficialis* P*rimatius , vt vocant , primus in inimicis* Ieſu Chriſti *infeſtiſsimúſque hoſtis:præterea* Clepierius *procurator,cum quibuſdam alijs* Antichriſti *adminiſtris,eiúſq; impiæ ſectæ & cauſæ defē-*

ſoribus

ſoribus:in quibus erat Dominicanus doctor, qui noſtris interfuerat diſputationibus, ſed mecum congreſſus non erat. Cùm igitur ad eos eſſem productus, Amice, inquit Officialis, viſne permanere in ea ſententia & confeſſione, quam tu antea nobis edidiſti? Sanè, inquam. nã ea quidem à me facta eſt ex verbo Dei, pro quo ego tuendo & viuere & mori paratus ſum. Tum Dominicanus, Num credis, inquit, corpus Chriſti certa corporis locíque ratione in Sacramento incluſum? Minimè, inquam. nam verbum Dei nos docet eum eſſe in cælo, ibíque tandiu futurum quoad iudicaturus viuos & mortuos veniat. Atque hoc quidem vnum fidei noſtræ caput eſt, in quo credimus eum in cælũ aſcendiſſe, ac ſedere ad Dei omnipotentis dexteram. Quare ſi Chriſtus eſt in cælo, quòd ad ipſius humanitatem attinet, atque ibi, quẽadmodum dicit S. Petrus, vſque ad reſtitutionem omnium futurus eſt, non oportet in Sacramento eum quærere, quaſi quodam in loco inferioris terræ incluſum. Ieſus Chriſtus, inquit, ſumens panem dixit, Hoc eſt corpus meum. In pane ergo corpus eſt. Non ita eſt, inquam. Neque enim Chriſtus dicere volebat eum panem quem diſcipulis ſuis dabat, ſuum eſſe corpus: ſed ſignum eius tantũmodo. neque enim EST ſubſtãtiuè accipitur in ſua propria ſignificatione, vt naturam rei exiſtẽtis ſignificet: ſed ſignificationem rei ſignificantis notat, genere ſermonis in Script. vſitato, quo nomẽ pro nomine accipitur, & ita ſignũ nomine rei ſignificatæ appellatur, aut contrà nomen ſigni cũ re quã ſignificat, communicatur: vt in Geneſi Dominus Circuncisionem fœdus ſuum eſſe dicit: neque tamen Circuncisio fœdus erat, ſed ſignum ac ſigillum fœderis, quemadmodum eo in libro nominatur: & à Paulo ſigillum iuſtitiæ Abraham dicitur. De agno etiam in Exodo ſcriptum eſt, eum eſſe Paſcha, id eſt tranſitum Domini. Neque tamen agnus erat tranſitus: ſed ſignificationẽ rei præteritæ habebat illius præclaræ memorabiliſque redemptionis, qua Deus populum ſuum ex Ægypto eduxerat. Itaque verbum ſubſtantiuum EST his duobus locis pro Significat accipitur, præſertim cum ſermo de Sacramentis eſt inſtitutus. Tum monachus, Maxima, inquit differentia eſt inter Sacramenta veteris Teſtamenti, & noui. Neque enim Sacramenta veteris Teſtamenti gratiam conferebant, ſicut ea quæ in nouo ſunt inſtituta. Nec veteris,

Corpus Chriſti eſt in cælo.

Actor. 3.

Verba Cœnę quomodo intelligenda. Eſt pro ſignificat.

Circũciſio fœdus nominata.

Agnus Paſcha.

Sacramēta gratiā non conferunt.

inquam, nec noui Teſtamēti ſacramenta gratiam conferunt: ſed ſolùm eam à Ieſu Chriſto in nos conferri oſtendunt. Nam miniſter quidem tātummodo ſacramenta nobis adminiſtrat: ſed Ieſus Chriſtus virtute Spiritus ſui gratias dat, eáque communicat quæ promiſſa nobis in Sacramentis proponuntur & repræſentātur. Patres, inquit, veteris teſtamēti, nónne eiuſdem gratiæ promiſsionúmque participes fuerunt, quibus nos hodie participamus? Maximè, inquam. Nam Paulus ad Corinthios ſcribit, Patres veteri teſtamenti eundem nobiſcum cibum ſpiritualem comediſſe, eundémque potum bibiſſe ſpiritualem. Ex quo efficitur eandem gratiam nobiſcum & promiſsiones iuſtitiæ ac vitæ communes habuiſſe per fidem, qua Chriſtum ipſis promiſſum ac mutis ſignis præmonſtratum expectarunt. Ieſus Chriſtus, inquit, in Euangelio Ioannis VI. cap. ita loquitur, Patres veſtri in deſerto comederunt manna & ſunt mortui. ergo eiuſdem gratiæ nobiſcum participes non fuerunt. Ieſus Chriſtus, inquam, eo in loco de iis loquitur qui man per fidem non acceperunt, ſymbolum & ſacramentum eius panis, quem ipſe de cælo miſſum ac viuificum largitur: ſed non de iis loquitur qui fide illum cibum acceperunt, quo in numero fuit Moyſes, Aaron, Ioſue, Caleb, & alij pij qui ſub illis figuris vmbríſque veteris teſtamenti Chriſtum venturum, quaſi eminus aſpexerunt. Nam de Abraham ipſe Dominus dicit in Euangelio Ioannis, vidiſſe ſuum diem lætatúmque fuiſſe. Abraham autem vidit Ieſum Chriſtum, non corporis, ſed fidei oculis. Itaq; dominus doctor tum magnoperè erat perturbatus, atque ita incertus, vt quid ageret, aut quò ſe verteret planè neſciret. Et ſimulatque ego aliquot eius argumentum diſſoluerā, quærebat ſemper aliquid, quò poſſet effugere, ne victus à me eſſe planè videretur, ſæpe me his verbis interpellans, Audi, amice, ne tātoperè incaleſcas, neque ita clames: expecta parum, expecta. Ego, inquit, probo homines veteris teſtamēti, eius gratiæ, cuius nos ſumus, participes non fuiſſe. Diuus Paulus ait, Lex iram operatur: & alio loco, Quicunque ſunt ſub Lege, ſub maledictione ſunt. Quòd ſi ſub ira ſunt & maledictione, ſequitur eos gratiæ nobis cõmunicatæ participes non fuiſſe. Diuus Paulus, inquam, oſtendit his locis, Legem non poſſe nos iuſtificare, propterea quòd eam nemo præſtare poteſt: atque omnes qui

Sacr. veterum re noſtris ſimilia.

Abrahā diē Chriſti vidit.

Lex non iuſtificat

volunt

olunt per eam coram Deo *iuſti eſſe, in iram* Dei *maledictionémque incurrere: ſed ad* Chriſtum *eſſe confugiendum, qui eam omnibus partibus compleuit, per fidémque in ipſum eã nobis iuſtitiam donari, quæ iuſtitiæ* Dei *reſpondeat ac iudicio* Dei *ſatisfaciat*. Itaque Lex *iram efficit, nóſque omnes condemnat, non natura ſua quæ ad vitam ſalutémque data eſt, ſed culpa noſtra, qui non poſſumus eam implere.* Patres *autem veteris teſtamenti videmus iuſtitiam non in* Lege *quæſiuiſſe, ſed in* Chriſto Ieſu, *qui ipſius* Legis *finis eſt, in quem ipſi crediderunt.* Diuus Paulus, *inquit,* VII. *cap. ad* Rom. *oſtẽdit in veteri teſtamento nihil præter iram ac minas fuiſſe: in nouo verò gratiam & miſericordiam nobis proponi & commendari, cùm ita dicit,* Ego *miſer homo, quis me liberabit de corpore mortis hui⁹? gratia* Dei *per* Ieſum Chriſtum. Paulus, *inquam, eo in loco non loquitur de veteri & nouo teſtamẽto: ſed de pugna & certamine carnis atque ſpiritus, in quo homo verſatur* Spiritu Dei *regeneratus, quod certamen carnis ſpiritui reſiſtentis* Apoſtolus *in ſeipſo oſtendit.* Præterea *in iis libris qui de* Græco *in* Latinum & Gallicum *ſermonem rectè ſunt conuerſi, non legitur,* Gratia Dei, *ſed,* Gratias *ago* Deo *per* Ieſum Chriſtum. Interea *dum ego cum hoc monacho diſputarem,* Officialis Primatius *ira indignatione que furebat, & magnis crebríſque clamoribus hæreticum me appellabat.* Cùm *igitur videret dominum doctorem os habere clauſum, nec poſſe mihi reſpondere: aduerſum me vociferans,* Tu, *inquit, ſceleſte hæretice, negas ſanctum* Sacramentum? Minimè *verò, inquam: ſed credo & amplector ſicut à* Chriſto Domino *eſt inſtitutum, atque* Apoſtolis *ipſius impertitum.* Tu, *inquit, corpus* Ieſu Chriſti *in* Sacramento *eſſe negas, & panem vocas* Sacramentum. Scriptura, *inquã, admonet nos, vt* Chriſti *corpus in cælo quæramus, imprimíſq;* Paul⁹ Coloſſ. III. Si *vos cum* Chriſto *reſurrexiſtis, quærite non quæ ſunt in terra, ſed quæ ſurſum in cælo ſunt, vbi* Chriſtus *eſt ad dexterã* Dei *collocatus.* Quòd *verò ego dicã ſacramentũ non eſſe corpus* Chriſti, *ſed panem, qui ſuam naturã propriã retineat, idem quoq; facit* Paulus: I. Corinth. *cap.* XI. Nam *quater aut quinquies ſacramentum* Cœnæ, Panẽ *appellat.* Tũ *monachus,* Ieſus Chriſtus, *inquit, dicit ſe eſſe panem vitæ.* Et Primatius Officialis, Sceleſte *hæretice, inquit,*

Officialis Primatii rabies.

Sacramen. Cœnę panis dicitur.

Ieſus Chriſtus dicit ſe vitem eſſe & oſtium: vbi quidem figuratè ac per ſimilitudinem loquitur: ſed verba Sacramenti non ita ſunt intelligenda. Teſtimonia, inquam, quæ vos allegatis, pro me potius, quàm pro vobis faciunt. Age ſceleſte, ain tu panem Cœnæ, atque eum quo in victu quotidiano vtimur, eundem eſſe, neque quidquam intereſſe? Natura, inquam, & ſubſtantia nihil planè differunt: qualitate verò & vſu magnam habẽt differẽtiam. Panis enim Cœnæ cùm eiuſdẽ ſit naturæ cum eo quo quotidie veſcimur, aliam tamen qualitatem accipit, cùm ad ſacramentum adhibetur, atque ad obſignandam promiſſionem vitæ ſpiritualis æternæque proponitur. Tum ille furens, Abi ſcelerate hæretice, tu igne cremaberis, atque ad diabolum ibis? Si ego, inquam, comburar pro verbo Dei tuendo, non propterea ibo ad diabolum. Vos quidem nunc iudicatis, atque omnia ad iudicium arbitriúmque veſtrum refertis: ſed videte quid agatis. Nam alius eſt ſummus Iudex, qui de cauſa noſtra verè ac ſine acceptione perſonarum iudicabit. Is innocentes, iuſtos pronuntiabit, quòd cauſam ac veritatẽ ſuam defenderint: improbos & ſceleratos, qui impiè eius verbum perſequũtur, condemnabit. tum ille vt inſanus furoréque correptus exclamare cœpit, Abi ſceleſte, reducite eum in carcerem. Ego autẽ Officiali Buatherio dixi, Obſecro te, domine, vt conceſſu veſtro liceat mihi confeſſionem meam abſoluere. Sed is, itémque monachus, atque alius Officialis iuſſerunt, vt ego meum in locum me reciperem. Itaque digreſſus ſum ab illis maxima cum moleſtia ac dolore animi, eorum cauſa accepto, quibus meam fidem cumulatè approbare aut certè declarare non poteram. Sed in locũ reuerſus meũ, cœpi Deum inuocare, animóque reputare, quã de impijs hominibus, adminiſtris Antichriſti atque hoſtibus veritatis reportaram victoriã, quos verbo Dei planè confecerã. Tũ verò Spiritus ſanctus in memoriã mihi reduxit id quod Chriſtus Ieſus ijs promiſit, qui pro cauſa ipſius defendenda coram inimicis eius prodirent. Vos quidẽ, inquit Dominus, corã regibus, præſidibus, iudicibúſque producemini in teſtimonium eis: ſed ego vobis dabo tum os & huiuſmodi ſapientiam, cui aduerſarij reſiſtere non poterunt. O ſummam conſolationem & lætitiã, quam ego, fratres chariſſimi, animo meo accepi, cùm vidi illud Chriſti promiſſum in meipſo completũ eſſe

Panis Cœnæ in quo differt à quotidiano

Super omnia vincit veritas.

Gaudium captiui in S. Spiritu.

ſſe, verbúmque Dei aduerſus ſathanam & Antichriſtum eiúſq; ad-
miniſtros ſuperius extitiſſe? Equidem magnas conſolationes Spiritus
Dei antea percepi, ex quo Dominus me ad cognitionem verbi ſui vo-
cauit, imprimíſque dum in eccleſia Dei, in ſancto fidelium cœtu & cõ-
ſentu vixi: ſed minima conſolatio & lætitia, quam paulò antè in his
meis vinculis cepi & nunc capio, omnia ſolatia gaudiáque ſuperat
quæ vnquam in tota vita mea habuerim. Nunc enim Spiritus ſanctus
reducit mihi in memoriam tot & tam ſuaues promiſsiones factas iis
qui pro nomine ipſius patiuntur, guſtúque ac ſenſu cæleſtium gaudio-
rum afficit: Tu quidem, inquit, nunc in his locis obſcuris tetríſque bea-
tus es, quanuis à toto mũdo vt miſer & infelix reijciaris, deteſtandúſ-
que exiſtimeris, non ob aliud, niſi quòd nomen meum confiteris: Tu nũc
in angore, lachrymis, ſqualoréque verſaris: ſed tempus eſt vt teipſum
erigas, in Deóque authore huius tam excellentis vocationis gaudeas,
exitúmque huius certaminis feliciſsimum, atque ampliſsimum victo-
riæ præmium tibi proponas: Quòd ſi hoc tempore tu ducaris ad tor-
menta cum ſumma ignominia & dedecore, ô beatum hominem qui co
ram Deo eiúſque Angelis omnes reges atque Imperatores huius mun
di honore ac dignitate ſuperas! Nam primùm hoc modo imagini Filij
Dei conformis conſimilíſque fis, vt eius quoque gloriæ atque immorta
litatis particeps ſis. deinde Spiritus gloriæ in te honorificentiſsimè
requieſcit: cuius quidem ea vis eſt atque præſtantia, vt cætera omnia
huius mundi vel ornamenta vel ſolatia gaudiáque cum eius commen-
datione atque conſolatione comparata euaneſcãt: Denique nunc tu es
in ſchola & diſciplina Filij Dei, in qua Pater cæleſtis omnes diuitias
ac theſauros gratiæ ſuæ, ſecretáque ſapientiæ ſuæ admiranda, & iu-
dicia altiſsima explicat: in qua omnes Prophetæ, Apoſtoli, Martyres
verſati fuerunt, & iniurias, opprobria, contumeliáſque perpeſsi, in-
ſtar ignis in fornace probati atque explorati extiterunt priuſquam
adipiſcerentur coronam immortalitatis, paratam propoſitámque iis
omnibus qui cauſam Chriſti & dignitatem vſque ad mortẽ tueri vo-
lũt. Hæc eſt lectio, fratres chariſsimi, in qua Spiritus ſanctus optimus
filiorum Dei doctor, & ſuauiſsimus eorum qui affligũtur conſolator,
nos quotidie in his noſtris ærumnis conſolatur & hortatur.

Conſolationes mirificę in carceris anguſtiis.

Carcer ſchola Filii Dei.

Poſtero autem die, qui erat dies Mercurij, *vndecimus eius menſis ſuprà notati, ego traductus ſum in alium carceris locum non ita obſcurum: vbi erat frater & ſocius huius noſtræ captiuitatis propter communem cauſam* Euangelij: *quocum meipſum per duos dies magnoperè ſum conſolatus. ſumma autem* Dei *prouidentia eum in locum tranſlatus fui.* Nam *cùm eſſem ibi cum eo fratre, admoniti fuimus, vt appellaremus ab iniquitate eius ſententiæ, in qua nos hæreticos pronuntiarent.* Cuius *quidem rei nunquam mihi veniſſet in mentem, neque alteri fratri qui in carcere erat inferiore, niſi hoc modo conſilium nobis datum fuiſſet.* Itaque *cùm veſperi in meum priſtinum carcerem reducerer, per latrinas id conſilium communicaui cum eo fratre qui in loco ſub me inferiore erat conſtitutus.* Porrò *die* Veneris *ſequenti,* XIII. *eius menſis, ianitor me accerſit vt ad* Officialem *adduceret: cum quo nullus erat alius præter ipſum ianitorem & alium quendam qui ex me quæſiuit, an ego in oppido nomine* Charitatis *appellato, vnquam fuiſſem.* Cui *ego,* Minimè *inquã: neque ſcio vbinam ſit ea vrbs.* N*um, inquit, tu cum iis fuiſti qui* Richardum *eripuerunt, cùm is* Lu*tetiam captiuus ad parlamentum duceretur?* Non, *inquam, neque vnquam* Richardum *cognoui aut vidi, niſi* Lauſanna *tranſeuntem: quem quidam eum eſſe mihi ſignificarunt. ac ſic habeto, domine, credáſque mihi pro ea fide ac religione iuriſiurandi quo obſtrictus me verum dicturum vobis promiſi, me nunquam ibi tum interfuiſſe, nec eam rem vllo modo approbare.* Neque *enim ea eſt ratio, qua verbum* Dei, *aut eos qui illud tuentur defendere debeamus.* V*is tu igitur, inquit, errorem tuum & ſuſceptam opinionem retinere?* Q*uod ego amplector, inquam, & tueor, nihil eſt aliud quàm verbum* Dei, *cui ego nihil repugnans affero.* Q*uî, inquit, ſcis tu, id quod aſſeris, purum eſſe* Dei *verbum?* Q*uoniam, inquam, id cum doctrina* Prophetarum, Apoſto*lorum ac ipſius* Ieſu Chriſti *conuenit, &* Spiritus *ſanctus certiſsimum mihi de eo teſtimonium reddit, & ego ita perſuaſus ſum.* Præterea *tu ipſe, domine, perſpexiſti & perſpicis aduerſarios nullam rationem, quæ quidem valeat, cõtrà afferre: nec me reuincere quò minus id quod dico verum ſit. vidiſti enim eum qui mecum de* Sacramento *& aliis quibuſdam rebus diſputabat, victum fuiſſe.* T*u, inquit ille, ſanctum negas*

Appellandi conſilium.

Agit de Richardo le Feurecuius hiſtoria huic martyrologio infra aſcripta eſt

Verbũ Dei armata manu à priuatis nõ propugnandũ.

Vnde verbi Dei certitudo.

gas ſacramentum. Minimè, inquam: ſed de eo ita ſentio, vt Chriſtus Dominus inſtituit, & Diuus Auguſtinus in Ioannem ſcribens exponit. Cùm autem viderem Officialē alia veſte indutum quàm vti conſueuerat, & quia id mihi antè dixerat, putabam eum tum laturum eam ſententiam, qua me hæreticum declararet, atque ita de nobis breui actum fore. tum ego ei dixi, Nos cùm Lugduno tranſiremus, atque aliò iter haberemus, captos eſſe ſine vlla cauſæ inquiſitione, cùm nihil contra Regis edictū dixiſsemus aut feciſſemus: quod iuri gentium repugnat.

Tu interrogaſti nos de fide noſtra, quid de tota religione ſentiremus: nos tibi ex verbo Dei reſpondimus. Conceditur Turcæ aut Iudæo, vt rationem reddat fidei ſuæ, eiúſque doctrinæ quam profitetur, ſine vllo vitæ periculo. cur nobis quoque non concedetur, qui nihil dicimus niſi quod verbo Dei continetur? Nos quidem certò ſcimus nō temerè ac fortuitò, ſed certiſsima Dei voluntate & prouidentia in manus veſtras incidiſſe: ſed vos quoque à Deo eſtis conſtituti, vt de cauſa noſtra, quæ iuſta & æqua eſt, iudicetis. Quare conſiderate, quidnam de ea ſtatuatis ac decernatis. nam ſi aliter quàm oportet iudicaueritis, atque optimam cauſam veritatémque condemnaueritis, alius eſt ſupremus iudex, ad cuius tribunal vos ſiſti aliquādo oportebit, vt ſententiam quoque contra vos ipſos audiatis, ſi nunc quidquam iniquè in nos eius veritatis teſtes conſtitueritis. Cùm autem hæc à me ei maximo animi ſtudio & ſumma Spiritus vi dicerentur, homo miſer attonitus atque exterritus incedebat, vt nullum verbum loqui poſſet. Non erat illi eadem facies ac vultus lætus aut compoſitus quo me antea interrogare conſueuerat, ſed triſtis & pallidus, index ſummæ perturbationis: planè nullo loco conſiſtere poterat. Cùm ego ei proponerem iudicium Dei, nihil omnino loquebatur, nec tamen à me digredi poterat. Interea Dominus in caput eius fulminabat: mihi verò ſummam in loquendo libertatē & audaciam cōcedebat. Ac cùm diu poſtea loquutus eſſet, ad poſtremū diſcedens dixit, verbum Dei quidē tuendum eſſe. Id cùm ille dixiſſet, ianitor me in meum carcerē reduxit: & quarta horæ parte pòſt, me accerſiuit vt in auditoriū ad Officialem, alióſque iudices ꝑduceret, vbi maxima hominū frequētia erat. Tū Buatherius legere cœpit ac ꝓnūtiare meā ſētētiā, in qua me vt hæreticū, ſchimaticúmque

Fideliū cō ditio deterior quàm Turcarum

Iudex ad ſupremum Dei tribunal reuocatur.

Officialis terretur vi Spiritus.

condemnabat. Tum dixi me ab ea ſententia appellare, quà ad optimam cauſam meam condemnandam abuterentur: itaque ab huiuſmodi abuſu prouocare. Tum Officialis, Cur, inquit, tu appellas? modo non ita loquebaris. Ego, inquam, in mea confeßione contra abuſus, non contra verbum Dei locutus ſum. itaque à veſtra ſententia appello vt abuſiua & iniqua. Porrò poſt eam ſententiam & appellationem noſtram, aduerſarij ira & indignatione cœperunt furere. Officialis quidem vicarius Lugdunenſis Archiepiſcopi, poſtquam nos condemnaſſet, domum maximo cũ tremore ac terrore reuerſus eſt: ita vt cùm de prouocatione noſtra loqueretur, in ſumma perturbatione atq; animi angore verſaretur. Cùm autem domum ſuam ita attonitus conſternatúſque ſe recepiſſet, ſeſquihoram pòſt venit ad eum iudex Melierus, qui ſe à Supprǽfecto Regis miſſum eſſe dicebat, vt eos Lutheranos ad Rouanam Regium carcerem traduceret, vt poſtridie ſupplicio afficerentur. Cui Officialis reſpondit, non ita futurum, quoniam nos appellaſſemus, cámque appellationẽ repudiare ſe non poſſe. Tum ille, quaſi leo rugiens, Tu igitur, inquit, non vis in hos ſceleratos homines animaduertere? Sanè volo, inquit Officialis: ſed conſilium antè nobis capiẽdum eſt, & Lutetiam ſcribendum, vt ſciamus an eorum appellatio ſit valitura. Ita Deus mirabiliter defendit nos per eum, qui paulò antè nos condemnauerat: leóque nobis ad tempus paſtor fuit, vt nos aduerſus rabiem cæterorum leonum tutaretur. Qua in re Deus manum ſuam fortem ac potentem exhibuit, atque in conſpectu noſtro opus admirabile effecit, vt in ipſius bonitate, miſericordia, veritate totam fiduciam noſtram reponamus, planéque nobis perſuadeamus, cùm optimus Pater huiuſmodi amorem, curã, ſolicitudinem in nos ſuſcipiat, nullam vim tantam diaboli aut mũdi fore, quæ nobis nocere poſſit, ac ne pilũ quidẽ capitis nobis periturũ. Quamobrẽ maximas Deo gratias agere debemus pro huiuſmodi liberatione, in qua mirificè nos tutatus eſt, noſtrã in ipſa morte vitam conſeruans, multóſque pios homines ſuſcitans, à quibus magna & corporis leuamenta & animi ſolatia quotidie accipimus. Confidamus igitur & ſperemus, Dominum qui ita nobis affuit, nullo vnquam loco, tempore, ac re defuturum: atque eius bonitatem, & gratiſsima animi memoria, & certiſsima fiducia

Prouocatio à ſententia iudicum.

Gehenna cõſcientiæ impię.

Lupus oues ſeruat.

Dei erga ſuos prouidentia.

cia

cia in eo vno collocata illuſtremus. Nos *quidem hactenus eius ſingularem gratiam opémque experti ſumus, apud quos nec pericula acerbiſsimæ mortis propoſita, nec magna huius ſuauiſsimæ vitæ commoda ab aduerſariis promiſſa, quidquam valuerunt, nec vnquã efficere potuerunt quò minus nos fidem in* Deum, *Chriſtumque puriſsimè ſuſceptam, ſumma cõſtãtia retineremus ac declararemus.* Itaque *nos totos in eius fidem atque opẽ permittamus, qui cauſam ſuam, honorẽ, gloriam nobis tuendam commiſit: eique noſtrum ſtudium & officium, omni conſtantia, fide, obſeruantia approbemus.*

Eiuſdem Petri Scribæ epiſtola qua conſolatur quendam amicum vnà captiuum.

P*Oſteaquam optimo* Deo *ac* Patri *noſtro placuit nos coram inimicis producere, vt ſimus teſtes veritatis eius: noſtrum nunc officiũ eſt, vt ei maximas agamus gratias, laudéſque ſempiternas tribuamus, orantes ſemper, vt hoc præclarum atque admirabile opus in nobis inſtitutum perficiat ad gloriam nominis ipſius, tum in vita tum in morte illuſtrãdam.* Nos *quidem, frater chariſsime, paulò antè magnos aduerſariorum impetus ſuſtinuimus, ſed leues adhuc, ſi cum iis comparentur, quos ſathan iam facere in nos molitur.* Nos *pro gloria* Dei *vſque ad hunc diem dimicauimus, ſed nõ vſq; ad ſanguinẽ* Ieſum *Chriſtum eiúſque veritatem coram inimicis crudeliſsimis atque infeſtiſsimis confeſsi fuimus.* Reſtat *igitur, ſi voluntas* Dei *eſt, vt eandem ſanguine noſtro obſignemus, atque ita confirmemus.* Itaque *quoniã huiuſmodi certamen nobis eſt propoſitum, in quo inimicus ad nos opprimẽdos ac perdendos, omni ex parte viribus omnibus ſe armat ac roborat: ad pugnandum contrà nos quoque magnum animũ paratúmque ſuſcipiamus.* Muniamus *nos tota armatura ſpirituali: eáq; inſtructi ac parati certamẽ propoſitum ſubeamus, ſequentes regem ac ducem noſtrũ* Ieſum *Chriſtũ, qui vt coronã immortalitatis obtineret, crucem mortémq; ignominioſam perpèſſus eſt, opprobrium mundi aſpernatus vt voluntatem* Dei Patris *ſui præſtaret, atque hac via perduceret ad vitam æternam omnes electos, qui ab omni æternitate ad hanc tam excellẽtem* Filij *eius imaginem in vita & morte exprimendam prædeſtinati fuerũt: pro quo nos etiam patimur, vt in ſocietatem gloriæ ipſius ali-* Mortis Chriſti ſcopus.

quando veniamus. Quòd ſi mundus, mors, diabolus volunt perdere nos & abſorbere, audiamus Ieſum Chriſtum *optimum* Magiſtrum *ita loquentem, Vos quidem in mundo afflictionem habebitis: ſed confidite, quoniam ego vici mundum. Qui credit in me, ex morte ad vitam tranſibit.* Nam Chriſtus *moriendo perfecit, vt mors iam amplius non ſit mors, ſed via qua ad vitam & ſummam gloriam perducamur. Si fluctus maris huius mundi ad nos ſubmergendos attolluntur: ſi inimici nos quamplurimis atque infeſtiſſimis copiis aggrediuntur, clamemus cum* Apoſtolis, Domine, *libera nos: & is omnibus ex periculis eripiet. Quemadmodum* Deus *etiam promittit per* Prophetam *ſuum* Dauidem, Inuoca *me in die afflictionis tuæ, & ego eripiam te, & tu honorem mihi tribues. Cùm inuocabis me, ego tibi reſpondebo, eróque tecum in afflictione: liberabo te, atque glorificabo.* O *maximam & ſuauiſſimam conſolationem, quam nos in huiuſmodi* Dei *promiſſionibus habere debemus! quarum fidem ac veritatem nos tam ſæpe in his noſtris vinculis experti ſumus, planéque ſenſimus eum, vt promiſit, nobiſcum eſſe velle, vt nos in ipſa afflictione cõſoletur, atque omni malo liberet.* Nam *cùm ab aduerſarijs damnati mortis ſumus, atque à ſocietate hominum tanquam quiſquiliæ reiecti, conſideremus admirandam* Dei *bonitatem & miſericordiam, qui nos varie eſt conſolatus, tum in corpore tum in animo, noſtra corda perfundens huiuſmodi lætitia, quæ omnem ſenſum atque intellectum ſuperat, quæ non ſolùm triſtitiam vincit & abſorbet, ſed etiam efficit vt in noſtris afflictionibus, atque etiam in ipſa morte gloriemur, omnémque inimicorum furorem in nos incitatum deſpiciamus. ita vt ſingulari* Dei *gratia videamus noſtros inimicos infinitis partibus magis captiuos & afflictos, quàm nos ſumus.* Etenim *ſi hoc corpus incluſum carceribus tenetur, animus quidem certè iucundiſſima libertate perfruitur, perfuſus omni lætitia conſolationéque cæleſti per* Spiritum *ſanctum: qui ſuo teſtimonio nobis affirmat nos filios* Dei *eſſe ac fratres* Ieſu Chriſti, *certóſque reddit de ſalute noſtra, liberationéque beata, tum futura, cùm animus ab hoc corpore ſeparabitur, ac tum denique cùm in glorioſa reſurrectione reſurgemus.* At *verò inimici noſtri, quanuis iuxta figuram huius mundi in ſumma libertate ac felicitate eſſe videantur: tamen ſunt miſerrima ſathanæ mancipia, perpetuum vermem habent in*

Ioan. 16. Marci 4. Pſalm. 50. Pſalm. 91. Conſolatio filiorũ Dei. Vermis

conſcientia cor ipſorum corrodentem atque exedentem, ignémque perpetuò ipſos crucientem: vt quamuis omni ratione conentur omnem ſenſum iudicij Diuini in animo delere, inuiti tamen infeſtam Dei iudicis ac vindicis manum ſentiant. Quamobrem Apoſtolũ ſequentes, in cruce Domini noſtri atque afflictionibus noſtris agamus gratias, quòd ab ipſo nunc caſtigemur, ne cum mundo condemnemur ac pereamus. Afflictio enim noſtra leuis eſt, nobíſque ad exiguum temporis ſpatium impoſita: conſolatio verò ſempiterna. O ſi nos animo reputaremus gloriã infinitã, immortalémque coronam quæ nobis poſt victoriam repoſita in cælo aſſeruatur! ſi illa tãta bona, gaudiáq; cogitaremus, illã æternam hæreditatẽ quã Chriſtus Ieſus morte ſua acquiſiuit! ſi mẽtes animóſque noſtros erigeremus ad eam felicitatẽ & glorioſam immortalitatem, in qua corpora noſtra hac humilitate liberata, glorioſo corpori Chriſti conformia erũt: tum in hac captiuitate noſtra, atque etiam in ipſa morte lætaremur, laudéſque ſempiternas Deo caneremus, ac gratias immortales optimo Patri ageremus, nomine huius tanti honoris ac teſtimonij, quo nos teſtes veritatis ac procuratores cauſæ ſuæ conſtituit. Heu, chariſſime frater, Chriſtum Ieſum minimè puduit coram Deo Patre cauſam noſtram deteſtandam ſuſcipere ac ſuſtinere, tot tantáſque iniurias, opprobria, contumeliáſque perferre, ita vt cruci affixus inter duos facinoroſos homines ipſe innocentiſſimus conſtitueretur, totã Dei iram atque indignationẽ nobis debitam, in ſe vnum effuſam excipere ac tolerare, cũ tãto animi angore, vt magnitudine Diuini iudicij preſſus exclamarit, Deus meus, Deus meus, cur me dereliquiſti? An verò pudebit nos nunc quidẽ cauſam eius tam iuſtã æquámque tueri? iuſtitiam atque innocentiam eius confiteri? mortẽ ac paſsionẽ in qua ſalus totiꝰ mũdi cõtinetur imitari? an dubitabimꝰ inſiſtere eiꝰ veſtigijs, ac ſanctorũ Prophetarũ, Apoſtolorũ, Martyrúmq; plurimorum? qui hanc viã ingreſſi, vt gloriã Dei & ſanctam Euangelij veritatem tuerentur, grauiſſimis periculis tormentíſque vitam ſuam expoſuerunt, vt ad illã excellentẽ gloriã peruenirẽt, in qua iucundiſſimè feliciſſiméq; regnãt cũ duce & capite ſuo Ieſu Chriſto, expectãtes beatã reſurrectionẽ, in qua omnes electi Dei in regnũ Filij eius colligẽtur. Tum verò intelligemus quàm ſint beati ij qui pro nomine Ieſu Chriſti

Conſcientię impiorum.

Galat. 6.

Cauſæ Chriſti procuratores.

Chriſtus pro nobis pependit in cruce.

Pſalm. 22.

Per crucem aditus eſt ad gloriam.

ciuſmodi tormēta atque opprobria perpeſsi fuerunt, veſtéſque ſuas in
Apoc.22. ſanguine puriſsimi agni dealbarunt. Tum denique illas Chriſti Domini ſententias intelligemus, ac veras eſſe cum maxima noſtra lætitia
Math.19. cōperiemus, Qui perdet vitam ſuam propter me atque Euangelium meum, is eam ſeruabit: Qui patrem, matrem, vxorem, liberos, domos, vineas, agros amittet propter me, is vitam æternam poſsidebit: Qui vincet hæc omnia incōmoda, difficultates, offendicula, eum ego in throno meo cæleſti conſtituam. Tum denique Patrem noſtrum cæleſtem facie ad faciem videbimus, & cognoſcemus ſicut ab ipſo cogniti fuimus, qui tum omnem exterget lachrymam ex oculis filiorum ſuorum, coronās eos gloria atque immortalitate, vt cum ipſo in perpetuum viuant. Tum erit vnum ouile & vnus paſtor: tum ſponſa coniunctiſsimè viuet cum ſuo ſponſo, tum Deus omnia erit in omnibus. Omnis tum tyrannica potentia, altitudo, pulchritudo, opulentia, & pompa inimicorum Dei euaneſcet: qui quidem dignam infidelitatis, idololatriæ, impietatiſque mercedem recipient, qui tum gement, ſtridebúntque dentibus, cùm nos optatis atque ſperatis gaudiis ſuauiſsimè perfruemur. Tum ſentient maledictionem Dei, iuſtiſsimè in ſe effuſam, depreſsi ac demerſi in abyſſos inferorum cum diabolo ipſorum patre ac duce: cùm in regno cæleſti Patris noſtri, omni felicitate beatitudinéque perfruemur. Quid autem his miſeris malediĉtiſque hominibus tum proderit gloria, pulchritudo, magnificentiáque huius mūdi? Quid inquam, proderit tot ac tantas opes diuitiáſque comparaſſe, tantum auri & argenti cumulaſſe, liberos, vxoréſque forma præſtantes habuiſſe, omnibus denique voluptatibus in hoc mundo affluxiſſe: cùm poſtea cogantur hæc relinquere, iſtámque vitam commutare cum ea ad quam
Lucæ 16. Dominus Ieſus dicit in Euangelio, illum hominem malè diuitem tranſlatum eſſe? Hæc omnia ipſorum commoda atque oblectamenta, vt ſunt fluxa vanáque, ſicut vmbra aut fumus, euaneſcent inſtar ſomnij, quo ſoluti figuram huius mundi non minus fugacem quàm fallacem intelligent. Tum plorabunt, ingemiſcent, frendebúntque dentibus, coniecti in ignem qui nunquam extinguitur, à quo perpetuò torquebun-
Apoc.9 tur neque tamen conſumentur. Tum, inquit Diuus Ioannes, cauſa eui-
Apoc.14. tandæ eius pœnæ mortem requirent, neque eam inuenient. Ipſi verò vi-

uent

uent cum diabolis in inferno, vt in æternum ibi crucientur. Quare chariſſimi fratres & amici, hanc noſtram conditionem, & felicitatem impiorum ne tam grauiter feramus, noſtrámque vicẽ deploremus. Nunc Lucæ, 21.
quidem tempus eſt, vt capita noſtra ad illum tam optabilem redẽptionis noſtræ diem attollamus. Illud tempus erit liberationis noſtræ cum ſumma lætitia coniunctæ, in quo ſponſus ſponſam ſuam in æterna gaudia, ſolatiáque recipiet. Mat. 25.
Accenſas ergo lampades noſtras habẽtes, exemplo ſapientum illarum quinque virginum, ſimus parati, vt obuiam Ieſu *Chriſto ſponſo noſtro prodeamus, & vnà cum eo in ipſas nuptias ingrediamur. O beatos ſeruos, quos* Dominus *reuertens offendet in opere laborantes, atque in eam vnam curam incumbentes, vt talentum commiſſum augeant ac multiplicẽt! Quamobrẽ cùm* Chriſtus Dominus *noſter talẽtum nobis ſuum theſaurúmque veritatis inæſtimabilem* Talentum cõmiſſum.
commiſerit, demus operam vt hoc tantum, ac tam pretioſum bonum optima conſcientia conſeruemus, tueamur, augeamus, omni ornemus illuſtremúſque ſanctiſſima ratione: denique vſque ad vltimam noſtri ſanguinis guttam ne diminuatur aut eripiatur nobis ac cæteris fidelibus efficiamus. Imprimis *verò caueamus, ne illi malo ſeruo ſimiles ſimus, qui* Mat. 25.
talentum à domino ſuo acceptum defodit in terram, & argentum domini ſui quod in quæſtum conferre debebat, abdidit. Ne *tanti commoditates, honores, voluptates huius mundi æſtimemus; neque parentes, liberos, vxores tanto amore complectamur, non denique vitã noſtram ita charã & pretioſam habeamus, vt eam gloriæ* Dei *&* Domini *noſtri* Ieſu *Chriſti anteponamus: ſed potius omnibus huiuſmodi rebus, ac mundi commodis oculos claudentes, vocationémque cæleſtem intuentes, arripiamus clypeum fidei, gladiúmque verbi* Dei, *quo tela ignita ſathanæ, hoſtis nobis infeſtiſſimi, repellamus. Omnibus impedimentis ſoluti maximéque expediti ſumma cum alacritate ad propoſitũ certamen prodeamus, ſemper ducem ac principem* Ieſum *Chriſtum intuẽtes. Simus ei fideles, vſque ad mortem pro cauſa eius gloriáque dimicantes, atq; ita coronã vitæ, omnibus ſtrenuis ipſius militibus promiſſam expectemus.* Expectemus, *inquam, omni cum patientia* Dominum, *vt eius gloriam potentiámque conſpiciamus.* Tum *enim tãdem cognoſcemus eum in afflictione noſtra nullo modo dormiuiſſe: ſed texiſſe ſub a-*

lis ſuis, nec minus accuratè atque ſtudioſè, quàm pupillam oculi cõſeruaſſe. Quòd ſi hanc certitudinem habemus & fiduciam, nullæ ſunt tantæ minæ aut blanditiæ, nullum tormenti mortisque genus, denique nulla inferorum vis in nos incitata & illata, quæ poßit nos à ſẽtentia fidei ſummáque conſtantia deducere, aut ab amore ac dilectione Dei Patris & Domini noſtri Ieſu Chriſti vnquam diuellere.

Sequitur BERNARDI SEGVINI fidei confeſsio iudicibus Lugdunenſibus in eadem cauſæ actione oblata.

1.Pet.3. *SPiritus ſanctus per os Petri Apoſtoli loquens, nos admonet, vt ſimus ſemper parati ad reſpondendum vnicuique rationem à nobis quærenti eius ſpei quæ eſt in nobis, ídque cum omni manſuetudine & reuerentia. Per os etiam diui Pauli dicit, corde credi ad iuſti*
Rom.10.b.10. *tiam, ore verò fieri confeßionem ad ſalutem. Itaque quoniam ita placuit Deo me in hæc vincula conijcere, nõ propter cædẽ, furtum, ſcortationem, aut alia huiuſmodi maleficia flagitiáque à me commiſſa: ſed quia interrogatus de mea fide, nolui certis capitibus aſſentiri, quæ hodie ſunt in controuerſia: nec ea vera eſſe confiteri, verbo Dei meáque conſcientia repugnante, ſequens illud Spiritus præceptum, meo officio deeſſe nolui. Et quoniam toto eo tempore quo interrogatus fui non potui commodè ſcriptam confeßionem meam vobis dare, vt primùm poteſtas mihi facta eſt, & commoditas oblata, eam perſcribere volui, vt vos intelligatis non eſſe vanam opinionem & pertinaciam quandam temerè in animo meo ſuſceptam atque obfirmatam, quæ impedierit me quò minus ea religionis capita approbarim: ſed ſummam veritatis certitudinem, atque animi mei perſuaſionem, qua certo ſcio ea planè verbo Dei repugnare, id quod ego ſpero Deo adiuuante, me per ſingula ordine demonſtraturum, relinquentem ea quæ mihi cum omnibus ijs ſunt communia qui Chriſtiani appellantur, vt eſt Symbolum Apoſtolorũ, in quo ea omnia fidei capita amplector atque appro-*
De libero Arbitrio. *bo quæ in eo continentur. Ac primùm de libero arbitrio, quod tribuũt homini ſuo proprio motu per ſe poſſe facere bonum & malum: ego di-*
Epheſ.2. *co hominem (quoniam vt Paulus teſtatur, poſt lapſum primi parentis Adam, maledictus fuit, filiúſque iræ ac mortis) ſua natura nihil aliud poſſe quàm offendere Deum, & ſeipſum damnare. Scriptura enim teſtificatur,*

ſtificatur, cor hominis iam inde ab adoleſcentia atque infantia prauũ eſſe, ad malúmque propenſum, nec quicquam boni poſſe inde proficiſci, inter ipſos homines ne vnum quidem iuſtũ eſſe, aut qui Deũ *quærat, ſed omnes inutiles, corruptos, ac timore* Dei *vacuos, & propterea omni malitia atque iniquitate abundãtes: omnem cogitationem atque affectionem hominum eſſe* Deo *inimicam, hominẽ ita eſſe abominabilem, vt inſtar piſcis aquam ſorbentis iniquitatem ſorbeat, cúmque ipſa vanitate vaniorem eſſe. Quæ cùm vera ſint omnia, quid eſt quod homo ex ſeipſo aliud poſſit producere quàm peccatum, non aliter quàm mala arbor malum vitioſumque fructum profert? Quare cum huiuſmodi ſit, nihil boni, ne minimum quidem, per ſe poteſt facere: ſed* Deus *in eo efficiat neceſſe eſt.* Itaque *eius totius boni, quod* Deus *in homine efficit, nulla nobis gloria eſt tribuenda. Quid enim habes ait* Paulus, *quod non acceperis? ſi verò accepiſti, cur gloriaris, quaſi non acceperis?* Tota *igitur gloria bonorum omniũ quæ facimus, ſoli* Deo *authori eſt aſcribenda.* Præclarum *opus eſt fides: ſed ea ſingulare donũ* Dei *eſt.* Nemo *enim, inquit* Domin⁹, *ad me poteſt venire, niſi* Pater *traxerit. & iterum,* Nemo *ad me venire poteſt, niſi datum fuerit à* Patre. Diuus *verò* Paul. *apertè dicit, nos ne idoneos quidẽ eſſe, vt aliquid ex nobis ipſis cogitemus, ſed noſtrã ſufficientiã eſſe ex* Deo: *Deũ eſſe qui efficit in nobis & velle & perficere pro ſua bona voluntate.* Denique *cum vnum eſſe, qui quod cœpit in nobis, etiam vſque ad extremum diẽ perficit. Quare prima, media, poſtremáque in noſtra ſalute, ſunt ad* Deũ *referenda.* Ex *eo enim & origo & progreſſio, ad eundémque exitus ſalutis noſtræ referendus eſt.* Præterea Hierem. *dicit,* Scio *Domine, quòd non eſt hominis via eius, neque hominis greſſus ſuos dirigere:* Et *alio loco,* Conuerte *me* Domine *ad te & ego conuertar.* Ezechiel *autem, quemadmodum* Dauid, *planè teſtatur, propriũ* Dei *op⁹ eſſe, cor renouare, eiúſque mollire duritiem,* Legem *ſuam in cordibus noſtris inſcribere. eáque ita immutare, vt ex lapideis fiãt carnea: deniq; in via præceptorũ eius ambulare, timorẽq; nominis ſui ita infigere in animis noſtris, ne vnquã ab ipſo declinemus. Si igitur nos credimus in* Deum, *& in ea fide ac vitæ ſanctitate perſeueramus, id non naſcitur in nobis ſed à* Deo *proficiſcitur, & vſque in finem continuatur.* Nam

Pſalm. 14.
Iob. 15.
1. Cor. 4.
Hier. 10. d. 23.

nos quidem priuſquam credamus, nihil aliud poſſumus quàm peccare, quemadmodum ait Apoſtolus*, Quicquid non eſt ex fide peccatũ eſt.* Item, *fides donum* Dei *eſt, ergo etiam bona opera, ipſáque vita æterna, propterea quòd ea omnia ex fide, vt ex cauſa originéque ſua exiſtunt.* Ex *quo ſatis intelligi poteſt, quæ ſit facultas hominis propria, & vis in eo liberi arbitrij, cùm nihil poſſit per ſe niſi malè agere. quidquam verò agere non poſſit, niſi* Deus *id in eo efficiat, vſque ad ipſã voluntatem & cogitationem, quam homo bonam in natura ſua relictus cõcipere non poteſt, ſed vt antè demonſtratum eſt,* Deus *eam in eo excitat, atque ad rectitudinẽ veritatémque conformat.* De *iuſtificatione autem, ego credo hominem iuſtificari ſola fide, quæ per dilectionem operatur, ita vt nulla pars eius iuſtitiæ, quæ apud* Deum *valere debet, operibus debeatur.* Nam *ſicut oportet arborem antequam vllũ fructum bonum ferat, bonam eſſe, ita hominem fide iuſtũ eſſe, priuſquàm poſſit vllum bonum opus facere, cùm ipſa quidem perſona prius* Deo *placeat, quàm ad vllum eius opus reſpiciat, illúdque gratũ habeat, ſicut ſatis notum eſt exemplo* Abelis, *ad quem* Deus *antè quàm ad munera eius reſpexit. Sola ergo fides eſt, quæ nos coram* Deo *iuſtos efficit, non opera: ſicut* Paulus *in omnibus ſuis epiſtolis oſtendit, imprimíſque in iis quas ad* Romanos *& ad* Galatas *ſcripſit: in quibus omnem hominis gloriam ab ea iuſtitia excludit, atque integram laudẽ gratiæ* Dei *ac miſericordiæ tribuit.* Etenim *ſi iuſtitia, vt ait idẽ* Apoſtolus, *eſt ex* Lege, *Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Omnes autem peccauerunt, gratíſque nunc ſine ipſa* Lege *iuſtificantur, gratis per gratiam, per redemptionem* Ieſu Chriſti, *quem* Deus *propitiatorium propoſuit intercedente eius ſanguine.* Hæc *autem iuſtitia nobis donatur, cùm ea in* Euangelio *reuelata atq; oblata, fide à nobis accipitur, veniáque peccatorum credentibus nobis in* Filium Dei *datur.* Nam *hæc quidem iuſtitia in gratuita peccatorum remiſſione eſt poſita, cùm ea nobis non imputantur, nec in conſpectum* Dei *proponuntur, ſed eius miſericordia obteguntur: quemadmodum* Dauid *pronuntiat beatos homines, quibus remiſſæ ſunt iniquitates, & quorũ peccata tecta ſunt.* Itaq; *nos oportet, ſi ſalui eſſe volumus planéque beati, omnem propriã operum iuſtitiam, eiúſque fiduciam abijcere, ſoláque fidei iuſtitia niti*

vt gratiam apud Deum ineamus, eámque hac ſummiſsione ac humilitate tueamur, vt nobis ipſis diffidamus, totam verò ſpẽ ſalutis noſtræ ac fiduciam, in ſola Dei miſericordia fixam & locatam habeamus: neque Phariſæũ illũ ſed Publicanũ potius imitemur, vt omnis noſtræ iuſtitiæ inopes, humiliter ad eius, qui miſericordia diues eſt, gratiã & iuſtitiã confugiamus. neque verò ſequamur exemplum Iudæorum, qui cùm ſtuderent ſuam iuſtitiam ſtabilire, iuſtitiæ Dei non fuerunt ſubiecti. Baptiſmum verò credo introitum eſſe nobis in Eccleſiam, quemadmodum Circunciſio Iudæis erat, eiúſque adminiſtrandi mandatum Apoſtolis datum fuiſſe, cùm dictum eſt eis, vt irent ac docerent, baptizantes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Qui verò ad aquam à Deo in ſacramentum inſtitutam aliquid aliud adiungit, vt ignem, ſputum ſalem, aliáſque huiuſmodi quiſquilias, is Ioannem Baptiſtam atque etiam ipſum Dominum Ieſum non ſatis ſapientem in eo inſtituendo fuiſſe exiſtimat. Neque verò ſalis & aquæ benedictæ, eius qua iſti vtũtur, vlla mentio in nouo Teſtamento facta eſt: ſed quòd Ioan. Baptiſta ad flumẽ Iordanẽ baptizabat, & quòd Philipp⁹ baptizauit Eunuchũ reginæ Candaces ad primam aquam quam nactus eſt. Hæ autem cũ eſſent aquæ puræ, atque adeò vt creaturæ Dei bonæ ad vſum tam pium ſanctificatæ, quid opus fuit alia addere quæ tantum corruptelam afferre poßent? Quòd autem ita arbitrantur infantes, qui ante Baptiſmum moriuntur, damnatos eſſe, aut conſpectu ipſius Dei priuari quæ grauis damnatio eſt: ego huiuſmodi opinionẽ falſam atque impiam eſſe dixi. nam ita & potentia Dei minuitur, quaſi non poſsit alio modo quàm quem inſtituerit ſaluare: & ſalus eius ſymbolis atque elementis corruptioni obnoxijs alligetur: cùm potius illa grauis ſolenníſque promiſsio eſſet conſideranda, qua Deus primùm Abrahæ ac ſemini eius, deinde omnibus fidelibus, qui in locum eorum ſuccederent, ſe Deum fore affirmauit. Itaque Paul. fideliũ ſanctã eſſe ſobolẽ dicit, etiam cùm eſt adhuc in matris vtero. vt de Hieremia & Ioanne Baptiſta legimus, qui etiam in vtero, eius ſanctificationis expertes nequaquã fuerunt. Quamuis igitur Deus hoc ſacramentum inſtituerit, vt hoc modo infantes in Eccleſiam ſuam introduceret, atque ad ſalutẽ perduceret, in eo tamen non eſt tam acerbæ neceſsitatis lex, vt beni-

De non baptizatis infantibus.

Potẽtia Dei ſacram. nõ alligatur.

gniſsimus Deus *non poſsit aut nolit eis ſalutem dare, quibus beneficium huius lucis ac vitæ non impertierit vt ſacramentum* Baptiſmi *capere poſsint.*

Definitio Cœnæ Domini.

Cœna verò, eſt ſacramentum à Domino *in* Eccleſia *inſtitutum, in quo ipſe vult fungi erga nos domeſticos ſuos officio optimi patrisfamilias, nutriens nõ modò corpora noſtra, ſed etiam animas carne ſua & ſanguine: in quo vno ſaluberrimus animorum noſtrorũ paſtus eſt.* Eo *autem tum verè paſcimur, cùm oculos mentis noſtræ in cælum attollimus ad contemplandum* Chriſtum Ieſum *qui ad dexteram* Dei Patris *conſidet, atque in memoriam reuocamus illud beneficium redẽptionis, in quo ſe pro peccatis noſtris in ſacrificium obtulit.* Itaque *verè participamus corpori ac ſanguini* Domini, *cùm fide panem & vinum, vt ſigna monumentáque ſpiritualis refectionis ad animum pertinẽtis, ſumimus: & credimus* Chriſtum Dominum, *vt eſt pro nobis crucifixus ac mortuus, nõ minus nobis impertiri & cõmunicari, quàm cũ panem qui à miniſtro fidelibus diſpertitur.* Quamobrem *tranſſubſtantionem illam, vt huic ſanctæ* Domini *inſtitutioni planè contrariã, atque à* Sathana *fallacibúſque ſpiritibus inuentam & in eccleſiam cũ maxima pernicie introductam, prorſus repudio. neque enim panis ille corpus* Chriſti *vllo modo eſſe poteſt, quod (vt in ſymbolo fidei noſtræ credimus, atque ab Spiritu ſancto in Scriptura docemur) reſuſcitatũ in cælúmque receptum & ad dexteram* Dei Patris *ſummo cum honore collocatum, non amplius in terra corpore ſuo verſatur, nec antè reuerſurus eſt, quàm ad iudicium omnes tum viuos tum mortuos vocauerit.* Neque *etiam huiuſmodi tranſſubſtantiationem aut præſentiam* Chriſti *corporalem in eo pane, aut corporis natura, aut ipſius ſigni ac ſacramenti pati poteſt. nam verum quidem corpus nõ poteſt eſſe eodem tempore niſi vno in loco: corpus autem* Chriſti *quamuis gloria atque immortalitate ſit ornatum, neque amplius obnoxiũ illi infirmitati carnis quam noſtra cauſa ſuſcepit, in cæteris tamẽ naturam corporis retinet, vt pro magnitudine ſua certo loci ſpatio ſit circumſcriptum non eodẽ tẽpore vagũ, locíſq; infinitis diffuſum.* Præterea *cùm corpus* Chriſti *ſit glorioſum atque planè incorruptum, panis verò temporis progreſſu corrumpatur, quæ tranſmutatio ac transformatio huius*

in illud

in illud fieri poterit? Natura verò ſigni aliud oſtendit eſſe quod ſigni ficat, aliud quod eo ſignificatur: illud eſſe aſpectabile quòd ſub ſenſum cadit, rem autem ipſam natura & ſubſtantia planè diuerſam, quamuis aliquam conſimilem rationem cum ſigno ſuo habeat. Itaque *quemadmodum aqua in* Baptiſmo *in ſanguinem* Chriſti, *quo lauamur, non cõuertitur: ita panis in* Cœna *in carnem conuerti non poteſt, cùm eadem ſit ratio vtriúſque* Sacramenti, *& natura omnium ſignorum atque ſymbolorum huiuſmodi, vt ratione ſubſtantiæ ab iis rebus diſtinguãtur, ad quas ſignificandas & repræſentandas adhibentur.* Illam *verò impiam conſuetudinem & ſacrilegam audaciam, qua* Cœnam Domi*ni diminuerunt, & laicos altera parte priuauerunt, nullo modo probare poſſum. pugnat enim cum inſtitutione* Domini, *qui omnes ex eodẽ calice bibere voluit: & cum* Pauli *teſtimonio, qui dicit rationem celebrandæ* Cœnæ Corinthijs *ſe ita tradidiſſe, vt à* Domino *acceperat.* Vo*luit enim* Dominus *integram ſui communionem propoſito hoc vtroque genere ſignorum demonſtrari.* Quare *vt corporis ac ſanguinis* Chriſti *ſimus participes, nihil eſt neceſſe ea in iſtis includi elementis.* Quamuis *enim corpus* Chriſti *in cælo ſit, tamen fide quæ res abſentes percipit atque apprehendit, & virtute* Spiritus *qui coniungit ea quæ longo interuallo ſunt ſeparata, eo planè participare poßumus.* Hæc *igitur verba,* Hoc *eſt corpus meum, figuratè ſunt intelligenda, quemadmodum,* Agnus, *Domini tranſitus appellatur: &* Petra, Chriſtus, *cùm tantummodo ſigna eſſent earum rerum, quarum aut præteritarũ memoriam renouabant, aut futurarum ſpem aliqua inſigni ſignificatione præmonſtrabãt.* De Miſſa, *quam à* Chriſto *inſtitutam eſſe dicunt, & ſacrificium tum viuis tum mortuis vtile: id falſum eſſe dico, & cum verbo* Dei *planè pugnare. nam ipſa* Ieſu Chriſti *inſtitutio aliud admonet ac iubet vt comedamus & bibamus, non vt ipſum* Deo *in ſacrificium offeramus.* Deinde *hoc officium offerendi ad nullum hominem mortalem pertinet, ſed vnius* Chriſti *proprium eſt, quo ipſe eſt perfunctus, quum, vt ait* Apoſtolus, *ſeipſum ſemel obtulit, atque vna oblatione ſuos in perpetuum ſanctificauit: hac autem ſanctificatione perfecta, nulla alia reſtat oblatio.* Nam *ob eam quidem cauſam conſtitutus fuit ſacerdos ſecundum ordinem* Melchiſedec, *vt nul-*

[Margin notes: Communicatio ſub vna ſpecie. — Matt. 26. 1. Cor. 11. — De Miſſa. — Heb. 11.]

lum eius muneris atque honoris ſocium ſucceſſoreḿque haberet. Itaq; Chriſtus Ieſus ſumma ſacerdotij dignitate ſpoliatur, quando ius ſacrificandi in alios tranſſertur, vt eis illud ſacrificium repetere ac renouare, aut confirmare, ad alióſque applicare liceat. Denique nemo, vt inquit Apoſtolus, debet honorem vſurpare, niſi à Deo vocatus fuerit. At non legimus vllum alium præter Chriſtum ad eam dignitatē vocatum eſſe: præterea cùm promiſſio quæ his verbis cūtinetur, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur: ijs ſolùm offeratur qui ſacramento communicant, eius vtilitas & vis nō poteſt ad mortuos pertinere qui iam in ea communione nō verſantur. Adde etiam, quòd fructus Miſſæ, quem ad mortuos volunt peruenire, in Purgatorio, inaniſſimo hominum inuento figmentóque conſiſtit, contra omne verbum Dei in quo nullam aliam purgationem quàm ſanguinis Ieſu Chriſti legimus. Hæc ego ſentio & credo de ijs fidei ac religionis capitibus, quæ hodie ſunt in controuerſia, in quibus quidem vos facilè perſpicitis me nihil ex meo ingenio afferre ac dicere: ſed pro ea gratia quam Deus in me contulit, omnia authoritate verbi eius approbare. Quòd ſi his neglectis ſpretíſque id agitis, vt me hæreticum eſſe conuincatis, ſicut à vobis antea ſum declaratus: videte quàm periculoſum ſit hoc modo progredi aduerſus eum qui purum Dei verbum vobis proponit. Sed ego totam cauſam veritatis Deo authori vocationis meæ commendo, eiúſque fidei committo, eum orans vt mihi patientiam & conſtantiam præſtet, quò animo non ſolùm æquo, ſed etiam libenti id omne patiar quod me pro ſuo nomine perpeti voluerit: cui honor & gloria in æternum. Amen.

Mortui in communione Cœnæ non verſantur.

Epiſtola eiuſdem Bernardi Seguini, quam miſit ad quendam amicum ſuum de memorabili admirabilique conuerſione latronis Ioannis Chamboni appellati qui cùm in horrendis tum corporis tum animi tenebris incluſus, lætum Euangelii nuntium audiuiſſet, ad veram Dei cognitionem, pœnitentiam, fidémque Ieſu Chriſti opera Petri Bergerii, tum ob Euangelium captiui (vt poſtea ſuo loco dicetur) conuerſus eſt.

EX his literis, frater chariſſime, poteris intelligere cum cuius cauſa nos in his vinculis ſumus, eo nos ſenſu fauoris amoríſque paterni afficere, vt cùm omnia quæ ad ſubleuandam corporis neceſſitatem pertinent, cumulatè ab eo ſuppeditentur, nihil præter conſolatonem

ſolationem atque confirmationem animi deſideremus. Non quòd hac *in parte eius ope deſtituamur, qui teſtem* Deum *adhibere poſſumus earum conſolationum, quas ex eo tempore, quo ipſe nobis os ad ſanctũ nomen ſuum confitendũ aperuit, incredibiles accepimus: ſed quòd oportet nos magis ac magis confirmari, armíſque huiuſmodi muniri, quibus grauiſſimos impetus eius hoſtis repellamus, cum quo nobis dimicãdum eſt.* Neque *enim poſſemus vnquam ſatis eſſe muniti & parati aduerſus inimicum, eum præſertim qui non potentia modò, ſed etiam aſtutia omníque calliditate præditus, ac mille nocendi artibus inſtructus nos oppugnat, vt ſumma nobis cautio ſit adhibẽda, ne imparati, atque armis Spiritus ac verbi deſtituti ſubitò ab eo opprimamur. Itaque præcipuum noſtrum officium eſt, vt dum inducias habemus nobis datas, nos etiam atque etiam magis confirmemus vt cùm hoſtilis impetus, cuius diem horámque neſcimus, ingruerit, eum poſſimus magno ac forti animo excipere ac ſuſtinere, atque etiam victoriam obtinere.* Hoc *autem aſſequemur, non virtute noſtra freti, quæ hoc in genere nulla eſt, ſed ope illius adiuti ac planè moniti, qui grauiſſimum ſuum inimicum atque noſtrum ſuperauit, de eóque triumphauit: vt nos quoque cum eodem aduerſario dimicantes, in eius victoriæ ſocietatem veniremus.* Hac *igitur præditi virtute armíſque ducis ac regis noſtri* Ieſu Chriſti *inſtructi confidimus nos, vt* Dauid *confecit* Goliath *gigantem ingenti corporis magnitudine ac robore præditum, ita gigantes iſtos deuicturos, qui bellum audent ſuſcipere ac gerere aduerſus eum qui eos vſque in profundum inferorum ſolo nutu verbóque ſuo poteſt deijcere: cùm ipſius membra tanto furore perſequantur.* Q*ua in re de nobis quidem nihil promittere debemus: ſed noſtrã conſiderantes imbecillitatem, cum timore ac tremore in hoc certamine verſari. tametſi hactenus ſteterimus, firmíque atque inuicti aduerſus omnes inimici conatus impetúſque fuerimus, tamen cùm verbo* Dei, *tum exemplo multorum qui hac in cauſa indignè inimico ceſſerunt, admonemur vt nobis ipſis diffidentes, nos in eius fidem totos permittamus qui nos ad teſtificandam & tuendam veritatem ſuam vocauit. Si igitur infirmitatem noſtram cõſideremus, nihil aliud quàm verſari in metu poſſumus, ne vincamur ab eo qui hactenus nihil*

Quãtus ſit ad nocendũ ſathan.

Quibus armis oporteat nos tegi aduerſus Gigantes & Cyclopes hoſtes.

Qui ſtat, videat ne cadat.

Dd.

aduerſus nos potuit. Si verò oculos noſtros conuertamus in eum qui hanc veritatis ſuæ cauſam nobis commiſit, in eáque defendenda opem ſuam nobis ita promiſit, vt non adiutor modò ac propugnator, ſed etiam vindex & liberator futurus ſit, confidamus nos conſtantiam vſque in finem retenturos, & omnia incommoda, difficultates, periculáque ſuperaturos. Nam *cùm is promiſerit ſe affuturum iis omnibus qui calamitatũ magnitudine oppreſſi ad eius miſericordiam confugiẽt, eúmque inuocabunt freti gratia eius in quo vno optimus* Pater *ſibi complacuit, cúmque inprimis huiuſmodi opem ac liberationem promiſerit iis, qui propter nomen verbúmque ipſius patientur, non eſt cur diffidamus, aut de optimo huius cauſæ ac dimicationis noſtræ exitu dubitemus ac deſperemus.* Idem *enim eſt in nos futurus, qui ſemper fuit, æquitatis, iuſtitiæ, ac veritatis ſtudioſus, memórque eorum quæ promiſit.* Eius *quidem fidei, iuſtitiæ, bonitatis illuſtre iam documentum dedit in iis omnibus qui eius virtute opéque confiſi, conſtanter ipſius nomen ſunt confeſſi: quos quidem etiam in grauiſſimis tormentis ea animi magnitudine ac robore ſepſit & firmauit, vt aduerſus omnes inimicos victores reddiderit.* Quare *idem in nobis quoque effecturum ſperamus, cùm ipſe nos ad hunc tantum honorem vocauerit, vt coram principibus ac ſapientibus huius mundi, teſtes veritatis ſuæ ſimus, eámque aduerſus omnem hominum iniuriam, mẽdacium, calumniámque defendamus.* Hæc Dei *authoritas & optima voluntas, & ipſius cauſæ æquitas ac ſumma dignitas, nobis maximam in his afflictionibus conſolationem afferre debet.* Cùm *autem multa & grauia ſint verbi* Dei *teſtimonia, quæ hac quidem in parte & cauſa certiſſimum eius auxilium nobis promittunt, tum verò non ita diu benigniſſimus ac fideliſſimus* Dominus, *præclarum & memorabile exemplũ nobis propoſuit, & quotidie proponit, in quo ipſe nobis & grauiſſimum veritatis ſuæ teſtimonium, & ſuauiſſimum in his vinculis ærumníſque ſolatium, & verò certiſſimum quoddam pignus ſuæ perpetuæ defenſionis ſalutíſque dare voluit.* Res *autem huiuſmodi eſt.* Quidam *homo iuuenis, in eodem carcere cum fratre noſtro* Petro Bergiero *incluſus conſtrictúſque habetur, accuſatus quòd duos aut tres abhinc annos latrocinia quædam exercuerit, atque pannum holoſericum*

Pſal. 91.

Matth. 3.

Orditur hiſtoriã Chãboni latronis.

ricũ in itinere cuidam mercatori per vim eripuerit. Quam ob cauſam decem iam ſunt menſes, ex quo in carcere tum pedibus tum manibus cõſtrictus fuit, vt ſe mouere nullo modo poſſet, aliáq; in calamitate ac fœditate pædoris iaceret, quæ honeſtè dici commemoraríque nõ poteſt. Eo *autem tẽpore, quo* Petrus Bergierus *in ea carceris parte fuit, pro opportunitate quam* Deus *ei dederat vt hominem conſolaretur, illum miſerum ærumnoſúmque ſæpius compellauit. cuius quidem fideli atq; opportuna opera* Deus *ita eſt vſus, vt infelix homo, qui omne vitæ ſuæ tẽpus ad* Deum *maleficijs ſuis dedecorandum cõtulerat, ob quæ etiam in tam arcta acerbáque captiuitate tenebatur, ad agnitionẽ* Ieſu *Chriſti ſaluatoris ſui cõuerſus fuerit. cuius quidem cognita in miſeros peccatores miſericordia, eam animo conſolationem accepit, vt pro eo quòd antea & Deũ & parentes à quibus eſſet natus, & diẽ horámque ortus ſui execraretur, maieſtatem Creatoris ſui contumelijs lædens perpetuis propter grauiſsima tormẽta in quibus verſabatur: nunc perpetuas ei gratias agat quòd ipſum ad cognitionem peccatorum ſuorum, atque ſpem ſalutis vocauerit: toto autem animi ſenſu ſumma cũ humilitate ſua peccata recognoſcat, ſeipſum grauiter accuſans corã* Deo, *patientérq; perferens ea tormenta, in quibus adhuc grauibus eſt: tametſi* Dominus *ea illi nonnihil alleuarit.* Itaq; *vt primùm de illius conuerſione à fratre noſtro* Bergiero *certiores facti fuimus, officium ei noſtrum quantũ poſſumus, præſtamus, vt pro exigua gratia quã* Dominus *nobis impertiuit, eum conſolemur.* Nam *ipſe vt hoc faceremus, à nobis per literas cõtẽdit, quas manu ſua ad nos ſcripſit, quanuis manus cõſtrictas habeat.* Petiit *etiã vt ſi aliquẽ librũ habemus ad cõſolandũ accõmodatũ, ipſi eum mittamus.* Et *quoniã metuit ne breui ſupplicio afficiatur, conſiliũ quoq; à nobis petijt quẽadmodũ in ipſo ſupplicio ſuſcipiendo ſe gerere debeat: ne quid contra verbũ* Dei *faciat, cuius gratia ſingulari ad cognitionẽ eius vocatus ſit.* De *eo nos,* Deo *adiuãte noſtrã ſentẽtiã ad eũ perſcribemus, quid nobis pro intelligẽtia ſacræ Scripturæ quã habemus, videatur.* Ego *autẽ hac in re tibi narrãda diutius immoror eò quòd in ea extat ſummũ* Dei *miraculum ac exemplum memorandum, dignúmque quod ad omnem poſteritatẽ perferatur.* Nos *quidem hoc eius exemplo, magnopere in gratia* Dei *noſtri authoríſque*

Ioãnis Chãboni latronis in carcere admiranda conuerſio à Deo facta, vt ſuos maiori conſtãtia muniret.

Solicitudo quã hi gerunt de proximo.

Nota.

huius noſtræ vocationis confirmamur. Nam ſi Deus ita benignè clementérque cum hoc miſero latrone agit, quomodo cum iis acturus eſt quorum opera ad tuendam verbi ſui veritatem vti vult? Te etiam atq; etiam vehementer rogo, vt ſi habes aliquem librum, qui idoneam & afflictis hominibus opportunam conſolationem complectatur, eum ad nos mittas: vt eum huic captiuo conſolando, atque in gratia Dei confirmando dare poſſimus. Illud poſtremò à te peto, vt tu noſtri in precibus tuis memor ſis, ſicut nos in noſtris eam memoriam beneuolentiā-que quam debemus, tibi præſtamus. Is cuius ſine voluntate & prouidentia nihil fit, qui ſe & mihi & tibi patefecit, nos in tutela & protectione ſua perpetuò habeat & cuſtodiat, quoad in regnum ipſius cæleſte recipiamur XI. Febr. *anno* M.D.LIII.

Epiſtola ad eum Chambonum conſolandum, cùm is in grauiſsima corporis afflictione carceri incluſus eſſet, ſcripta à Petro Scriba: & nomine cæterorum ſociorum eius ac captiuorum miſſa: quæ quidem oſtendit eam curam & ſolicitudinem, quā illi etiam in ſuis vinculis de eo miſero peccatore ad Dominum conuerſo ſuſceptā habebant.

IAm diu nihil literarum ad te miſimus, frater chariſſime, impediti certis quibuſdam rebus noſtris, in quibus ratio fidei noſtræ nobis coram aduerſariis declaranda fuit. Deinde quòd videbamus fratrem noſtrum Petrum Bergerium, qui propter Euangelium captiuus eſt, eum in locum carceris miſſum fuiſſe ac ſecluſum, vt nihil tecum cōmunicare poſſet, nec literas ad te ſine maxima difficultate periculóque mittere. Sed tamen gratiſſimum iucundiſſimúmque nobis fuit, cùm ex Bergerio ſummam tuam conſtantiā intelleximus, & conſolationem quam Dominus virtute Spiritus ſui in his grauiſſimis vinculis ærumníſque tuis tibi impertit: quam etiam ex ea epiſtola, quam ad ipſum Bergerium ſcripſiſti, cognouimus: cùm is eam nobis miſiſſet tū conſolationis noſtræ cauſa, tum vt cognoſceremus eam fidem atque ſpem quam in Deo habes, & ſummam afflictionem quam tu iſtis cōpedibus ac vinculis conſtrictus magna cum patientia perfers. Itaque hæ tuæ literæ, frater chariſſime, maximam nobis in his vinculis noſtris conſolationem attulerunt, in quibus admirabilem Dei, te ita cōſolantis confirmantiſque gratiam perſpeximus. nec verò minorem moleſtiam dolorémque accepimus ex iſta tua grauiſſima ærumna diuturnáque captiuitate, in qua ita conſtrictus atque afflictus teneris,

Chamboni epiſtola.

tor-

tormẽtáque iſtorum vinculorũ & compedum, vt eiuſdẽ corporis mẽbra, in nobiſipſis ſenſimus. Etſi nos à te diſiuncti ſumus, cùm loci interuallo, quo maximè diſcludimur, tum etiam ratione cauſæ propter quã nos patimur, quæ cum tua maximam habet diſsimilitudinem: vinculum tamen fidei & charitatis quo in Chriſto Ieſu quaſi membra eiuſdem corporis coniuncti ſumus, filiíque vnius Dei patríſque habemur, facit vt iſtorum vinculorum quibus tu grauiter affligeris, participes ſimus quaſi nos eodem in loco incluſi acerriméque conſtricti teneremur. Itaque congemiſcimus & condolemus quodam ærumnarum tuarum ſenſu affecti: Deúmque ac Patrem omnis miſericordiæ oramus, vt te Spiritu ſuo confirmet, quo patienter atque humiliter iſtas pœnas ſalutares, caſtigationeſque paternas perferre poſsis, te æquo ac manſueto animo ei ſubmittens, à quo vt ab optimo parente caſtigaris. Cogita, frater, cogita hanc manum eſſe Patris cæleſtis, qua in hoc mundo corrigeris, ad eúmque clementer reuocaris, ne in altero ab eo abiectus damnatúſque intereas. Cogita te nunc ab ipſo diligi amore quodam ſingulari: etiam tum, vt ait Paulus, dilectum fuiſſe, cùm eſſes eius inimicus. neque enim Filio ſuo vnigenito percharóque pepercit: ſed eum pro tuis noſtríſque peccatis morti crucis ignominioſæ acerbæque expoſuit. O admirandã bonitatem, miſericordiam, charitatem, quam humaniſsimus Deus erga nos in morte Filij ſui Ieſu Chriſti declarauit & præſtitit! in qua vna eſt certa conſolatio & ſalus omnibus afflictis calamitoſiſque peccatoribus propoſita, qui eam quidem vera fide amplecti volunt. Etenim Chriſtus morte ſua mortem ac diabolum ei⁹ authorem vicit, effecítque vt ea quæ terribilis ac formidabilis eſt ijs qui in Chriſtum eiúſque Euangelium non credunt, iam non formidãda & pertimeſcenda ſit: ſed potius vt via ad vitam æternam & beatam expetenda atque amplectenda. Morte ſua Ieſus Chriſtus omnẽ maledictionem exitioſúmque terrorem à morte abſtulit, atque omnẽ gratiam, benedictionem cæleſtémque lætitiam in eam effudit: ita vt Filij Dei ſolatia gaudiáque ampliſsima reperiant in ea, & ſentiant: neque vllo periculi metu territi vnquam à via propoſita deflectant, ſciẽtes eam eſſe finem miſeriarum omnium, atque oſtiũ & felicem introitum ad eam vitam ſempiternam, quæ ipſis morte Filij Dei parta eſt.

Et quanuis carceribus incluſi, ac vinculis, compedibus, catenísque ferreis conſtricti, multa grauia acerbáque patiantur, tamen mortis & crucis Chriſti participes, ſentiunt ea ſuauiſsima beatiſsimæ vitæ ſolatia & gaudia, quibus Chriſtus huiuſmodi ærumnas expertus atque perpeſsus, omnes fidelium ægritudines, acerbitatéſque aſpergit: ita vt ſi magnæ ſint in eo afflictiones, maiores tamen atque vberiores in eodem conſolationes reperiantur. Nam Filius Dei, Dominus gloriæ, & cæli terræque rex, omni iuſtitia, ſanctitate, innocẽtia præditus, in manus hominum impiorum traditus eſt, ligatus vinctúſque, atque ita vt homo omnium ſceleratiſsimus coram magiſtratibus, principibúſque productus, irriſus, conſputus, cæſus colaphis & flagellatus, coronáque donatus ſpinea, omnia quæ dici aut cogitari poſſunt acerbiſsima atque indigniſsima tormenta opprobriáque pertulit, primùm vt filios Dei vinculis Diaboli, peccati ac mortis, quibus constricti tenebantur, ſolueret, carceribúſque inferorum, ad quos propter ipſorum peccata in æternum damnati erant, liberaret: deinde vt omnes carceres, opprobria, afflictiones, gratia, benedictione, gloriáque ſua afficeret: in quibus quidem filij Dei, ſiue pro verbo eius confitendo tuendóque eas ſuſcipiant, ſiue etiam pro ſuis peccatis perferant, vehementius lætantur & gloriantur, quàm principes ac reges huius mundi in ampliſsimis diuitijs, opibus, honoribus, delitijs ac voluptatibus gaudere ſolent. Huiuſmodi enim carceres, vincula & compedes ſunt quædam ſchola diſciplináque fidelium ac piorum hominum, in qua ipſi in vera Dei cognitione inſtituuntur, atque ipſo vſu vitæ ſuæ, gratiam & miſericordiam eius experiuntur, eámque opem & conſolationem quam Spiritus ſanctus huius ſcholæ optimus magiſter eis affert. In hac ſchola filij Dei bonis ijs gaudijs perfruuntur, quæ nullis verbis exprimi, ne cogitatione quidem comprehendi poſſunt, cùm interim diuites ac potentes huius mundi homines, qui præclaras magnificáſque ædes ſibi parauerũt, in lachrymis ſæpe & ſummis animi angoribus verſentur, omníque cõſolatione deſtituãtur propter ea conſcientiæ tormenta, quæ ſenſus iræ vindictæque Diuinæ ex cogitatione vitæ anteactæ ac timore mortis futuræ ſuſceptus eis affert. In hac ſchola fideles homines peccata in tota vita contra maieſtatem Dei admiſſa seriò recognoſcunt, gemunt

Cruces piorũ cõſolatione cõditę.

Carnificina conſciẽtię.

cla-

clamántque ad miſericordem Deum,*ab eo veniam peccatorum peten-
tes ſuorum.*Dominus *verò eorum gemitus queſtúſque intelligens,at-
que ærumnas & miſerias perſpiciens, ipſos exaudit, ac per Spiritum
ſanctum ad æternam conſolationem omnibus fidelibus promiſſum, ijs
cæleſtibus gaudijs afficit atque perfundit,quorum magnitudo & ſua-
uitas omnem dolorum cruciatuúmque acerbitatem non ſolùm mitigat,
ſed etiam planè abſorbet.*Hoc *autem nos, qui nomine verbi* Dei *ca-
ptiui ſumus,in nobisipſis experti fuimus, téque idem experiri intelli-
gimus.Quanuis enim non eadem ſit cauſa tua quæ noſtra, quanuis tu
inhumaniter ac crudeliter tracteris in carcere:tamen* Pater *tuus cæle-
ſtis,qui propè te eſt,qui in corde tuo per* Spiritum *ſuum habitat, non
permittit vt à magnitudine afflictionis opprimaris,grauiúſque tente-
ris quàm ferre poſſis:ſed te virtute ſua confirmat,conſolatur,animúm-
que tuũ ea explet tum gratiæ ſuæ ſalutíſque fiducia,tum Spiritus ſan-
cti lætitia, qua ſenſus iſtorum grauiſſimorum tormentorum minuitur
ac mitigatur.Si tu nunc quidem à mundo prorſus es abiectus, atque
omni humana tum ope tum conſolatione deſtitutus,* Deus *tamen pa-
ter tuus te vt chariſſimum libentiſſimè humaniſſiméque ſuſcipit, com-
mendatum atque gratum ea fide & ſpe quam in* Filio *eius* Ieſu Chri-
ſto ſaluatore noſtro omnem fixiſti ac locaſti. Tua *quidem cauſa,
vt tu ipſe confiteris, eſt iniqua & iniuſta:ſed iuſtitia* Chriſti *, at-
que ſumma obedientia qua* Dei *iudicio pro nobis patiẽs ac moriens ſa-
tisfecit,facit vt totius cauſæ tuæ iniquitas tibi condonetur, atque in
cõſpectu* Dei *planè deleatur.Quare confide gaudéque in* Chriſto Do-
*mino,tibíque perſuade,eius iuſtitiam,ſanctitatem,innocẽtiam tuã eſſe:
eiúſque cauſa & gratia te nunc à* Patre *cæleſti in numerũ filiorũ ipſiꝰ
recipi.nulla igitur carceris afflictioníſque diuturnitas atque acerbitas
animũ tuũ infringat,mœroréque cõficiat,ſed tu potius in iſtis acerbita-
tibus,gratia,ope,beneuolentia* Dei *fretꝰ & cõfiſus,ſummã conſtãtiam
patientiámq; adhibeas atque retineas,ante oculos ſemper tibi ꝓponẽs
eam vitam quæ morte* Filij Dei *parta,in cælo tibi aſſeruatur,in qua ꝑ-
petuò cũ* Deo *iucũdiſſimè ac beatiſſimè victurꝰ es.Cõſidera afflictionẽ
in qua tu nũc verſaris,breuẽ eſſe & momẽtaneã,cõſolationẽ verò ac læ-
titiã tibi ꝓmiſſã nullũ vnquã finem habiturã.quòd ſi tu moleſte fers te*

non diligentius ſacris literis ſtuduiſſe, in iiſque magis verſatum eſſe, ſic habeto, te tum denique perfectam omnium rerum cognitionem habiturum, cùm Dominus *te apud ſe in illam lucem cæleſtem, quæ nullis tenebris perfuſa eſt, collegerit.* Ne *igitur ea res, aut vlla alia animum tuum affligat: volũtatem potius* Dei *cum omni patientia, atque æquitate animi expecta. Si enim* Dominus *voluerit te, vt ei ſeruias, in iſta adhuc vita retinere, tibi perſuade eum contra omnẽ ſpem liberaturum: ſin te vult ad ſe ex hoc malo & miſero mundo euocare: gaude eius rei nomine, atque ei pro tanto beneficio maximas gratias age.* Nam *hoc quidem modo beatior futurus es quàm ſi in hac vita remaneres.* Te *igitur in omnem para euentum: ſed in eum, qui te potius ad ſalutarẽ ac felicem mortem vocet, quàm in hac vita retineat.* Neque *verò te pudeat in ipſa morte* Chriſtum Dominum *confiteri, eiúſque virtute munitus ſathanã atque omnes eius adminiſtros forti animo repellas.* Cõ-

Ore cõfeſſ. fit ad ſalu.

fitere, inquam, Chriſtum Ieſum *ſaluatorem ac redemptorẽ tuum eſſe, eúmque pro tuis peccatis mortuum: quorũ nulla magnitudo gratiam eius tam certam & illuſtrem in* Euãgelio *promiſſam impedire nec debet nec poteſt. miſericordia enim* Dei *per eum declarata, ſua magnitudine illa longè ſuperat. Si tibi aliqua in corpore tuo pœnarum tormenta ſunt perferẽda, ne ob ea perturberis: ſed in cælum caput attolle, atque ſpiritum tuum* Deo *commẽda, fideliſſimo cuſtodi, exemplo* Chriſti *ducis noſtri qui ipſe ſuum moriens in manus optimi* Patris *tradidit: neque dubites quin in hæreditatem regni ſui ſit recepturus.*

Hæc *ſunt, chariſſime frater, quæ ad te hoc tempore voluimus ſcribere,* Deum *orantes vt ſummam tibi patientiam & perſeuerantiam in fide* Ieſu Chriſti *vſque in finem præſtare velit.* Omnes *fratres, qui vnà mecum propter verbum captiui ſunt, tibi in nomine* Ieſu Chriſti, *plurimum ſalutis dicunt, perpetuò pro te orantes, ſicut tu mutuò pro ipſis facis.* Dominus *tecum ſit in perpetuum. Si vlla re tibi eſt opus, mitte ad nos, & te omnibus, quibus poterimus rebus iuuabimus.*

Superioribus horum martyrum ſcriptis hanc etiam epiſtolam hoc loco ſubiungere voluimus, qua ipſe Ioannes Chambonus in loco carceris obſcuriſsimo, etiam manicis vinctus conſtrictúſque, totam conuerſionis ſuæ rationem ad illos fratres ſcripſit: in qua ſingularis Dei gratia, & virtus admirabilis Spiritus ſancti animum fidelem in ſummis ærũnis ac miſeriis erigentis, conſolantis, confirmantíſque clariſsimè perſpicitur.

Fratres

FRatres chariſsimi, ac verè Chriſtiani, primùm vobis omnibus ſalutem in Chriſto Ieſu exopto ac dico: quod ego iandiu quidem cupiebam facere, ſed vſque ad hunc diem, nullam vnquam ſcribendi facultatem habui: quanuis aliter facere cuperem, ſi ea optimi Patris noſtri cæleſtis eſſet voluntas, vt ego vobiſcum coràm communicarem. Sed tamen vos rogo, vt hoc quod nunc per literas facio, tã vobis gratum ſit, quàm ſi coràm facerem, ac me ita vobiſcum conſolarer. Illud quidem verè vobis ſignificare poſſum, me à quarto die Auguſti, quo de veſtra captiuitate à Petro Bergiero fratre noſtro cum magno animi mei dolore certior ſum factus, nec veſtri, nec illius in meis precibus, quas ad Deum interdiu noctúque adhibeo, oblitum vnquam fuiſſe: ſed memoriam quam debeo, vobis præſtare. Neque vllus eſt cruciatus morbúſque, qui hanc veſtri memoriam beneuolentiámque impediat: non magis quàm eam, quam fratri meo debeo & præſto, qui propter maleficium à me commiſſum & perpetratum eſt in carcere, cùm eo in crimine planè ſit innocẽs, non minus quàm vos qui nihil huiuſmodi vnquam admiſiſtis. Hæc autem iniuria ei facta, mihi plus doloris affert, quàm vllæ ærumnæ, tormentorúmque acerbitates quas in his vinculis perfero. Atque huius quidem rei totius Deus mihi teſtis eſſe poteſt. Sed gratias, fratres chariſsimi, vobis agere volo pro ea epiſtola, quam ad me conſolatoriam & planè Chriſtianam ſcripſiſtis, ac per fratrem noſtrum miſiſtis: cùm ego huiuſmodi ſtudia & officia, quæ mihi defertis, nunquam promeruerim. Qua ex epiſtola ego tantam conſolationem & lætitiam accepi, quantam nullis verbis explicare poſſem. Itaque cùm hoc veſtrum in me officium atque beneficium nullo ſapientiæ ſtudio aut alio beneficio compenſare poſſim, & parem vobis gratiam referre: reliquum eſt, vt Deum benigniſsimúmque Patrem orem, vt Spiritu ſuo ita vos regat & gubernet, vt aduerſus inimicos veritatis, qui ſunt noſtri quoque, victores permaneatis, quemadmodum vos quidem deſideratis, vel vt melius dicam, ſicut voluntas Dei, quæ omnibus in rebus non poteſt non iuſta bonáq; eſſe, conſtituit atq; decreuit. Si ego hæc vobis proponens & ſcribens, aliqua in re errem, vos rogo vt me admoneatis. neque enim ſum vobis ſapientia illa cæleſti cõparandus, vt qui ab incunabulis in via ſathanæ fuerim inſtitu

Chamboni frater ob delictũ fratris per ſuſpicionẽ etiam in carcere detinebatur.

tus à cæcis hominibus, qui adhuc viuũt, à recta ſalutis via ſemper deerrantes, quæ illis nunquam monſtrata fuit. Neque enim illi impoſtores, ac potius de grege porcorum quàm ordine ſacerdotum homines, hũc pretioſum veritatis theſaurũ ſoluũt: ſed potius clauſum in obſcuritate abdunt, incurrẽtes in illam Chriſti execrationẽ qua væ iis denũtiat, qui clauẽ ſciẽtiæ auferẽtes, ipſi nec introeũt, nec volẽtes ingredi permittunt. Ita fit vt miſer populus nec prima, nec media, nec poſtrema ſalutis intelligat. O ſi ego eſſem apud eos, ipſam veritatem eis demonſtrarem, nec vlla in re illis aſſentarer! Sed ſatis à me de huiuſmodi rebus, quas vos quidẽ melius intelligitis quàm ego, quem imperitum ac fatuum in iis exiſtimare poſſetis. Nunc autẽ oportet vt ad vos etiam ſcribam de ſingulari gratia, quam Deus in me fratrémque meum cõtulit, pro ea iniuria, quæ ei illata fuit. Is cæcus, id eſt, Dei veritatíſque ipſius planè ignarus in carcerem Roanæ ingreſſus fuit. ſed opera, ſtudio ac diligentia Petri Bergieri fratris noſtri inſtitutus, per admirabilem Dei miſericordiam ſalutari veritatis luce illuminatus ex ipſo carcere egredietur ac dimittetur. Quod quidẽ ego pluris facio, quàm ſi ille totam copiam auri quod eſt in mundo, adeptus eſſet. Qua quidem ex re ego maximam lætitiam atque voluptatem capio. Certè ſi Bergierus in his carceribus nihil aliud boni egiſſet, iſtud quidem quod in fratre meo egit, maximum eſt. Sed cùm multis aliis ſalutaria huiuſmodi officia præſtitit, tum verò mihiipſi, quem maximis moleſtiis afflictum ſubleuauit ac recreauit, cùm literis veſtris ad me miſſis, ſuauiſſimæ conſolationis plenis, tum etiam ſuis, vnà cum libris ad conſolationem meam accõmodatis: adeò vt omnia officiorum genera mihi detulerit, facturúmque quoad poſſet, promiſerit: ſicut vos quoque amanter humanitérque obtuliſtis. quorum nomine maximas vobis gratias ago, Deúmque oro vt eorum gratiam cumulatiſſimè reddat. Sed in hac ſumma cõſolatione mea, maxima ineſt moleſtia, quam ex eo quòd frater meus, qui vnà cum Bergerio cubare ſolebat, ab eo nunc diſiunctus eſt, atque ita diſcluſus, vt alter alterum amplius videre non poſſit. Itaque frater meus ea re nõ mediocri dolore affectus eſt, quemadmodum ſuis mihi literis ſignificauit: in quibus ſuam veſtri memoriã, in ſuis precibus declarauit. Neque verò, fratres, ſilentio præterire

P. Bergieri humanitas.

debeo

debeo tum ea beneficia, quibus Deus me in carcere affecit, tum etiam grauiſsima & corporis & animi tormenta, in quibus ſum verſatus, priuſquam voluntatem Dei cognoſcerem, méque ei ſubmitterem, ac libenter obtemperarem. Nam duobus primis menſibus, quibus in hanc foſſam obſcuram ac tetram ſum demiſſus, huiuſmodi vinculis ferreis compedibúſque conſtrictus fui, vt nullam me in partem vertere, nec die nec nocte dimouere planè poſſem: adeò vt neceſſaria naturæ in eodem loco, in quo ita detinebar, ſub me ipſo reddenda eſſent. Itaque in huiuſmodi calamitate ac fœditate pædoris, maledictionibus omnibus atq; execrationibus eos proſequebar, à quibus ita tractabar: etiam patrem ac matrem, quorum beneficio hanc lucem vnquam aſpexeram. Sed cùm ego ita clamarem, Dominus me non exaudiebat, ſed meos dolores duplicabat. Accedebat etiam alia pœna, quæ acerbitate cætera omnia cruciamenta opprobriáque ſuperabat, quòd tanta vis pediculorum in corpore extiterat, vt digitis duodenos in carne veſtéque mea capere poſſem. Quam quidem pœnam ego ſanè meritus fueram, etiam ſi nihil vnquam in vita commiſiſſem præter eas blaſphemias, quas impiè in parentes meos, atque ipſum Deum iaciebã. neque enim hæc ratio probanda & adhibenda eſt, qua diabolũ diabolo expellamus, aut incendium ita extinguamus, vt illud maius oleo copioſè infuſo accendamus. Sed Deus in his tantis meis miſeriis miſertus mei, me admonuit ac docuit non ita agendum eſſe. Nam cùm viderem huiuſmodi blaſphemiis ac maledictis dolores cruciatuũ meorum in dies maiores fieri & acerbiores, mutaui planctus queſtúſque meos & rationẽ moderationémque Chriſtiano homine dignã adhibui, quæ mihi attulit maximã omnium malorum leuationem, vt recolligerẽ meipſum atque recognoſcerẽ, memoriámq; totius vitæ meæ præteritæ, in omni ſcelere impietatéque traductæ, repeterem; atque omnia mea peccata & maleficia mihi proponerẽ, quæ magnitudine atq; atrocitate omnia, quibus grauiſsimè affligebar, tormẽta ſuperabant. Itaq; ad Deum cõuerſus, meã miſeriã deplorare cœpi, veniámq; ab eo peccatorũ meorum petere, ac orare, vt aliquã mei miſericordiã caperet. hac aũt mea in conuerſione atq; precatione Dominꝰ reſpexit me & exaudiuit, ita vt poſtea non mediocrẽ & animi cõſolationẽ & dolorũ leuationem ſenſerim, eámque ſuſceperim patientiã quæ me nunquã dere-

Carceris pædor & miſeria.

Refert Dei beneficia quę poſt agnitã veritatẽ in victu & corpore ſenſit.

liquit. Prætcrea *eodem ipſo die compedibus, quibus arctiſſimè vinct⁹ tenebar, ſolutus fui & liberatus. Pediculi verò, quibus coopertus erã, à me omnes diſceſſerunt, vt iam ſeptem ſint menſes, ex quo ne vnum quidem in corpore meo repererim aut ſenſerim. Frigus quidẽ perexiguum ſentio, quanuis nec lectum, nec integumentum vllum præter pallium meum habeam. Quinetiam in ipſo victu quotidiano* Dominus *mei non eſt oblitus. nam antea quidem huiuſmodi panem mihi præbebãt, à quo, vt miniſtri carceris retulerũt, canes ipſi & equi abhorrebãt: nunc verò benignitate* Dei, *albus panis mihi tribuitur, portióque opſoniorum duplo maior quàm antea dare conſueuerant. Accedunt etiam nonnullæ eleemoſynæ, quas* Dominus *pro ſua gratia & beneficẽtia ad me mittit: ita vt nũc quidem hac in parte ſatis bene nutriar atque reficiar. Sed nimiũ lõga eſſet hæc mea epiſtola, ſi ſingula ſolatia & beneficia commemorare vobis vellem, quibus* Dominus *me afficit, qui nihil horũ ſum meritus, ſed ſupplicia tormentáque multo maiora quàm ferre poßim.* Itaque *maximas ei gratias ago cùm nomine iſtorum beneficiorum, tum etiam quòd me paternè & ſumma cum clementia lenitatéque in hoc miſero mundo caſtiget: ne in altero ab eo damnatu pereã. Si pœnæ quas nunc luo, ſunt graues atque acerbæ, peccata adhuc mea ſunt huiuſmodi, vt ſupplicia infinitis partibus grauiora ei debeantur.* Itaque *has pœnas ego virgáſque optimi* Patris *non aſpernor vt alienas: ſed ſumma cum patientia atque æquitate animi amplector,* Deíq; *miſericordiam potius admiror, quòd me tam benignè tractet. Quare ita animo paratus ſum, vt patiẽter omnia ſim ſuſcepturu ac paſſurus, quæ ipſe imponere mihi voluerit. Vos autem magnopere rogo vt ad me ſcribatis, quemadmodum in ipſa morte, ſi condemnatu fuero, me gerere debeam, vt ad eum diem paratus eſſe poßim, eáque dicere quæ tum ad gloriam* Dei, *tum ad ſalutem meam pertineant: ho magnũ veſtrũ beneficium eſſe putabo. Ego me interea veſtris precibu cõmẽdo, pro mutua beneuolẽtia & charitate quam in meis etiã vobis præſto. Si ego grauiter peccaui, ſicut feci, illud quidem antè facti eſt quàm* Dominus *cognitionem ſui vllam mihi impertiuiſſet. Ac maleficium illud propter quod in carcere nunc teneor, iam tres ab hin annos totidémque menſes deſignatum à me eſt. Si vos aliquos habeti*

libro

bros, eorum conſolatione velim me iuuetis. Eos *ſimulatque legero, reddam noſtro fratri* Petro Bergerio. *Nulla mihi re alia opus eſt hoc quidem tempore*: Deo *gratias*. Hæc *autem ſunt quæ nũc ad vos ſcribere volui*. Pater *omnis miſericordiæ, ac* Deus *omnis patientiæ & conſolationis conſoletur vos, firmámque patientiam in iſta captiuitate vobis impertiat, virtute Spiritus ſui vos confirmans, vt conſtanter omnia ferre toleraréque poſſitis quæ ipſe vobis immittere voluerit, per* Ieſum Chriſtum Filium *ſuum*, Dominum *noſtrum, vnicúmque* Saluatorem: *cui honos & gloria imperiúmque ſempiternum*, Amen, Amen. *Si epiſtola mea incommodè, & cum moleſtia legitur, vos me in eo excuſatum habebitis. neque enim lucem habebam, niſi per exiguum foramen, quo manus tantùm tranſmitti poſſet: nec calamum, qui ad ſcribendum nihil valet, parare poſſum.* Hæc *autem maiore cum moleſtia, metu, difficultatéque ſcripſi, quàm vos poſſetis credere: propterea quòd occultè mihi ſcribendum eſt*. Nam *ne aliquid omnino ſciberem, mihi interdixerunt, papyrúmque atque atramẽtum mihi ademerunt*. Hæc *autem maxima cum difficultate comparaui, neque eſt vllus præter vnum ſeruum conſcius.*

Veſter *humilis frater & amicus*, Petrus Ioannes Chambonus, *propter peccata ſua captiuus, vos verò propter veritatem.*

PETRVS autem NAVIHERVS, quum fidei ſuæ confeſsionem interrogatus coram iudicibus Lugdunenſibus edidiſſet, eandem ſcriptam quoque hunc in modum propoſuit, eodem menſe Maio, anni M. D. LIII.

A Vobis *interrogat⁹ de mea fide, domini ac* Iudices, *exiſtimaui me conueniens huic meæ vocationi facturum, ſi interrogatis veſtris reſponderem ac ſatisfacerem*. Ac *quoniã planè ſentio me in Scripturis ſacris non ita eſſe verſatũ, vt poſſim hoc ita facere, ſicut rei magnitudo dignitáſque poſtulat, à vobis peto & oro, vt mihi ignoſcatis, ſi in ea quidem vobis planè non ſatisfacio*. Ego *tamen puto me nihil dicturum, quod à verbo* Dei *diſcrepet, ſicut omnes fideles homines intelligent, & vos quoque cognoſcere poteritis.* Primùm *igitur credo in vnum* Deum *immortalem, inuiſibilem, tribus diſtinctum perſonis*, Patris, & Filij, & *Spiritus ſancti: quorum vna eadémque eſt ſubſtantia, & eſſentia æterna: ad cuius* Dei *cognitionem homo natura ſua*

Homo in diuinis rebus cæcutit.

non poteſt peruenire, propterea quòd in Diuinis *rebus cæcus eſt, nec poteſt de ijs iudicare, ſicut ait* Diuus Paulus 1. Corinth. 11. *cap. animalem hominem ea quæ ſunt Spiritus non percipere, nec vllo modo poſſe comprehendere atque intelligere, quoniam ſpiritualiter diiudicantur.* Nam *primus homo cùm ſe à* Deo *ſuo auertiſſet atque abalienaſſet, ita in ſeruitutẽ peccati eſt redactus, vt venũdatus ſub eo quaſi mancipium quoddam teneatur.* Ne *tamen vllam ignorationis excuſationem obtenderet, relictũ fuit in animo eius teſtimonium quo* Deum *eſſe ſentire poſſet. ſed tantum abeſt vt ad veram eius cognitionẽ quæ eſt per* Ieſum Chriſtũ *veniat, vt eum tantũmodò agnoſcat iuſtum iudicem eorum qui illum offenderunt.* Quare *dico hominem vniuerſam quandam notitiam intelligentiámque habere naturaliter in corde ſuo impreſſam, vt ſit inexcuſabilis. eam verò cognitionem quæ eſt per* Chriſtum Ieſum, *qua poßumus eum* Patrem *appellare, eũ nullo modo habere: ſed oportet ad eum verè cognoſcendum, vt ipſe nobis oculos aperiat, cor noſtrum ita immutet, vt ex lapideo carneum efficiat, atque in eo verbum ſuum imprimat.* Hoc *autẽ omne bonum à ſolo* Deo *proficiſcitur, & non ab homine, quemadmodum ait diuus* Auguſtinus: Nam *poſtquam, inquit, homo peccato ſuo ſe à* Deo *auertit, vnius iam gratiæ* Dei *eſt eum conuertere ad ſéque reducere: atque ita in obedientia ac reuerentia nominis ſui retinere.* Præterea *credo hominem non poſſe niſi ſola fide iuſtificari: quæ quidem donũ* Dei *eſt, & ſine qua quicquid homo facit nihil aliud eſt quàm peccatum.* Poſtquam *autem donum fidei obtinuit: quicquid is agit* Deo *gratum eſt, & propter eam iuſtus exiſtimatur: quæ in homine minimè otioſa ac mortua, ſed viua & efficax fructus* Spiritu Dei *in eo inhabitante dignos producit. atque adeo ſi* Dèus *hos eius fructus compenſet, id certè facit ſola ſua gratia, nullo omnino noſtro merito adductus.* Nam *nos quidem natura noſtra ex nobisipſis nihil boni proferre vnquam poſſemus. quum ergo* Deus *coronat bona opera, quæ ſunt in nobis, nihil noſtri coronat, ſed id ſolùm quod ipſe in nos per* Spiritum *ſuum contulit.* Quod *verò ait* Iacobus *de operibus* 11. *cap. vos ſcitis eum loqui de ijs qui fidem ſe habere gloriabantur, quam nullis operibus ea dignis declarabant.* Itaque *qui fidem ſuam iactat bonorum operum inanem, is planè*

Cõmunes notitiæ in homine.

Lib. de Bono perſeuerantiæ cap. 2.

Fides, Dei donum eſt.

Deus ſua dona coronat in nobis

Iacobi locus expoſitus.

lanè illudit. neque enim fides poteſt eſſe magis ſine bonis piíſque o-
eribus, quàm bona arbor ſine bonis fructibus. Credo etiam cùm Deus
it ſpiritus immortalis & non aſpectabilis, eum non poſſe nec debere
lla re corruptibili, ſed in ſpiritu & veritate adorari. Quare qui eum Deus imagine non colendus.
maginibus ſimulachríſque effingit, atque in illis colit, agit contra mã
latum eius, quod de huiuſmodi veneratione datum eſt: quemadmodũ
x cap. XX. Exod. *ſatis conſtat. Qui etiam coram ſimulachro aliquo*
e abijcit ac proſternit, ei honorem tribuens, is idolum colit. Neque e-
im, vt inquit Paulus 1. Cor. VIII. *cap. ſimulachrum in mundo aliquid*
ſt, &c. Ioannes *in prima ſua epiſtola,* V. *cap. diligenter nos monet, vt*
uiuſmodi ſimulachra euitemus. Qua in re illa excuſatio nihil planè
alere debet, qua dicitur, id quod fit imaginibus non fieri earũ cauſa,
ed potius eorum qui per illas repræſentãtur. nam quemadmodum ait
Auguſtinus, Pſalm. CXIII. *ipſa effigies à cælo magis cor hominis ab-* Periculum ex imaginibus.
ducit, quàm in cælum erigit atque attollit: propterea quòd cùm eam
videamus ita expreſſam, inſtárque noſtri effictam, habentem oculos,
s, aures, brachia & tibias, exiſtimamus in ea aliquid Diuinitatis *eſ-*
e, eique magno cum errore adhæreſcimus. Idem *etiam ſcribens in pri-*
num cap. Epiſtol. ad Romanos, *dicit impium eſſe, in templis Chriſtia-* Simulachra Chriſtianis indigna.
orum ſimulachrum forma, figuráque humana fictum erigere, ne illud
quidem fas eſſe quod Dei *aliquam effigiem haberet. Alio autem loco*
n lib. de ciuitate Dei. 17. *cap.* 31, *Omnia, inquit, ſimulachra ſunt per*
Euangelium profligata, obliuioníque mandata, quaſi ſepulta iacerent.

De *veneratione autem Sanctorum poſt ipſorum mortem, nos nihil* De ſanctis inuocandis nihil ſcriptũ
habemus in Scripturis ſanctis: nec reperimus quicquã præceptum no-
bis & mandatum, vt eorum auxilium ac patrocinium imploremus: ſed
tantùm ad Deum accedamus per Ieſum Chriſtum, *qui vnus aduoca-*
tus noſter & patronus eſt. qui quidem non præcipit vt ad Petrum,
aut ad Paulum *confugiamus: ſed* Matth. XI. *humaniſſimè omnes ad ſe*
inuitat qui afflictionibus oppreſſi ſunt, eiſque malorum leuationem
quietémque promittit. Deinde Ioan. 14. 15. 16. *pluribus verbis nobis*
promittit Patrem *daturum quæ in ipſius nomine petierimus, cæterorũ*
verò Sanctorum nominis aut patrocinij nulla vnquam mẽtio facta eſt. Chriſtus ſolus noſter interceſſor.
Diuus *quidẽ* Auguſt. 6. *cap.* Hebr. *ſcribit ſolũ* Ieſum Chriſtũ *inter eos*

qui hãc carnẽ humanã induerũt pro nobis intercedere. Et *alibi in* P*ſalmũ* CVIII.*ſcribens,ait orationẽ quæ per ſolum* Ieſum *Chriſtũ non eſt facta,non poſſe peccata delere:ſed potius in peccatum redũdare.Poſtremò cùm in veteri Teſtamento pij homines petunt aliquid à* Deo, *proponentes ac memorantes nomen* Abrahæ , *Iſaac*, *&* Iacob : *illud quidem faciunt reuocantes in memoriam promiſſiones factas à* Deo Pariarchis,*non eorum nomen inuocantes . Quòd ad mortuos attinet,* Paulus I.Theſſalonicenſium *cap.* 4.*nobis præcipit ne nomine eorum mœreamus ,quemadmodum gentiles atque infideles homines,qui nullã ſpẽ habẽt eos aliquãdo reſurrecturos.* Apoſtolꝰ *nõ præcipit vt pro illis preces vllas adhibeamus: quod profectò non prætermiſiſſet, ſi tam prodeſſe eis intellexiſſet quàm vulgò homines dicere ſolent & credere.* Ad *hæc ſi ita eſſet vt precibus eorum ſalutem iuuare poſſemus : oporteret vt* Chriſtus Ieſus *mediam tantùm partem redemptionis noſtræ effeciſſet,nos reliquam perficeremus .* At *verò manifeſtũ eſt & certum,eum plenè ac perfectè eam obligationẽ deleuiſſe, qua nos diabolo obſtricti obligatíque eramus.* Diuus *enim* Petrus *oſtendit nos non auro & argento,ſed pretioſo ſanguine* Agni *immaculati* Ieſu *Chriſti redemptos eſſe,neque in alio nomine ſalutem eſſe.* Diuus *etiam* Chryſoſtomus *ſcribit in homilia* II.*in* P*ſalmum* L.*cùm miſericordia à* Deo *poſtulatur,id ob eam cauſam fieri,ne acerbius examinemur rigoréque iuſtitiæ ab eo ſeuerius tractemur.*Nam *vbi eſt miſericordia ibi amplius nec gehenna,nec examen,nec rigor aut vlla pœna eſt,aut ſupereſſe poteſt.* Quare *qui ſemel miſericordiam per* Ieſum *Chriſtum obtinuerunt,ij iam hac vita defuncti,nulla purgatione opus habent, nec vllam pœnam cruciatúmque expectant:ſed omnibus malis liberati in vitam lætitiámque æternam transferuntur.* Quod *autem de mortuis dictum eſt in* Machabæis:*vos ſcitis eum librum non eſſe Canonicum,quemadmodum* Diuus Hieronymus *oſtendit .* Duo *in* Eccleſia *habemus* Sacramenta *à* Ieſu *Chriſto inſtituta,*Baptiſmum *& ſacram* Cœnam.Baptiſmus *eſt* Sacramentum *pœnitentiæ , & quaſi quidam introitus in* Eccleſiam Dei,*vt in ipſo corpore* Ieſu *Chriſti inſeramur.* In *eo autem nobis proponitur remiſſio peccatorum ,tum præteritorum, tum etiam futurorum:quã vna mors* Ieſu *Chriſti nobis plenè ac perfecte*

Pro mortuis non orandum.

Perfecta ſalus à Chriſto.

1.Pet.1.

Duo tãtùm ſacramẽta.

Baptiſmi effectus & ſignificatio.

ectè acquiſiuit. Præterea *ſignificatur nobis in eodem & demonſtra-ur mortificatio carnis noſtræ, & renouatio vitæ in pietate inſtituē-læ ac degēdæ: quarum vtramque aqua repræſentat ſuper infantē aſ-erſa, in qua eſt ſignum notáque inſignis Spiritus ſancti, vitia anima-um noſtrarum abluentis ac purgantis.* Atque ita admonemur, quòd *quemadmodum magnus ille* Pharao *in mari rubro ſubmerſus eſt, ita oſtrum veterem* Adam, atque id omne quod habemus ab eo ſummer-*i oportet.* Et *quemadmodum aqua ſuper infantem iacitur, non vt is ſummerſus pereat, ſed viuat: ita nos debere in nouitate vitæ ambula-e, vt non nobis amplius, ſed ipſi Chriſto* Ieſu, *cum quo ita ſumus con-uncti, viuamus.* Aliud *verò nihil legimus in hoc Sacramento à* Chri-*ſto* Ieſu *inſtitutum aut traditum, quàm aquam & formam in* Eccle-*ia vſitatam, quæ in nomine* Patris, & Filij, & *Spiritus ſancti ad ſa-cramentum adhibetur.* Quòd *autem ad chriſma & alias ceremonias ttinet, nos nihil de iis in Scriptura ſacra legimus.* Nec *verò illud pro-are poſſumus,* Baptiſmum *externum per aquam factum atque admi-iſtratum, eſſe ad ſalutem ita neceſſarium, vt qui eum non recepe-it, ſalutis planè expers ſit: ſed illud vt iniquum improbamus.* Nam *oc quidem modo gratia* Dei *rebus externis alligaretur, quaſi ea ſine llarum adiumento ſalutem afferre non poſſet.* In *veteri quidem teſta-nento legimus Circunciſionē, quæ figura quædam erat baptiſmi, cùm ctauo tantūmodò die illi tū vterentur, nulla tamen aut ipſorum culpa, ut infantū periculo omiſſam ſæpe fuiſſe.* Idem *etiam poſſumus de in-fantibus Chriſtianorum & ſentire & dicere. neque enim Sacramēta nouæ* Legis *maiorem vim in iis habuerunt, quàm veteris: quemadmo-dū* Paulus *ſatis oſtendit,* 1.Cor.x. *cùm ait* Patres *eundem cibum come-diſſe ſpiritualē nobiſcum, eūdémque potum bibiſſe.* Si *aliqua in his Sa-cramentis erat differentia, ea in tempore erat non in re: quòd illa ſpem* Chriſti *redēptoris aliquando venturi oſtendebant, hæc iā veniſſe de-mōſtrant, ſicut* Auguſtinus *in* Ioan. *ait,* Contēptus Sacramenti *tantū-modò abſit, infantes fidelium in promiſſione illa comprehenſi ſunt, qua* Dominus *ſe tum parentū, tum etiam liberorum poſterorúmque* Deum *futurum etiam vſque in milleſimā progeniē confirmat: ſine vlla dubi-tatione participes ſunt eius ſalutis, quæ à* Deo, *qui mētiri non poteſt,*

Baptiſmi ſimplex inſtitutio.

Gratia Dei Sacrā. nō eſt alligata.

promiſſa eſt. Nam ſicut ait Ambroſius in epiſtolā ad Corinthios, ſatis notum eſt Spiritum ſanctum ſine manuum impoſitione datum, atque eum qui non fuerat baptiſatus, remiſſionem peccatorum obtinuiſſe. at qui donum Baptiſmi *accepit, viſibili ſigno eſt baptizatus.* Et Au-

Li.3.quęſt. veteris Teſt. *guſtinus dicit ſanctificationem eſſe aliquando ſine Sacramento viſibili, ipſúmque Sacramentum externum ſine ſanctificatione interiore. Quamobrem ego ſtatuo & concludo externum* Baptiſmum,*qui aqua adminiſtratur, non eſſe neceſſarium ad ſalutem, neque aquæ adiumento hominem ſaluari: ſed eo bonæ conſcientiæ teſtimonio, quod aqua repræſentatur, de remiſſione peccatorum per mortem* Ieſu Chriſti *nobis parta: cuius quidem niſi ſimus participes, nos planè perire neceſſe eſt.*

R*eſtat vt dicamus de altero Sacramēto, quod eſt ſacroſancta Cœna, quam ſicut quatuor* Euāgeliſtæ & Paul.1.Cor.11.*teſtātur,* Dominus

Cœnæ inſtitutio. *noctu priuſquam pateretur, inſtituit, panémque acceptum fregit, ac* Diſcipulis *ſuis præbuit, inquiens,* Accipite, *edite: hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur.* Et *quum gratias egiſſet, calicem quoque accepit, dicens,* Hoc *eſt nouum* Teſtamentum *in meo ſanguine: omnes ex eo bibite.* Hoc *quotieſcunque vos feceritis, mortem* Domini, *quoad veniat annuntiabitis.* Hæc *quidem eſt ſacræ Cœnæ inſtitutio, in qua primùm vos videtis, quemadmodum mandatum bibendi de calice*

Calix laicis non denegandus. *eſt violatum, cùm laicis denegetur.* Omnes *quidem veteres* Doctores *diſertis verbis præceperunt, vt omnes vtraque parte Sacramenti atque ſpecie panis & vini vterentur, vt ita corporis & ſanguinis*

In 9.cap.1. ad Cor. Domini *participes eſſe poſſent.* Chryſoſtomus *ait, in hoc Sacramento non ita habere, vt in veteri* Lege, *in qua ſacerdotes portionem à populo ſeparatam accipiebant: ſed in* Euchariſtia *omnia populo cum ſacerdote ſunt communia. nam idem corpus omnibus proponitur & idem calix.* Gelaſius *etiam epiſcopus* Romanus *conſtituit vt qui-*

De cōſecr. diſtinct.2. c. Comperimus. *cunque abſtinerent à calice, à Sacramento omnino repellerentur: quoniam, inquit, diuiſio huius myſterij ſine ſacrilegio fieri non poteſt.* Sed *loquamur de iis, quæ in hoc Sacramento fieri ſolent.* Vos *dicitis in eo corpus ac ſanguinem* Ieſu Chriſti *recipi.* Id *quidem ego confiteor: ſed videamus quomodo.* Vos *certè mihi non negabitis nos non poſſe vlla alia ratione participes fieri* Ieſu Chriſti, *vt ſalutem adipiſcamur,*

mur, quàm per fidem: quæ cùm non ſit res corporea, non oportet vt ad accipiendum Ieſum *Chriſtum & edendum, dentes carnis afferamus: ſed tantùm ſpiritum animámque cibi tam ſalutaris auidam: quod quidem fit per fidem, qua ſola* Ieſum *Chriſtum ad ſalutem recipimus. eius autem officium eſt credere. itaque qui credit in* Ieſum *Chriſtum, eum in ſpiritu comedit.* In quo *planè conſentio cum Auguſtino, admonente ne dentem ac ventrem præparemus, ſed credamus, atque ita manducemus.* Neque *ab eius ſententia & authoritate diſcrepat* Decretum *de pœnitentia.* Quare *ita ſentio atque ſtatuo, Quicunque credit* Ieſum *Chriſtum deſcendiſſe de cælo, pro ſe paſſum & mortuum fuiſſe, per eiúſque mortem, morte æterna liberatum, atque hæredem cæli factum: eundémque reſuſcitatum in cælum aſcendiſſe, indéque ad iudicandum viuos & mortuos venturum eſſe: eum, inquam, dico planè participare* Ieſu *Chriſto, atque eius carnem edere ac ſanguinem bibere.* Atque *hoc quidẽ modo vt ait Auguſtinus, Chriſtus habitat in nobis, & nos in eo.* Hæc *eſt enim vera communicatio, quam nos habemus cum eo, quæ per fidem fit.* Nam *illa quidem coniunctio & communio, qua Chriſtus factus filius* Adam *cũ toto genere humano ſe coniunxit, verámque humanitatem ſuſcepit, nihil planè proderit, niſi alia ſpiritualis quæ fit per fidem, inſtituatur atque adhibeatur.* Qua *vna nos regeneramur, & in numerum filiorum* Dei *adoptamur, & cuius tantummodò ſunt participes, qui electi à* Deo, *in Chriſtum credunt.* Sentio *igitur illam manducationem carnalem corporis & ſanguinis naturalis* Ieſu *Chriſti, in qua dicunt panem ac vinum conuerti, nullo modo fieri in Cœna: ſed credo eum ad dexteram* Dei Patris *ſui ſedere: ſi caput illud communis fidei noſtræ & hiſtoria* A*ſcenſionis eius non me fallit, quemadmodum fallere nullo modo poteſt. ſed eo ſymbolo tantummodò admonemur, quòd ſicut corpora noſtra pane ac vino nutriuntur & ſuſtentantur, ita animas noſtras carne eius ac ſanguine ali, foueri, confirmari, tum cùm per fidem atque in ſpiritu ea ſumimus.* Sed *vt hoc apertius demonſtretur & confirmetur, veram interpretationem verborum* Ieſu *Chriſti conſideremus.* Is *ait,* Hoc *eſt corpus meum.* O*bſecro vos, ne aliquid de noſtro afferamus, ſed in noſtras conſcien-*

De pœnitentia, Diſtinct. 2.

Cõmunio noſtra cum Chriſto.

Lib.4.cõtra Marcionem.

tias introeamus. Tertullianus quidem hæc verba ita exponit: Hoc eſt *ſignum corporis mei & figura.* Diuus autem Auguſtinus, Dominus, *inquit, non dubitauit dicere,* Hoc eſt *corpus meum: quamuis nihil præter figuram corporis diſpertiret.* Et deinde, *Ieſus* Chriſtus Iudam cum *diſcipulis in conuiuium recepit, quibus ſignum & figuram corporis ſui commendauit atque exhibuit. Omnes denique* Doctores *veteres idem ſentiunt & dicunt.* Diuus Irenæus *ait panem terreſtrem, qui benedictionem* Dei *recipit, non iam amplius eſſe communem, ſed* Euchariſtiã *complectentem duo, quorum alterum terrenum eſt, alterum* Diuinum. Idem A*uguſtinus loquens de eodem ſacramento, in eo libro quem de doctrina* Chriſtiana *ſcripſit:* Quemadmodum, *inquit, ſeruilis eſt infirmitas literam planè ſectari, ipſáque ſigna pro rebus quæ illis ſignificantur accipere: ita ſigna inutiliter interpretari error eſt pernicioſus. Si hoc vobis non ſatisfacit: videamus rem propius, vos confitemini ſacram* Cœnam *eſſe ſacramentum.* Videamus *igitur ſimplicem ſacramenti definitionem alibi poſitam ab* Auguſtino, *Sacramentum, inquit, eſt rei ſacræ ſignum, aut ſymbolum viſibile gratiæ inuiſibilis. id igitur illud ipſum eſſe quod ſignificat non poteſt: nec enim iam amplius ſacramenti nomen aut naturam habere poſſet. Cœna autem eſt ſacramentum ac ſignum huiuſmodi, quod rem aliquam demonſtret: ſed ita, vt illud quod eo ſignificatur ac repræſentatur, verè tribuatur atque impertiatur ei, qui id per fidem recipit: aliter non.* Præterea, *vos ſcitis verbum ſubſtantiuum* E S T, *ſæpè in ſacris literis accipi pro verbo* Significare, *ſicut octauo capite* Geneſis, *Septem vaccæ & ſeptem ſpicæ frumenti, ſunt ſeptem anni:* Petra *autem erat* Chriſtus: Ioannes *erat* Helias. Puto *vos mihi non negaturos omnes huiuſmodi locos debere declarari & exponi per verbum* Significare. Quid *autem impediet, quò minus idem faciendum ſit in his verbis* Ieſu Chriſti? *cùm præſertim veteres* Doctores *ita interpretati fuerint.* Poſtremò *ſi dicunt hanc tranſſubſtantiationem panis & vini in corpus & ſanguinẽ* Ieſu Chriſti, *miraculo quodã fieri: in eo quidem non magna ratio eſt.* Nam *quod miraculum ex omnibus* Scripturis *ſanctis proferetis, quod non ita ſub ſenſus omnes corporis ceciderit, vt omnes qui illud viderent aut audirent, in admirationẽ non conuerteret? cuius generis ſunt ea, quæ* Moyſes

Epiſt.13.ad Bonifaciũ.

Eſt, pro ſignificat.

Miracula in Script. qualia.

ſes in AEgypto admiranda edidit. At verò in Cœna nō videmus panem ac vinum immutari, atque in alium colorem ſaporémque conuerti, vt ita fieri magnoperè admirari debeamus. Itaque nullum in eo miraculum eſt. Vos dicitis illud totum fide comprehendi, quæ de verbis Ieſu Chriſti non dubitat, cuius vi altiſſima myſteria comprehenduntur. equidem vobis in hoc aſſentior: ſed illud etiam ſtatuo ac dico, fidem non ita eſſe craſſam, atque in hac carne inuolutam, vt in hoc ſacramēto, ac myſterio quidquam carnale terreſtréque percipiat aut ſapiat. etenim myſterium ſpirituale planè eſt & cælcſte. nihil igitur cogitare debemus in eo cum carne terráque coniunctum, nec quemadmodum fuit conſtitutum in concilio Niceno in primo canone, oculos ſolùm noſtros defigere in pane & in vino, quæ nobis in Cœna adminiſtrantur, ſed oculos mentis ac fidei noſtræ altius in cælum attollere, vt agnum pro nobis ſemel immolatum atque ad dexterā Dei collocatum contemplemur. Vos rogo per nomen Dei, vt ipſi conſideretis an res non ita ſe habeat, vos etiam ſcitis canonem de tranſſubſtantiatione non alium antè authorem habuiſſe, quàm Gregorium Romanū pontificem ſeptimum. Nam hoc quòd idem ſacramentum ab antiquis ac pijs doctoribus Sacrificium appellatur, id fit propter commemorationem illius ſummi atque æterni ſacrificij, quod Chriſtus Ieſus pro peccatis noſtris ſemel in cruce peregit. Nominatum eſt etiam Euchariſtia, id eſt, gratiarum actio, quod vnum nobis vt illud Deo offeramus ſacrificium relictum eſt: quemadmodum in epiſtola ad Hebræos, Fructus labiorum, & à Dauide Cor cōtritum & humiliatum appellatur. Cætera verò ſacrificia omnia finem acceperunt in Chriſto Ieſu, qui ſeipſum Deo Patri ſemel obtulit, neque alius eum offerre iam poteſt. In hac autem tota inſtitutione ſacroſanctæ Cœnæ, atque in vniuerſa Scriptura ſancta nulla planè fit mentio Miſſæ eiúſque inſtitutionis, quæ hodie tantoperè celebratur. Quare neſcio quam rationem ij habeāt qui aiunt Iacobum Hieroſolymis eam primùm celebraſſe. alij dicunt Petrum fuiſſe, qui Antiochiæ celebrarit. alij Gregorium eius authorem referunt. quidam etiam Ambroſium. Hæc quidem parum ſunt firma ad authoritatem eius rei declarandam, quam inter maxima & præcipua fidei Chriſtianæ capita haberi volunt. Diuus Paulus di-

Tranſſubſtantiationis author

Cœna ſacrificium dicta.

Euchariſtia

Commētū de Miſſa.

cit ſe Corint.tradidiſſe quod acceperat à Domino. Nec dubiũ eſt, quin cæteri omnes Apoſtoli idẽ fecerint. Certũ autem eſt Chriſti nunquã Miſſam inſtituiſſe. ſequitur igitur Iacobum & Petrum, ſi eam tradiderunt, fideles ſeruos Ieſu Chriſti, Apoſtolóſque nõ fuiſſe, cùm aliud tradiderint aut celebrarint, quàm quod à Domino Magiſtróque præceptum fuerat. quod quidẽ de illis minimè eſt cogitandum. Cæterùm

Miſſę origo *vos non ignoratis Miſſam initium cœpiſſe ſuum à veteris eccleſiæ cõſuetudine, in qua aliqui Pſalmi canebantur, aut aliquod Scripturæ ſanctæ caput legebatur, dum populus introiret & conueniret. Ea autem quæ nunc offerũtur ortum ſuum habuerunt ab illis collectis, quas diaconi pro pauperibus faciebant. Videte quæſo, quæ poſtea mutatio eorum omnium facta fuerit. Ego verò nulla alia Sacramenta, præter ea duo quæ antè commemoraui, in Eccleſia à Ieſu Chriſto inſtituta, tra-*

Ceremonię exoletę *ditáque eſſe ſcio. Nam confirmatio quidem, atque impoſitio manuum, extremáque vnctio, cur tantoperè retineantur, nulla cauſa ratióque videtur eſſe: cùm id propter quod huiuſmodi ceremoniæ fuerant inſtitutæ, donum miraculorum iam deſierit. Neque enim vos confertis Spiritum ſanctum, cùm id vnius Dei donum ſit, vt ait diuus Ambroſius in tertium caput primæ ad Corinthios ſcribens. Vnctione verò nullam ægrotis affertis ſanationẽ, quemadmodum Apoſtoli: ſed potius ſignum mortis aut morbi mortiferi, ac cùm prorſus omnia ſunt deſperata.*

Caput Eccleſiæ. *Credo etiam Eccleſiam nullum habere caput præter Ieſum Chriſtum, cuius omnes fideles membra ſunt: ex quibus nullus in aliũ præſtantiam aut poteſtatem vllam habet, vt eum ſibi ſubijciat, ſed omnes in Domino ita ſunt fratres, vt mutuam obedientiam atque obſeruantiam inter ſe habeant ac præſtẽt, aliíque aliis inuicem pareant, quemadmodum in priſca Eccleſia obſeruatum, ac monumentis literarũ pro-*

Cypriani ſententia. *ditum, facilè cognoſci poteſt. S. Cypriani in epiſt. quæ in cõcilio Carthaginenſi ſcripta eſt, huiuſmodi ſunt verba, Nos quidem omnes conueniemus, vt opinionem noſtram & ſententiam exponamus. Quòd ſi alius quiſpiam diſſentiat & contradicat, illum ex conuentu conſeſſúque non eijciemus. Neque enim in nobis eſt quiſpiã, qui ſe ſummum epiſcopum audeat dicere, vt alios in ſententiam ſuam cogat. Vos videtis tum quidẽ nullum epiſcopum fuiſſe, qui in alios dominatum vſurpa-*

ret,

ret, nedum in reges ac principes, quemadmodum Papa ſe habere hodie iactat. Vos ſcitis diuum Gregorium hoc nomen repudiaſſe, cùm dicat, eũ qui ſibi illud aſſumeret atq; vſurparet, præcurſorẽ Antichriſti eſſe. Idẽ dicit Amianus Diaconus de Ioan. epiſc. Conſtantinopolitano, qui illud nomẽ arroganter volebat vſurpare. Neque verò ignoratis quod erat officium veterum epiſcoporum, & quæ vitæ, morum ac doctrinæ ratio à Paulo deſcripta: & quòd nomẽ canum mutorum à S. Gregorio eſt eis attributum, niſi officio fungantur ſuo. Neque etiã ignoratis officium ſacerdotũ ac presbyterorum, & quam vim illud nomen habeat. quo nomine ſolo homines hodie cõtenti ſunt, vitam prorſus purámque doctrinam negligentes. Ad Mauritiũ Epiſt. 79. Epiſt. 76. & 118. 1. Tim. 3.

His omnibus addo & confiteor ſolius Verbi eſſe, peccata hominibꝰ remittere, hominẽ verò, ſicut ait diuꝰ Ambroſius, eius remiſsionis tantũmodò miniſtrũ eſſe. Itaque ſi is condẽnat, ea non eſt eius vis & poteſtas, ſed Verbi quod ab eo annuntiatur. Hoc autẽ planè congruit cum quadã ſententia diui Auguſtini in Decretis poſita, vbi ait non fieri hominum meritis quòd peccata remittantur, ſed virtute Spiritus ſancti. Nam Dominus Apoſtolis ſuis dixerat, Accipite Spiritum ſanctum: & deinde addidit, Si vos remittatis ſua alicui peccata: non vos quidẽ ſed Spiritus ſanctus, quẽ accepiſtis: hæc Auguſtinus. Cyprianus verò ait ſeruum non poſſe remittere offenſam aduerſus dominum ſuum commiſſam. quare nullam aliam ego confeſsionem noui, præter eam quam Deo nos debemus, & fraternam reconciliationem & publicam corã Eccleſia confeſsionẽ eorũ qui aliquod ſcandalum admiſerãt, quemadmodũ omnes veteres doctores docẽt. Poſtremò ego ab omnibus fidelibus quæro auditoribus, qui in hiſtoriis Eccleſiaſticis verſati ſunt, an nõ ea fuerit conſuetudo veterum Patrum, vt hæreticos perſequerẽtur nõ ad mortẽ, ſed per Scripturas, vt earũ authoritate veritateq; conuincerent, ac ſi poſſent, in rectã viã reducerẽt. Quòd ſi erãt in ſuſcepta opinione pertinaces, ſumma erat pœna vt in exiliũ mitterẽtur, ne reliquũ gregẽ cõtagione ſua inficerent. Hoc verò tẽpore in eccleſia tãta ſæuitia adhibetur, vt homines nihil aliud planè velle ac ſtudere videantur, quàm violentũ tyrannicumq; dominatũ in alios exercere. Neq; verò hoc ego dico, quòd vllũ crimẽ hæreſeos in mea confeſsione agno- De peccatorũ remiſſione. Triplex confeſsio. Hæretici quomodo olim plectebantur.

ſcam. nam Deus primùm teſtis eſt, nihil à me dictum eſſe, in quo vlla praua atque impia opinio perſpiciatur. Deinde omnes verè Chriſtiani ſi hæc legant, idem de me iudicabunt: etiam vos ipſi, domini, ſi parumper in conſcientias veſtras intrare vultis, ac verè ſine immoderato animi ſtudio iudicare, cognoſcetis. Gloria Deo *ſit.*

Epiſtola eiuſdē Petri Nauiheri ad quendā amicū miſſa propter verbū Dei captiuum.

S*I minus, chariſſime frater, officio in ſcribendo fungor, nec te per literas conſolor, à te peto ac rogo vt mihi ignoſcas. nam ſi mihi plus otii & commoditatis eſſet, nihil libentius facerem, méque vnà tecum conſolarer.* Nunc *autem tu exiſtimare debes, nobis eſſe cogitandum quomodo ei reſpondeamus, apud quem nos propediem prodituros, rationémque fidei noſtræ reddituros arbitramur atque expectamus.* Et *quoniam ad defenſionem nulla arma ſunt meliora atque aptiora, quàm gladius verbi* Dei*, non oportet nos torpere ac iacere, ſed eum arripere, nóſque munire, tametſi nunquam eam diligentiam adhibebimus quam magnitudo rei poſtulat: ſed tamen confidimus, eum cuius cauſam nos tuemur nudos & inermes in hoc certamine non relicturum, ſed verbo ſuo ita muniturum, vt eius honorem gloriámque defendamus, cuius teſtes ac procurarores coram hominibus conſtituit.* Dominus *autem ſe nobis adfuturum ſuo ſacro ore promiſit, cùm nos admonuit, ne anxii ac ſoliciti ſimus, quid in ſynagogis aut apud magiſtratus poteſtatéſque reſpondeamus aut loquamur. nam Spiritum ſanctum doctorem noſtrum futurum, ac demonſtraturum quid & quomodo loquendum ſit.* Hæc *promiſſio nullo modo nos poteſt vnquam fallere. itaque* Dominus *tantummodò orandus eſt, vt pro ſua miſericordia & fide nos opus manuum ſuarum reſpiciat, vt quoniam nos coram hominibus produxit, & confeſſione nominis ſui ore noſtro facta in lucem protulit, nos Spiritu ſuo confirmet, atque ea conſtantia muniat, vt quod hactenus profeſſi & confeſſi ſumus, id vſque ad extremum vitæ ſpiritum tueamur.* Ego *& tu propter eandem cauſam tenemur in vinculis. ea autem noſtra non eſt, ſed* Dei. Itaque *demonſtremus nos non noſtra, ſed ipſius cauſa nominéque dimicare: ſimul etiam ei noſtram infirmitatem, ſummámque fragilitatem proponamus, quæ tanta eſt, vt ne puncto ac momento*

Martyres Chriſti procuratores.

temporis

temporis coram inimicis noſtris conſiſtere poſsimus. Petamus igitur ab eo vt pro ſua gratia virtutem ſuam in nobis, vaſis fragilibus, oſtendat, in noſtráque infirmitate ſuam potentiam declaret, vt per crucem Ieſu Chriſti, quæ ſtultitia hominibus videtur, prudentia ipſorum & ſapientia confundatur. Conſideremus, chariſsime frater, eam optimi Dei noſtri eſſe voluntatem, vt ita conuerſemur inter infideles, vt conſuetudo totius vitæ noſtræ reluceat aliis, vt noſtro exemplo ædificentur, aliis verò vt eiuſdem vitæ noſtræ ac doctrinæ teſtimonio conuincantur, nullámque excuſationẽ habeant. Cogitemus Deum olim, cùm populum ſuum affligeret, eúmque in exilium mitteret, id feciſſe, nõ ſolùm vt eum caſtigaret, verumetiam vt in ea populi captiuitate multos ad cognitionem ſui vocaret. Quantum enim Danielis ſociorúmque eius exilium ad gloriam Dei illuſtrandam profuit? Nec enim dubium eſt, quin infideles homines cùm vident bona opera, ſanctam vitam, honeſtáque ſtudia eorum quos arbitrantur quaſi monſtra quædam, cogãtur confiteri, opinionẽ quam de nobis habent, eſſe falſam, Deóque gloriam tribuere. Itaque cum patientia & æquitate animi feramus quicquid ab eo profectum fuerit: optimam eius voluntatem expectemus, perſeuerãtes in precib⁹, vt tela ignita inimici ſathanæ repellamus, qui inſtar leonis rugiẽtis nos circuit. Oremus, oremus optimũ Deũ, vt pro ſua gratia brachiũ ſuum forte ac robuſtũ exerat, quo nos humiles, inopéſque ſeruos ſuos tueatur, gloriãq; per nos in omnibus conſequatur.

Stultitia crucis confundit ſapientes.

Vitæ exempla mouẽt.

Hæc ſunt præclara acta eorum quinque Scholaſticorum quos ſuprà memorauimus, dictaque eorum & reſponſa & ſcripta quoad fuerunt in carcere: quibus duas nos epiſtolas ſummæ eruditionis atque opportunæ conſolationis plenas adiunximus, quas fidelis Euangelii miniſter Ioannes Caluinus ad eos ſcripſit, accommodatas ad conſolandos omnes pios, qui propter eandem cauſam Euangelii eadem vincula tormentáque patientur.

EGO, fratres chariſsimi, hactenus nihil ad vos ſcribere volui veritus ne ſi literæ meæ in manus inciderent alienas, nouã id cauſam durius vos affligendi inimicis afferret. Præterea intelligebam Deum ſua gratia ita agere in vobis, vt non magnoperè literis meis opus haberetis. Interea neque ego neq; cæteri fratres qui ſunt hîc, veſtri obliti fuimus, omnibúſque in rebus quibus potuimus, officium ſtudiúmque noſtrum vobis præſtitimus. Nam ſimulatque vos capti fuiſſetis, nos de eo certiores facti, cognouimus quemadmodum id accide-

*rit:ſtatímque ac diligenter operam dedimus, vt auxilium vobis mitteretur.*Nunc *reſponſum expectamus,vt intelligamus quid impetratum ſit ab illis,à quibus opem veſtra cauſa petijmus. qui autem aliquid poſſunt apud eos principes,quorum in manum* Deus *vitam veſtram tradidit,ea in re & cauſa veſtra ſummam fidem, ſtudium ac diligentiam adhibuerunt:ſed quid effecerint atque impetrarint, nihil adhuc planè ſciebamus.*Interea *quidē omnes filij*Dei *preces faciūt pro vobis,quēadmodum debent:cùm pro mutua humanitate ac miſericordia,quæ inter eiuſdem corporis membra eſſe debet, tum etiam quòd intelligunt atque optimè ſciūt vos ſua cauſa laborare,cùm cauſam ſalutis ſuæ procuratis ac defenditis.*Quomodocunque *ſit, nos quidem ſperamus & confidimus optimum ac benigniſſimum* Deum *felicem exitum captiuitatis veſtræ daturum,ita vt inde habituri ſimus quāobrem magnoperè lætari debeamus. voſipſi videtis quô ille vos vocet.* Ne *igitur dubitetis,quin ea in re, in qua ipſe opera veſtra vti volet, vobis eam virtutem daturus ſit,qua opus iam in vobis inſtitutum inchoatúmque perficiatur.hoc enim ſe facturum promiſit, & nos multa præſtātis fidei eius exēpla documētáq; habemus,quibus planè cognouimus* Deum *nunquam vlla in re ijs defuiſſe qui ſe illius* Spiritu *duci ac gubernari paſſi ſunt.*Quinetiam *id in vobisipſis iam ſatis experti eſtis ac ſenſiſtis. nam in eo quidem ſuam opem ac virtutem declarauit,quòd eam vobis conſtantiam dedit,vt primos inimicorum impetus forti animo ſuſtineretis,eóſque propulſaretis.*Confidite *igitur eum opus manuum ſuarum nunquam imperfectum relicturum.* Vos *ſcitis quid* Scriptura *nobis proponat,vt nos ad pugnam atq; dimicationem pro cauſa* Filij Dei *ſuſcipiendam & ſuſtinendam animet,omníque ſtudio accendat,quæ vos vidiſtis antea & audiuiſtis meditemini vt ea nūc in vſum cōferatis.* Nam *quidquid ego vobis poſſem dicere atque ſcribere,id vobis omne parū prodeſſet,niſi hoc ex fonte hauriretur.* Et *certè maiore firmioréque præſidio, quàm hominum ſolatio atque adiumento opus eſt, vt nos inimicis tam potentibus, diabolo, morte, mundo ſuperiores ac victores exiſtamus. ſed firmitas illa quæ eſt in* Chriſto Ieſu, *ad id aſſequendum ſatis magnam vim habet, & aduerſus ea omnia pericula, quibus perturbari facilè commoueríque*

Preces piorum pro captiuis.

Inſignis conſolatio.

rique poſſemus, niſi ipſius gratia ac virtute niteremur, & planè conſideremus. Itaque cùm vos ſciatis cui credideritis, eam ei tribuite authoritatem quam meretur. Sed quoniã ſpero me poſthac ad vos adhuc ſcripturum, hoc tẽpore hanc epiſtolã longiorẽ non faciã. Tantùm reſpondebo breuiter ijs capitibus, de quibus frater Bernardus *meam ſententiam requiſiuit. Ac primùm de votis hæc regula tenẽda eſt:* Homini *non licere quicquam* Deo *vouere, niſi id quod ab eo approbetur. at vota monaſtica eò tantùm ſpectant, vt purus* Dei *cultus planè corrumpatur. Secundo loco obſeruandum, arrogantiam eſſe in homine planè diabolicam, vouere aliquid maius quàm ratio vocationis patiatur. Scriptura autem nobis declarat, donum continentiæ eſſe ſingulare, non vulgare aut cum multis commune, tum* Matt. 19. *tum* 1. Cor. 7. Ex *quo efficitur, eos qui huiuſmodi vinculum ſibi imponunt ac neceſſitatem vt tota vita à coniugio abhorreant, non poſſe in eo temeritatis crimine vllo modo excuſari, atque ita* Deum *tentare.* Res *quidem hæc pluribꝰ poſſet explicari, ſi diceretur tria in ea quæſtione conſideranda eſſe. primùm quis eſt is cui votum nuncupatur: deinde quid voueatur: poſtremò quis ille qui votum facit.* Nam *Deus quidem maior eſt* Dominus *quàm vt cum eo iocandum eſſe videatur. homo autem quid poſſit conſiderare debet. Sacrificium verò offerre ſine obedientia, mera pollutio eſt, ſummáque abominatio. Veruntamen hæc ratio vna pro omnibus ſufficiet, ſi demonſtretur, ſeipſum continere donum* Dei *eſſe ſingulare, atque ita ſingulare vt non perpetuum ſit in pleríſque, ſed eis ad tempus concedatur. Itaque qui triginta annis eo cõtinentiæ dono præditus fuerit, quemadmodũ* Iſaac, *illud in reliquo tẽpore vitæ nõ habebit.* Ex *eo concludere poteſtis, quòd monachi, qui ſe eo obſtringunt voto ne vxorem vnquam ducant, ſine vlla fide audent id* Deo *promittere quod ipſis conceſſum nõ eſt & datum.* Paupertas *verò eorum pugnat omnino cum ea quam* Dominus Ieſus *ſuis præcipit. Cæterùm de corpore in altera vita gloria ornando: qualitates quidem eius immutabuntur, ſed non omnes. oportet enim diſtinguere qualitates quæ à corruptione peccati exiſtunt, ab ijs quæ naturæ ipſius corporis propriæ ſũt nec ab eo poſſunt ſeparari.* Diuus Paulus *tertio* Philipp. *dicit hoc noſtrũ corpus abiectum aut infirmum, fore conforme glorioſo corpo-*

Voti cœlibatus impietas.

Tria in votis nuncupandis conſideranda.

Vota monaſtica verbo Dei contraria.

De corporibus glorificatis in altera vita.

ri Ieſu Chriſti. Eo autem nomine ταπεινώσεως aut humilitatis, Apoſtolus notat eas qualitates, quas geſtamus hodie in his corporibus, quæ tum quidem immutabuntur: hæ nimirum quæ fluxæ & caducæ in hoc mundo, & corruptioni obnoxiæ ſunt. Atque in hanc ſententiam diuus Auguſtinus in epiſtola ad Dardanum LVII. ait, Venturus eſt in eadem carnis forma atque ſubſtantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abſtulit, ſecundum hanc formam non putandus eſt vbique diffuſus. Hoc autem argumentum ille doctor proſequitur longius, demonſtrans corpus Chriſti ſuis dimenſionibus contineri. Et certè corpora noſtra eam gloriam tum non habebunt, vt vbique diffundi verſaríque poßint. Eam tamen habebunt ſimilitudinem atque conformitatem, de qua Paulus loquitur. Quòd autem ad locum illum ex Apocalypſi pertinet, verba in eo ita habent v. cap. Audiui omnem creaturam, quæ in cælo eſt & ſuper terram & ſub terra, & quæ ſunt in mari, omnes audiui dicentes, Sedenti in throno & Agno benedictio, honor & gloria. Vos quidem perſpicitis, quàm puerilis, inepta, leuíſque ſit cauillatio, ea verba ad animas purgatorij accommodare. Nam Ioannes potius intelligit figurã quandã, quæ proſopopœia appellatur, quòd ipſi etiam piſces Deũ benedicerẽt: de locis verò teſtimoniiſq; Doctorũ, remittite aduerſarios veſtros ad epiſtolã diui Auguſtini ad Bonifacium. XVII. vbi in fine ita ſcribit, Quòd Sacramenta ſimilitudinem quandam habent earum rerum quas figurãt. quo fit, vt ſecundũ aliquẽ modum Sacramentũ corporis Chriſti corp⁹ Chriſti ſit. Itẽ lib. III. de doctrina Chriſtiana, vbi inter cætera cap. v. ita ait, Ea demùm miſerabilis eſt animæ ſeruitus ſigna pro reb⁹ accipere, & ſupra creaturam corpoream oculum mẽtis ad hauriendum æternum lumen non leuare. Item capite nono, Agnoſcat fidelis, quò referatur myſterium Baptiſmi & corporis ac ſanguinis Domini celebratio, vt ea nõ carnali ſeruitute, ſed ſpirituali poti⁹ libertate veneretur. vt autẽ literã ſequi, & ſigna pro rebus accipere, ſeruilis infirmitatis eſt, ita inutiliter ſigna interpretari, malè vagãtis erroris eſt. Alios ego locos plures nõ colligã, quoniã hi vobis ſufficere poterunt. Itaq; finẽ ſcribẽdi faciẽs, Deũ oro vt eũ gratiæ ſuæ ſenſũ in animis veſtris efficiat, vt modis omnib⁹ cognoſcatis, planéq; ſentiatis, quantũ valeat fidelißima

Corporum qualitas in reſurrectione.

Auguſtinus ad Dardanum epiſtola 57.

Locus Apocalyp. explicatus.

Teſtimonia Doctorum.

*deliſsima ipſius pro ſuis ſuſcepta protectio atque deféſio: vóſque ſan-
cto ſpiritu ſuo repleat, prouidentiã virtutémque vobis impertiat, pa-
cem, lætitiã, & αὐτάρκειαν afferat, quò nomen* Domini *noſtri* I*eſu* C*hri-
ſti pèr vos ipſos ad ædificationem* E*ccleſiæ omni gloria celebretur.*
G*eneuæ* x. *die* I*unij*, M. D. L I I.

Alia eiuſdem Caluini epiſtola ad eoſdem captiuos miſſa.

*CHariſsimi fratres, hoc tempore neceſsitas vos etiã atque etiam
magis quàm antea hortatur, vt omnes ſenſus veſtros in cælo cõ-
ſtituatis ac firmetis.* N*ondum quidem nos ſcimus quis cauſæ veſtræ
& captiuitatis exitus futurus ſit: ſed quoniam videtur* D*eus ad obſi-
gnandam veritatem ſuam ſanguinem veſtrum poſtulare, nihil melius
eſt quàm vos eam ad rem comparare, eúmque orare vt vos ad ſuam
voluntatem ita conformet, vt nihil impediat, quò minus ſanctam eius
vocationem ſequamini.* N*am vos ſcitis, fratres, nos oportere ita mor-
tificari, vt ei in ſacrificium offeramur.* N*eque verò fieri poteſt, quin
vos dura atque aſpera certamina ſuſtineatis, vt quod* P*etro dictum* Ioan. 21.
eſt, in vobis quoque compleatur, V*os eò quò nolletis trahemini.* S*ed
vos intelligitis ac ſcitis, qua virtute vobis dimicandum ſit.* C*uius fi-
ducia qui pugnabunt, nunquam ſe territos & conſternatos, multò ve-
rò minus confuſos ſentient.* I*taque, fratres, confidite vos, cùm opus erit,*
S*piritu* D*omini noſtri ita firmos conſtantéſque futuros, vt nulli ten-
tationum oneri, quantumuis ſit magnum & graue, oppreſsi ſuccum-
batis, non magis quàm ipſe qui victoriam gloria inſignem illuſtrém-
que retulit. in qua quidem in ſummis noſtris miſeriis certiſsimum no-
ſtri triumphi pignus eſt conſtitutum.* Q*uum autem opera veſtra etiam
vſque ad mortem vti velit ad tuendam cauſam ſuam, manu forti vos
tenebit: neque patietur vt vlla gutta ſanguinis veſtri fructu inanis ef-
fundatur.* Q*uòd ſi fructus nõ tã citò exiſtat aut appareat, proferetur
tamẽ maior & vberior aliquãdo, quàm nos vllis verbis nũc declarare
poſsimus.* N*am quoniã* D*eus vobis iã eam largitus eſt gratiã, vt fama
vinculorũ veſtrorum longè latéq; ſit peruagata, oportebit etiã inuito
ipſo ſathana, vt mors veſtra maiorẽ adhuc ſonitũ edat, & clariſsimam
vocẽ veritatis* D*ei teſtẽ, in qua ſuauiſsimus odor, & ad vitã multorum
ſalutaris, ad omnẽ poſteritatem diffundatur.* E*quidẽ non dubito, quin*

Deus, ſi ei placet ad ſe vos euocare, vſque ad hunc diem reſeruauerit vt diuturnior in hac vita retentio, præparationem quandam haberet ad excitandos magis eos, quos ipſe veſtra morte ædificare confirmaréque conſtituit. Ego *autem vos neque conſolor, neque exhortor: certò ſciens optimum* Deum Patrémque *cæleſtem eò gratiæ ſuæ ſenſu animos veſtros affeciſſe, vt quantæ & quàm ſuaues ſint ipſius conſolationes percipiatis ac ſentiatis, ſummáque diligẽtia ea meditemini quæ ab eo in verbo ipſius vobis proponuntur.* Iam *reipſa ſatis declarauit, quemadmodum virtus ipſius in vobis reſideret, vt dubitare nullo modo debeamus, quin ſuam gratiam ad extremum vſque tueatur.* Vos *quidem optimè ſcitis noſtrũ ex hac vita exceſſum, non fortuitũ quẽdam atque incertum eſſe curſum: non modò propter certitudinem, qua perſuaſi eſtis vitam aliam eſſe cæleſtem: verumetiam quòd veriſſimo gratuitæ* Dei *adoptionis teſtimonio obſignati, ita ex hoc mundo deceditis, vt hæreditatem veſtram adeatis.* Quòd *autem* Deus *vos* Filij *ſui martyres teſtéſq; cõſtituit, ſingularis quædã & eximia honoris nota eſt, quæ ad cõmunem illam omnium filiorum* Dei *adoptionẽ acceſſit.*

Reſtat *ipſa dimicatio, ad quam hortatur nos* Spiritus *ſanctus: non modò vt accedamus, ſed etiam cum omni animi alacritate curramus.* Moleſta *quidem & acerba eſt tentatio, videre tantam támque immoderatam eorum qui veritatem hoſtiliter oppugnãt, ſuperbiam & au-*
Tentatio fidelium. *daciam quæ nulla vi cæleſti reprimatur: videre ſæuitiam eorum & crudelitatem ſine modo incitatam, cùm* Deus *ſuorum nullam rationẽ habere, neque ita afflictos oppreſſóſque ſubleuare videatur. ſed ſi nos memoria tenemus id quod eſt dictum,* Vitam *noſtram nunc eſſe abſconditam, nóſque videri mortuis ſimiles, atque etiam doctrinam non vnius eſſe diei, ſed temporum omnium: nobis alienum aut nouum inuſitatúmque minimè videbitur, ſi ita afflictiones & calamitates continuentur.* Cũ *enim* Deo *placeat tandiu habenas laxare inimicis, noſtri eſt officij æquo animo has acerbitates ferre, atq; in patiẽtia animas noſtras poſſidere, quãuis tempus noſtræ redẽptionis retardetur.* Poſtremò *ſi is promiſit ſe eorum iudicem futurum, qui in ſeruitutem populũ ſuũ redegerint: ne dubitemus quin horribilem vindictã habeat paratã ijs, qui maieſtatem ipſius cum tanta ſuperbia audaciáque ſpreuerint,*

Cur Deus inimicis habenas laxet.

atq;

atque eos qui purè & caſtè eum colunt, crudeliſſimè perſecuti fuerint Experiamini igitur, fratres, eam Dauidis ſententiam, quòd legis Dei minimè eſtis obliti, etiamſi vita veſtra veluti in manibus ſit, vt eam omni tempore linquatis. Cùm autem Deus vitam veſtram impendat in re tam ſancta & præclara, cuiuſmodi eſt Euangelij teſtimonium, ne dubitetis quin ea illi chara ſit atque pretioſa. Tempus iam illud appropinquat, quo terra ſanguinem effuſum abditúmque deteget, atque in lucem proferet: & in quo nos cùm his corporibus caducis exuti fuerim⁹, plenè ac perfectè reſtituemur. Interea dem⁹ operam, vt noſtro cum opprobrio nomen Filij Dei omni honore gloriáque afficiatur atque illuſtretur, eóque teſtimonio contenti ſimus, quo certi ſumus nos nullam aliam ob cauſam nec opprobria nec perſecutiones pati, niſi quòd in Deo viuente ſperamus. Eo autem vno conſciētiæ noſtræ teſtimonio nos poſſumus totum mundum cum ipſius faſtu cōtemnere atque deſpicere, quoad in illud regnum recolligamur æternum, in quo plenè & cumulatè ijs bonis & gaudijs perfruemur, quæ nunc quidē in ſpe duntaxat poſſidemus. Ego, fratres, cùm me veſtris precibus ſūmo animi ſtudio commendo, tum etiam ſuppliciter Deum oro vt vos in ſua tutela cuſtodiáque perpetuò habeat, ac virtute ſua magis magíſque confirmet, planéque perſuadeat de ea cura & ſolicitudine quam optimus Pater de vobis habet, vos omnibus Spiritus ſui donis ita augeat, vt ea ad gloriam nominis ipſius amplificandam atque illuſtrandam vſque in finem conferātur. Cæteros autem fratres noſtros ſingulos non ſaluto, quòd exiſtimo hanc epiſtolam eis vobiſcum fore communem. Ego cùm ignarus incertúſq; eſſem quo in ſtatu eſſent res veſtræ, vſque ad hunc diem nolui ad vos ſcribere, ne ſine cauſa moleſtus eſſem. Iterum Deū orabo, vt manū ſuam ad vos protegēdos & cōſeruādos paratā exertámq; habeat. Veſter humilis frater Ioā. Caluinus.

Sanguis martyrum.

Exitus quinque ſuprà nominatorum Martyrum.

CVm igitur illi quinque fideles Euangelij teſtes, quorū mētio ſuprà eſt facta, omnes impetus inimicorū veritatis ſumma cōſtātia ſuſtinuiſſent, ab eo die qui I. erat Maij M.D.LII. *quo in carcerem cōiecti fuerant, ſemper eundem animum in confeſſione nominis* Dei, *ſtudiúmque in optima cauſa retinuerunt, ſeipſos continuis ad Deum*

Mors quinque ſcholaſticorum.

mutuiſque precibus confirmantes, vſque ad eum diem, qui anno exacto fuit eiuſdem menſis Maij XVI. *qui ſanè dies gratus fauſtúſque venit liberationis eorum, ac coronæ eius quæ ipſis à* Domino *poſt inſignẽ dimicationem propoſita & parata fuerat.* Itaque *circiter horam nonam matutinam eius diei. cùm in cancellorum area carceris* Roanẽſis *ſententia recitata capitis damnati fuiſſent, cuius ſumma erat: vt ad locũ* Territorij *nomine appellatũ ducerẽtur, ibíq; ſepultura ignea abſumerentur collocati fuerunt quodã in loco, in quo facinoroſi ac damnati capitis ſupplicium expectare ſolent.* Illi *itaque eo in loco locati, vt primam aut ſecundam ſupplicio dictam horam pomeridianam expectarent, cœpèrunt* Deum *inuocare & orare maximo cum ardore ſpiritus, atque eorum admiratione qui eos inſpectabant: alij ſe in terram proſternentes, alij faciem in cælum attollẽtes: ea demùm comprecatione facta, in* Domino *gaudere ac lætari, eiq; Pſalmos canere cœperũt.* Cùm *autem ſecunda iam hora appropinquaret, eo ex loco educti ſunt veſtitu ſubcinericio induti, ac vincti funibus, ſeſe inuicem hortantes ad conſtantiam perſeueránſque ſtudium, atque ad eum curſum vitæque exitum, qui ad poſtem cui mox alligandi erant propoſitus erat, vbi* Dominus *inſignia ornamentáque victoriæ eis cunſtituerat.* Impoſiti *igitur currui nonum canebant* Pſalmum, Celebrabo *te* Domine *toto corde meo: & quamuis eis per aduerſarios non liceret canticum inſtitutum abſoluere,* Deum *tamen inuocare nunquam deſtiterunt, multáſque* Scripturæ *ſententias tranſeuntes pronuntiare.* Inter *cæteras autem cùm per forũ trãſirẽt olitoriũ, ad exitum pontis qui* Arari *iunctus eſt, vnus ex ijs multitudinem alloquens, maxima voce precatus eſt in eã ſententiam quæ eſt in fine epiſtolæ ad* Hebr. Deus *pacis, qui eduxit è mortuis magnum illum ouium* Paſtorem *per ſanguinem fœderis æterni* Dominum Ieſum Chriſtum, *vos in omni opere bono confirmet, vt eius voluntatem faciatis.* Deinde *pronuntiare cœperunt ſymbolum* Apoſtolorum, *per ea fidei capita, quibus diſtinctum eſt, ita vt cùm vnus eorum incepiſſet, alius quod ſequebatur ordine exciperet ac pronuntiaret.* Cui *autem ille articulus obuenit,* Conceptus *de* Spiritu *ſancto natus ex* Maria *virgine: ſublata quàm maximè potuit, voce pronuntiauit, vt populus falſam iniquámque calumniam intelligeret,*

Cataſtrophe martyrii.

geret, quã inimici ſparſerant de ipſorum fide, quaſi id caput negarent, ac de virgine Maria malè & ſentirent & dicerent. Satellitibus verò, qui eos perturbabãt, ac niſi tacerent, minabantur, manſuetè bis reſponderunt, Siccine vos agitis, vt nos impediatis, quominus in hoc breui & exiguo ſpatio quo in hac vita futuri ſumus, Deum noſtrum inuocemus & laudemus? Cùm verò ad locum ſupplicio conſtitutum perueniſſent, ſumma cum animi alacritate conſcenderunt ingentem congeriem lignorum, quæ circa poſtem erectum coniecta erant: duo eorum qui minimi natu erant primi aſcenderũt: quos poſtquam carnifex veſtibus exuiſſet, ad poſtem conſtitutum alligauit. Poſtremus aſcendit Martialis Alba, *natu omnium eorum maximus, qui diu genibus ſuper ſtruem lignorum poſitis* Deum *orabat. Itaque carnifex, cùm cæteros ad poſtem alligaſſet, venit ad eum adhuc in genua prolapſum, quem erectum per axillas volebat ad alios eius ſocios deducere. Tum Martialis Præfecto* Regis *in ea vrbe* Tignacio *dixit, domine Præfectè largire mihi vnum. Cui ille, quidnam illud eſt? Vt poſſim, inquit* Martialis, *antequam moriar, fratres meos deoſculari. Hoc autem ei cùm præfectus conceſſiſſet, ille ex ſumma lignorum ſtrue in qua erat ſeipſum inclinans, fratres ſuos reuinctos atque alligatos oſculatus eſt, eorum vnicuique amantiſſimè dicens,* Vale *mi frater. Eum autem cæteri quatuor ſequuti ſunt, atque alij alios oſculati, retrorſum reflectentes collum, ac ſuum quiſque ab alio digreſſum ex hac quidẽ vita verbis verè fraternis proſequentes dicebant,* Vale *mi frater. Ea amoris charitatíſque ſignificatione facta,* Martialis, *cùm fratres ſuos* Deo *commendaſſet, priuſquam deſcenderet, vt ad poſtem ipſe quoque alligaretur, admonuit tortorem ne eorum quæ ei dixerat obliuiſceretur.* Deinde *ſtatim vt cæteri quatuor ligatus fuit, omnéſque vna vincti catena quæ circũ poſtẽ ducebatur. Porrò carnifex cùm mandatũ à* Iudicibus *haberet, vt mortem eorum acceleraret, ſingulorum collo funem illigauit, ita vt quinque illi funes reciderent in alium maiorem funem, qui trochleis volubilibus verſabatur, vt hoc modo ſtrangulando eos citius necaret. Itaque carnifex, cùm adipe vnxiſſet eorum facies, ſulphúrque atque ſtramen circumieciſſet, putabat ſe eo verſatili inſtrumento mortem eis celeriorem allaturum. ſed funes vi ipſius ignis con-*

Calumnia vulgata in filios Dei hoc tẽpore.

Singularis inter fratres amoris ſignificatio

Hæc vox non hominem ſonat.

ſumpti fuerunt ac quinque Martyres *exauditi, aliquandiu ſe inuicem huiuſmodi* verbis *cohortantes*, Bono *animo, fratres, bono animo.* Quæ *fuerũt poſtremæ ipſorum voces, in ipſa media flamma editæ atq; exauditæ, teſtes eius conſtantiæ ac fidei Chriſtianæ, quam pro nomine* Ieſu *Chriſti vſque ad extremum ſpiritum retinuerunt & conſeruarunt.*

PETRVS BERGIERVS, *vrbis Geneuenſis incola.*

Godiuell' vulgò cognominabatur.

CONIVNCTAM *habet cum ſuperioribus quinque martyribus cauſam atque hiſtoriam* Petrus Bergierus, Barri *natus oppido ad flumen* Sequanam *poſito: mercator annonarius atq; œnopola profeßione.* Is *cùm* Geneuæ *habitaret, ſubinde* Lugdunum *vbi aliquandiu artocreaticam artem exercuerat, commeabat atque vxoris ſuæ parentes inuiſebat.* Anno *autem* M.D.LII. *cùm eſſet* Lugduni *in domo eius cuius ſororem in matrimonio habebat, captus eſt circiter quartum* Maij *diem quatriduo pòſt quàm illi quinque* Scholaſtici *capti fuiſſent.* Is *autem cùm eſſet in carcere, puriſſimam doctrinæ* Filij Dei *confeßionem edidit, non ſolùm coram* Iudicibus *ad quos productus fuit: ſed etiam vt erat ingenio alacri & vehementi, apud omnes qui ab eo rationem eius fidei diſciplinæque* Chriſtianæ, *quam profitebatur, quæſiuerunt.* Quin *etiam cùm apud eos* Iudices *ſæpius eandem doctrinam declaraßet, qua omnia fidei ſuæ capita complectebatur, ad eam magis adhuc teſtificandam & confirmandam, manu ſua ſubſignauit confeßionem* Bernardi Seguini, *in ſuperiore quinque* Martyrum *narratione poſitam, quandoquidem vnam cum illis eandémque* Euangelij *ac religionis cauſam confitendam & tuendam ſuſcepiſſet.* Itaque Lector *eam hiſtoriã, quæ omnia illorũ acta cõplectitur, repetere poterit, imprimíſque vt admirabilẽ latronis* Ioã. Chãboni *conuerſionẽ cognoſcat: quem diabolo mancipatum, & tãtum non deſperationis voragine abſorptum* Bergierus *ſanctißimis ſuis exhortationibus ac precibus* Chriſto Domino *in vinculis ſuis genuit.* Atque *vt præſtantißimus pietatis fructus perſpiciatur, quem ille* Geneuæ *in eccleſia verbo* Dei *emendata, optiméque conſtituta ceperat, in qua vxorem & familiam habebat, nos vnam eius epiſtolam hoc loco poſuimus, quam is horam martyrij ſui iam expectans, ad coniugem ſuam non minus prudenter quàm amãter ac fideliter miſit, cùm eam captiuus multis alijs literis antè conſola*

Latro Chriſto lucrifactus.

tus

tus fuiſſet.

Epiſtola ſcitu digniſſima Chriſtianis omnibus.

Gratia & pax tibi per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

ETſi, chariſſima fideliſſimáq; vxor, crebris iam literis ad te ſcriptis, quaſi diſcedens ex iſta vita te valere iuſſi, quemadmodum quidem Deus ſigna nobis dabat non obſcura eius ſuæ voluntatis, qua nos ad ſe euocare videbatur, imprimíſque honorem ac timorem Dei, vt propria chariorem vita tibi diligenter atque ſtudioſè commendaui: tamen cùm Dominus poſtea inimicorum conſilia euerterit, nobíſque vitam præter omnem noſtram opinionem atque ſpem, ad aliquod tempus prorogauerit, & ad nouum deinde vocauerit certamen, vt ſanctam ipſius veritatem ſanguine noſtro ita obſignemus, vt nulla vis mundi nos impedire poſſit, minimè ſuperuacaneum ſum arbitratus, iiſdem de rebus adhuc ſcribere, téque rogare vt gloriam Dei omnium maximè cōmendatam & charam habeas, maioréſque in dies ſtudeas in ſancta ei[9] cognitione progreſſus pietatis facere, quò eum integrè & caſtè colas ſanctiſſimúmque eius nomen optima ac modeſtiſſima vitæ morúmq; ratione ornes atque illuſtres. Vtere iis rationibus & adiumentis, quæ tibi à Deo ad ſalutem, non ad condemnationem tribuuntur: in quibus intelligo imprimis verbum Dei, quod tu quotidie audire potes maxima cum efficacia & puritate annuntiatum. deinde tot præclara exēpla cùm optimorum Deúmque timentium hominum, tum verò tot lectiſſimarum atque honeſtiſſimarum fœminarum, quas Dominus tibi ante oculos, quaſi præclara quædam lumina & ſanctæ vocationis ſuæ doctrinæque ornamenta conſtituit, eo in loco quem ipſe omni bonorū ac ſolatiorum genere ornauit & cumulauit. Et quoniam Dominus nobis liberos dedit, cura vt in timore ipſius ac pietate inſtituantur, quò eius gloriæ aliquando ſeruire poſſint. Equidem cùm Dominus me ad ſuum nomen ſanguine meo teſtificādū velit pro ſingulari ſua gratia adhibere, eo iam onere ſolutus ſum ac liberatus. Nunc onus toti[9] ei[9] piæ educationis atque inſtitutionis tibi incumbit. Quare da operam, vt ea in re officio fungaris tuo. Nulla melior aut præſtantior hæreditas eis relinqui poteſt, quàm ſi à te ita piè educentur atque inſtituantur, vt Deum vnum imprimis metuant, venerentur & colant. Tu quidem in ea cura, quemadmodum debes, tuum of-

Duo ſalutis adminicula

Timor Domini præſtantiſſima hæreditas.

ficium ſtudiúmque præſtabis. Quod autem tui ſolatij proprium eſt, cùm Dominus me ad ſe vocauerit, te cõſolaberis in eo, in quo vno firmum viduis pupilliſque præſidium eſt conſtitutum. Quòd ſi ſentis in te à Deo tibi dari continentiæ donum, manebis in viduitate tua, ſequẽs illud conſilium quod à Paulo pijs viduis datum eſt. Nam hac quidem ratione maiorem commoditatem habebis ad meditandas res diuinas ac cæleſtes, planè libera ſolutáque ijs curis quibus homines cõiuges diſtrahuntur atque impediuntur, quominus plenè ac perfectè Deo ſeruire poſſint. Atque hæc quidem vitæ ratio, ſi continentiam adiunctam habeat, eò minus tibi eſt aſpernanda, quòd Dei benignitate ea adhuc bona habeas, quib⁹ te cũ liberis noſtris facilè tueri poſſis. Quòd ſi nõ poſſis teipſam continere, tibi conſulo vt cum alio viro ſocietatẽ cõiugij coeas, modò nihil ſuſcipias & facias niſi de ſententia atque authoritate parentum tuorum, aliorúmque amicorum qui ea in re non minus tibi, quàm ſibi vellent conſulere: atque imprimis eam diligentiam curámq; adhibeas, vt ei viro te cõiungas, quicum in timore Domini pie ac ſanctè viuere poſſis. Vt autem liberi noſtri perpetuam mei memoriam cuſtodiant, te magnoperè rogo, vt recuperes omnes epiſtolas tum eas quas ego ad vos ſcripſi, tum etiam illas quas alij ad me multas miſerunt, quarum in hac vrbe magnus eſt numerus apud fratrem tuum, quas omnes deſcribendas atque vnum in librum referendas curabis. Deinde eas ita deſcriptas poteris cum cæteris hominibus fideli bus communicare atque impertire, vt aliquis conſolationis fructu ex illis ad Eccleſiam perueniat. Ego verò hæc tibi eò vehementius commendo, quod tempus diſſolutionis noſtræ magis quàm vnquam appropinquare videtur. Nã vt tu intelligas, quinque fratres noſtri Bernatum principum Scholaſtici die Lunæ, qui dies fuit xv. Maij hora nona matutina, alij poſt alios, ad Iudices producti fuerunt, quos ego poſtremus ſequutus ſum. Hoc autem Iudices eo conſilio fecerunt, vt viderent an nos apud ipſos reſpondere vellemus. Quibus nos omnes reſpondimus, eis iudiciũ in nos minimè cõpetere, ipſos Iudices planè recuſare, atq; ad eos appellare, ad quos iudiciũ pertineret. Tum Sup præfectus (quem Locumtenentem vocant) dixit ſe mandatum à Rege habere, vt de cauſa noſtra iudicaret, ac de nobis decerneret, atque eti

Viduę quomodo nubendum.

multa

multas literas ab eo miſſas: quas nobis ita oſtēdebat, vt tamē nō lege-ret. Sed nos, ac præcipuè quinq; Scholaſtici, ab ea impetratione atq; au thoritate literarū appellauim⁹, quaſi eas falſò intelligētiæ prætextu, ac fauore Cardinalis Turnonij impetraſſēt; qui paucis pòſt diebus in hanc vrbē venit, vt nos ſummo ignis ſupplicio afficiēdos curet. Ne ſim longior, Iudices multa & varia cum vnoquoq; noſtrûm loquuti ſunt, vt quiſque priuatim ac ſeorſim ad eos productus eſt. Sed nos omnes eam Dei gratiam atque opem percepimus ac ſenſimus, vt nemo fue-rit, qui non ſe mirabiliter confirmatum ſenſerit. Equidem verè non poſ-ſim dicere me à Deo derelictum deſtitutúmque fuiſſe, ſed ea virtu-te Spiritus & conſtantia firmatum, quam ſumma temporis noſtri neceſſitas poſtulabat ac flagitabat. Frater quoque Dymonctus ad carceres Archiepiſcopi ductus fuit, & palàm hæreticus ab Offi-ciali declaratus. Et quamuis ab ea ſententia appellauerit vt iniqua: tamen ſtatim in hunc carcerem regium Roanam adductus eſt, vt ea-dem in cauſa & pœna nobiſcum eſſet: quæ res ſatis indicat appella-tionem eius non valituram. Paulò pòſt ad Iudices productus, quem-admodum nos fuimus, non magis quàm cæteri os clauſum habuit vt Deo gloriam daret: ſed eam virtutem in verbo eius declarauit ac præ-ſtitit, vt non Officiales modò attonitos reddiderit, verùmetiam ſummo pudore affecerit concionatorem quendam monachum ex eo-rum ſecta qui Infumati à colore veſtis quam gerunt, appellantur, qui hac quadrageſima in templo S. Crucis eſt concionatus, ea exiſtima-tione atque authoritate, vt imperiti homines eum probè adorēt. Is ta-men ita affectus planéque confuſus ab eo Officialiū conſeſſu diſceſ-ſit, vt ne cōcluſiones quidē, quas aduerſus Dymonetum fratrē noſtrū cōfecerant, vnquam ſignare voluerit. De fratre noſtro Dionyſio Pelo-quino nihil planè ſcimus. Rumor eſt hac tota vrbe ſparſus, nos ſequē-te hebdomade vitam noſtram ſupplicio ignis vſitato finituros, eodem ſimul die aut diuerſis diebus. ſed mihi credas veli, nos eo ſermone nul-lóque huiuſmodi terrore conſternari, neque animo ita debilitari vt e-um deſpondeamus: ſed Deus nos ſua virtute magis magíſque atque in horas ſingulas confirmat, & admirabilem conſtantiam nobis dat, támque animi fiduciam, qua ipſum in nobis opus inſtitutum abſolutu-

Franciſcus Turnonius Cardinalis, archiepiſcopus Lugdunenſis.

Infumatus cōcionator

Fructus ex nece Martyrum.

rũ ſperamus & cõfidimus:ita vt ex eo Eccleſia maximũ ædificationis & conſolationis fructũ ſit perceptura. Nam *is quidem pro gratia ſua facit,vt nos iam animo cernamus eum fructum,quem mors noſtra omnibus electis afferet: quæ nobis cogitatio non mediocrẽ conſolationem in his vinculis nòſtris affert. Cæterùm hac poſtrema epiſtola iubens te ac liberos noſtros valere,Dominũ oro vt vos in omni ſanctæ voluntatis ſuæ obedientia retineat,& mibi vſq; ad extremũ eam præſtet voluntatẽ,vt me ei in ſacrificium volũtarium, maximéque odoratum offeram, vtque tandem nos recolligat in illud ſuum regnum cæleſte, vbi nos alij alios inuitis veritatis inimicis, cum maximo gaudio viſuri ſumus.*Cæteri omnes fratres idem & ſentiunt & dicũt,ſimúlque te rogamus,vt noſtro omnium nomine plurimum ſalutis fidelibus iſtius* Ec*cleſiæ miniſtris dicas,& præterea cæteris fratribus ac ſororibus,qui propter coniunctam Euangelij cauſam in ſeipſis afflictiones noſtras ſentiunt.nunc quidem nos precibus eccleſiæ nõ commẽdamus,propterea quòd antequam has literas acceperis, ſperamus nos cum* Domino *futuros in illo cœtu ſanctorum ſpirituum perbeato,vbi nullis opus erit pro nobis precibus,cùm* Dominus *omnibus lachrymis abſterſis nos ſummis ac ſuauiſſimis gaudijs explebit.*T*ãtùm hoc vnum te rogamus, vt cùm* Miniſtros *noſtris verbis ſalutaueris, eos noſtro mandato rogagatúque admoneas, vt ſimulatque intellexerint gratiam, qua ſperamus* Dominum *in nos vſurum, ipſi cum tota eccleſia maximas ei pro tanto beneficio gratias agant.Quanquam ſciebamus id illos per ſe facturos, etiamſi nihil ad te ſcripſiſſemus, id tamen tibi voluimus mandare, vt tanta gratia* Dei *atque ope omnibus cognita & prædicata, magis vniuerſa eccleſia ædificetur, & qui ſunt adhuc infirmi in fide ita confirmentur, vt totam in* Deo *vno ſalutis ſuæ fiduciam reponant, & fixam planè habeant.Eius gratia & pax ſit tecum.*Hoc die Lunæ XV. *Maij*. M.D.LIII.

Agẽdę Deo gratiæ ob martyrum conſtantiã.

Alia epiſtola ad eundem Petrum Bergierum miſſa ab eo qui in carcerem cõiectus, eandem cauſam tuebatur.

Bellũ irrecõciliabile inter Chriſtum & Belial.

S*I frater chariſſime,inter* Chriſtum & Belial,*inter communionem* Chriſtianorum & *impiam* Antichriſti *ſynagogam, pax eſſet proclamata, facilè crudelitas modum aliquem finémque acciperet,*

ret, túque ac nos omnes qui in vinculis propter communem Euangelij *cauſam ſumus, ſoluti & liberi carcere dimitteremur. ſed vt partes aduerſariæ huiuſmodi diſſidium habent, quod nullum opinionum voluntatúmque conſenſum habere poteſt: ita non oportet nos expectare vllam moderationem eius inhumanitatis, ſæuitiæ & crudelitatis, qua inimici ſunt inflammati, ſed patienter tolerare quoad* Princeps *ac* Rex *noſter omnium potentiſſimus eorum immanitati finem imponat. quod quidē ſuo tempore, eáq; optima ratione quā nouit, facilè efficiet.* No*ſtrū igitur officiū eſt, vt cum ſilentio eum exitum atq; euentum expectantes cuius* Dominus *eſt moderator, oculos in cælum noſtros attollamus, vnde opē ac ſalutē, non aliunde ſperemus.* Hoc *autē propterea dico, chariſſime frater, quòd niſi virtus tibi* Diuinitus *è cælo mitteretur, facilè in tanto inimicorum conatu atq; impetu cederes atque ſuccumberes, cùm horrendis minis quæ tibi quotidie intentantur, territus & conſternatus: tū verò illectus iis magnificis promiſſis, quibus homines te à propoſito fidei volūt abducere.* Sed *maximam* Deo *gratiam & habemus & agimus, qui te ac cæteros fratres noſtros ita cōſeruauit, vt inimici noſtri victi, vos verò victores fueritis.* Equidem *non dubito, quin tu interdum ſenſu carnis, vt ea eſt infirma, ea percipias quæ animo magnum terrorem afferre ſolent: ſed quemadmodum gubernator ſumma maris tempeſtate agitatus, maximoperè reficitur ac recreatur ſimulac portum videre poteſt, etiāſi ſuum eò appulſum non ita exploratum habeat, ita oportet te atque etiā multò magis in hoc certamine, quamuis difficili & aſpero, animum erigere, conſolari, ſuſtentaréque ea vna ſpe, quæ præmiū pulcherrimæ coronæ victoribus propoſitum, certius quàm ea quæ oculis cernuntur, ſpiritu intuetur: ſicuti is qui illud propoſuit, ea eſt fide ac veritate vt fallere nullo modo poſſit. obſecro vos, conferte paulùm veſtram cum eorum conditione qui vos crudeliter perſequuntur.* Hi *quidem optimè ſibi ſunt conſcij eius iniquitatis atq; iniuriæ, qua vos in optima cauſa veſtra afficiūt.* Cru*delitas ipſorū inaudita ſingulari veſtra patientia ſuperatur: ſua ipſis cōſciētia nō ſolùm eſt grauis quidā accuſator, teſtíſq; vnꝰ pro mille, verumetiam iudex eos perpetuò condēnans, atque etiā carnifex grauiter vexans & crucians.* Velint *nolint, ſentiant oportet* Deum *acerrimum*

Tentatio à ſiniſtris & à dextris.

Cōſcientia mille teſtes

ipſis eſſe aduerſarium. Cùm verò iniquiſſimã cauſam ſuam vincere pro animi libidine non poſſunt, ſtrident dentibus: & quanuis liberi in hac vita eſſe videantur, magis tamẽ quàm vos, captiui ſunt. Etenim certò quidem ſcitis, vos in hunc carcerem coniectos & concluſos eſſe ſumma eius prouidentia qui vobis eſt pater: pro cauſa illius cui omnis poteſtas eſt data in cælo & in terra: cuius ſine voluntate, diaboli ne porcis quidem nocere poſſunt: tantum abeſt vt aliquid mali aut incommodi vobis abſque eius permiſſu ac ductu afferant. Conſcientia verò veſtra vobis pacem affert & ſummam tranquillitatem pari cũ lætitia coniunctam. Et *quanuis in carcere incluſi ſitis, in maxima tamen eſtis libertate. nam verbũ* Dei *quod habitat in vobis, ligari nullo modo poteſt.* Deniq; *inimici veſtri rebus omnibus ſunt vobis inferiores, niſi furore & violentia, ad quæ poſtrema ſua præſidia armáque confugiunt, vt ſua mendacia tueantur.* I. *Sanctandreanus.*

Sequitur præclarus & beatus exitus Petri Bergieri.

Bergieri in morte alacritas.

PETRVS *igitur* Bergierus *cùm ſententiam capitalem contra ſe pronuntiatam accepiſſet, eductus eſt è carcere, vultu tranquilliore ac lætiore quàm vnquam antea in eo viſus fuiſſet, adeo vt multi qui eum antè cognouerant, cùm ita compoſitum lætúmque intuentes ſumma admiratione afficerentur.* Prius *autem quam currum conſcenderet, à* Iudice *familiarem in modum petijt vt vnam ſibi gratiam impertiret. Quem cùm* Iudex *reieciſſet.* T*u quidem, domine, inquit* Petrus, *hoc vnum mihi cõcedes, vt mihi liceat dicere meum* Pater *& meum Credo, vtens huiuſmodi verbis quæ in vſum quotidianum ac vulgarem recepta ſunt. Cui ille, Dic ſi volueris, ſed inter eundum. Ego, verò, inquit, Petrus, maximas tibi domine gratias ago, ac meas pro te ad* Deum *preces promitto.* T*um ſatellites, qui ibi aderant, cum irridẽtes, Sanè, inquiunt, tuis precibus valdè opus habet. Cùm autem currui impoſitus fuiſſet, petebat ab omnibus vt ſibi ignoſcerent, omnibúſque ipſe ignoſcebat. Ac in ipſa via prætereuns vnumquemque iubebat valere ex vultus hilaritate & oris modeſtia, quàm paulò antè ſignificauimus, ab omnibus poſtulans vt pro ſe Deum orarent. Porrò inter cæteros ex turba fuit quidam ſenex ſacerdos* Italus, *qui eum prætereuntem huiuſmodi verbis eſt proſecutus,* Hodie *tua in inferno com-*

Sacerdotis dira imprecatio.

moratio

moratio erit. Cui Petrus, Dominus, inquit, tibi ignoſcat. Ad plateam verò illam, quæ ad Rhodanum *vſque producta & complanata, vulgò* Territoriū *appelatur, cùm venit, magna voce exclamauit,* O *copioſam atque ingentē meſſem! bonos,* Domine, *operarios mitte.* Deinde *cùm paratam ad ſupplicium ſtruem lignorum aſcendiſſet, & cauſam quam tuebatur declaraſſet, coniūctam cum fidei ſuæ confeſſione, quaſi exultans, ſummáque* Spiritus *lætitia ſeipſum efferens, magna cum exclamatione & clariſſima voce dixit, Quàm ſuaue, ô* Domine, *atque amabile eſt nomē tuū! Poſtea cùm carnifex alligaret eū, ac ſicut cæteros martyres, ſublimem attolleret, Petrus ſe totum in fidē* Dei *permittens & tradens,* Domine, *inquit, ego tibi commendo animam meā: eadémque verba repetiuit ſæpius. Denique intuens in cælum intentis ac defixis oculis vultúque immobili, exclamauit,* Ego *hodie cælos apertos video.* Id *autem cùm multi ex turba non intelligerent eum oculis fidei atque ſpiritus videre, conuexum cælum ſuſpiciebant.* Po*ſtea ſtatim vir pius placidiſſimè moriens, ſpiritum* Domino *ſuum reddidit.*

DIONYSIVS PELOQVINVS.

A*mpliſſima* Dei *dona atque ornamenta, quibus miſeros homines afficit: tantam virtutem & conſtantiam quam* Dominus *ſuis impertit, hunc honorem tribuens, vt ad tribunalia iudiciáque hominum eos producat, atque teſtes, procuratores ac defenſores veritatis ſuæ conſtituat, quis ſatis mirari poſſit?* Hîc *eſt* Dionyſius Peloquinus, *generis ac nominis familiæ ſuæ ſecūdus, in quem* Deus *hāc ſummam gratiam & dignitatem contulit.* Nam *aliquò antè tempore frater huius* Stephanus Peloquinus *eam crucis viam ingreſſus, quā* Filius Dei *ac* Dominus *gloriæ in carne ſua conſecrauit, fratrémque in ea præcedens, eò vſque progreſſus eſt, vt pro ſanctiſſimo* Filij Dei *nomine crematus, lentóque igne conſtantiſſimè conſumptus, præclara martyrij inſignia adeptus fuerit.* Hoc *fraternum religionis ſtudium illuſtréque exemplum* Dionyſius Peloquinus *imitatus, cùm* Geneuæ *in eccleſia piè modeſtéque vixiſſet, fuit captus* Eleutheropoli, *quæ vrbs ſex milliaria* Lugduno *abeſt,* XIX, *die* Octob. *anni* M.D.LII. *cuiꝰ præclara cōfeſſio ſequitur, coniūcta cū ijs actionibus, quæ iudicialiter*

Stephanus Peloquinus Lutetię exuſtus de quo lib. 5. mentio eſt habita cùm de Annę Audebertæ martyrio ageretur.

in eum tum Lugduni, *tum* Eleutheropoli, *in qua tandem fuit combu-ſtus, conſtitutæ fuerunt.*

Epiſtola Peloquini ad quendam ipſius amicum miſſa.

CVM *ego memoria repeto eam offenſionē, quam tibi carcer & mors Stephani optimi fratris mei attulit, verens etiam ne ſimilis caſus meus, qui in eodem verſor certamine atque diſcrimine, eodē modo animū perturbet tuū, exiſtimaui non alienum ab officio meo futurū, ſi cauſam tibi demonſtrarem eam, propter quam & ille tam cōſtāter mortē oblatam ſuſcepit ac pertulit, & ego ſumma patiētia atq; animi æquitate fero eas moleſtias atque ærumnas quibus* Deus *nunc me probat, expectans eum exitū atque euētum qui* Deo *authori vocationis meæ videbitur.* Hoc eò *facio libentius, quòd eam ſcribēdi ad amicos commoditatem ac facultatem habeo, quæ fratri meo defuit.*

Dei prouidentia in ſuos.

A*c primùm vt omne offēdiculum tollatur, illud te ſcire oportet, nihil fieri in hac vita noſtra, nec quicquā nobis euenire ſine prouidētia* Dei *noſtri & voluntate: neque verò homines vllam in nos habere poteſtatem, niſi eam quam* Deus *illis tribuit, ac tātum quidem quātum permittit & concedit.* Is *autem huiuſmodi curam noſtri habet, vt ne pilus quidem capitis noſtri ſine eius voluntate caſurus ſit.* P*ræterea nos nō patimur vt homines facinoroſi ac malefici, vt homicidæ, latrones, fures atque bonorum alienorum appetentes, ſed vt* Chriſtiani, *quemadmodum facilè cognoſcere poteris, cùm ex ijs quæ aduerſarij ex me quæſiuerunt, tum verò ex ijs quæ ego eis reſpondi.*

Cauſa fidelium à ſceleratis diuerſa.

P*rimùm igitur ex me quæſiuerunt, num crederem* M*iſſam eſſe bonā ac dignā quæ audiretur.* Q*uibus ego reſpondi, me credere eam ſacrificium eſſe ab hominibus inuentum atque inſtitutum cum maximo cōtēptu gloriæ* Dei, *ad abolēdā mortis* Chriſti *memoriā magnoperè accōmodatū, ꝓpterea quòd id ei attribuitur quod ad ſāguinē* Ieſu Chriſti *pertinet, pro ſatisfactione, purgatione ac remiſſione noſtrorū peccatorū effuſum.* Itaq; M*iſſam ſtatuo idololatriā eſſe deteſtandā, quam omnes* Chriſtiani *euitare debent, niſi velint in ſummam* Dei *offenſionem atque indignationem incurrere.*

Peloquini confeſsio fidei iudicialiter ad interrogationes iudiciales facta.

Miſſa papiſtica.

I*nterrogatus deinde ab ijs, an ſanctum altaris ſacramentum crederem. reſpondi, non eo quidem modo quo* Papa *illud inſtituit, ſed* Sa-*cramētum*

cramentum ſacroſanctæ Cœnæ D*omini noſtri* Ie*ſu* Ch*riſti, vt eſt ab eo inſtitutum, atque in* S*criptura declaratum, præcipuéque ac lucu-lenter.* 1. C*orinth* ix.*c.* Q*uòd nimirum in* Cœ*na panem ac vinum ac-cipientes de manu ipſius miniſtri, verè corporis ac ſanguinis* D*omini participes efficimur.* N*eque verò minus quàm noſtra corpora quoti-diano victu aluntur & ſuſtentãtur, animæ noſtræ eo ſaluberrimo pa-ſtu carnis & ſanguinis* D*omini noſtri nutriuntur, fouẽtur, confirmã-tur. atque ea verè manducamus, non quidem ore ac ventre, ſed ſpiritu & fide, quæ nihil craſſum, terrenum, caducúmq; in eo myſterio quæ-rit aut percipit.* I*taque nihil eſt opus vt ad eum cibum ſpiritualem ca-piendum,* C*hriſtus de cælo in terram ad nos deſcendat, aut noſtros o-culos in pane & vino ſolùm defixos habeamus: ſed potius vt mentes animóſque noſtros in cælum attollamus, &* C*hriſtum ad dexterã* D*ei ſedẽtem fide contemplemur, quemadmodũ eum ibi eſſe, nec inde an-te iudicium reuerſurum in ſymbolo fidei noſtræ confitemur, cõfirma-ti teſtimonio* A*ngelorum,* A*ct.* 1. *cap.* Q*uare illam tranſſubſtantiati-onem quam* P*apiſtæ excogitarunt, planè repudio, credóque panem ac vinum ſuam naturam retinere, abſque vlla mutatione & conuerſione in corpus & ſanguinem* D*omini.* Q*uanquam de pane eo & vino quæ in* Cœ*na adhibentur & conſecrantur ita ſentio, vt à communi cibo ac potu multum differre dicam, cùm ipſo vſu, tum etiam vi promiſſionum ad quas confirmandas atque ante oculos conſtituendas hæc ſymbola proponuntur.*

Sacramentum Cœnæ Domini.

Effectum Cœnę Domini.

Interrogatus etiam, num peccata ad aurem ſacerdotis eſſent confi-tenda. negaui, eámque confeſſionem à D*eo minimè traditam & præ-ceptam eſſe dixi: quoniam huiuſmodi peccatorum confeſſio fieret ho-mini, qui nullam habet poteſtatem peccata remittendi: ſed hoc ad vnũ* D*eum, quem offendimus pertinet.* T*um mihi illum locum* D*iui* I*acobi allegarunt, in quo fideles admonentur vt alij alijs peccata ſua delictá que confiteantur.* Q*uibꝰ ego reſpõdi, illud præceptum atq; admonitũ* I*acobi ad hãc auricularẽ cõfeſſionẽ nõ eſſe referẽdũ, ſed ad fraternã reconciliationẽ, qua mutuæ offenſiones peccatis amãter humanitérq; cõdonatis deponũtur: alioqui ſi ille locus de iſta inſuſurratione in au-rẽ facta intelligendus eſſet, oporteret ſacerdotẽ, cùm mulierẽ ei pec-*

Confeſsio auricularis.

cata confitentem audit, ſua viciſsim illi cõfiteri. Præterea *hæc confeſſio tyrannis quædã eſt diabolica, & teterrima animarum carnificina, propterea quòd in ea requiritur peccatorum omnium enumeratio, quæ à nemine, ne à iuſtiſsimo quidem præſtari poteſt, quemadmodum vide-*
Pſalmo 19. *mus* Dauidem, *qui integritate vitæ erat quaſi quidam* Angelus, *petere tamen à* Deo, *vt ab occultis peccatis ipſum purget. Quare ego ſta-*
Peccata Deo confitenda. *tuo peccata non hominibus, ſed vni* Deo *quem offendimus, confitenda eſſe, non diebus modò, ſed etiam horis ſingulis, ſi fieri poteſt, ſicut videmus à patriarchis &* Prophetis *cæteríſq; hominibus piis factitatũ.*

Purgatoriũ *Illud etiam ex me quæſitum eſt, num crederem purgatorium eſſe, vbi animæ poſt exceſſum ex hac vita paterentur, & num pro iis eſſet orandum.* Ad *quod ego reſpondi, me nõ credere aut ſtatuere vllum aliud purgatorium eſſe quàm* Ieſu *Chriſti ſanguinem, qui vt teſtatur* Ioannes, *omnia vitia noſtra & peccata eluit.* Præterea *Scriptura ſa-*
1. Ioan. 1. Duplex animarum curſus. *cra duplicem tantùm animarum curſum, vnum in paradiſum, quo pij proficiſcuntur, alterum in infernum, impijs hominibus ac reprobis comparatum ſtatuit.* Hoc *autem facilè intelligere poſſumus ex eo quod dictum eſt* Ioannis III. *cap.* Qui *credit in* Filium Dei *non condemnabitur: qui verò non credit, iam condemnatus eſt.* Preces *verò pro mortuis facere,* Miſſáſque *celebrare & aquam aſpergere luſtralem: dixi eis in eo non ſolùm operam perdi, verumetiam impiam* Dei *blaſphemiam & contumeliam* Chriſti *conſtitui. propterea quòd de eo nihil eſt præceptum verbo* Dei, *ſed etiam contra omñe verbum à fallacibus ſpiritibus inuentum atq; introductum.* Hìc *illi quidem, mihi aliqua neſcio quæ nugamẽta allegarunt, ſed minimè digna quæ à no-*
De virgine Maria. *bis commemorentur.* Poſtea *quæſiuerunt ex me quid de virgine* Maria *ſentirem. quibus reſpondi me quidem eam credere matrem eſſe* Ieſu *Chriſti ſecundũ carnem, eúmque peperiſſe virginem, ſicut nos in ſymbolo fidei noſtræ confitemur. ſimul etiam omnium fœminarum eſſe bea-*
Lucę cap. 1. *tiſsimam, quemadmodum* Spiritus *ſanctus de ea teſtatur. ſed adorare eã atq; in neceſsitatibus noſtris inuocare: reginã cæli, aduocatam ac patronã appellare, aliáq; huiuſmodi ei tribuere, credo ac iudico his rebus eam non modò non honorari, ſed potius vituperari, contumelioſè atque indignè ab hominibus tractari.* Nec *enim illa vult aut voluit*

vnquam

vnquam eum honorem qui ad ſolum Ieſum Chriſtum *pertinet, ei à* Pa*tre vni datus, rapere atque ad ſe transferre: ſed contrà, nos ad illum mittit, vt nos ei obediamus, & ea faciamus quæ nobis ipſe mandauerit,* Ioannis *ſecundo capite. Quare ij contumelioſi in* Deum *ſunt, eúmque magnoperè offendunt, qui* Mariam *virginem adorant, venerantur, inuocant, aut alios* Sanctos *&* Sanctas*, cùm nihil de eorum cultu in* Scriptura *ſancta à* Deo *præceptum ſit: ſed contrà, vt vnum* Deum *adoremus & colamus, oremus atque inuocemus per nomen vnius* Ieſu Chriſti*, qui à* Deo Patre *aduocatus mediatórq; inter nos &* Deũ *eſt conſtitutus.* Porrò *vera ratio, qua virginem* Mariam *& cæteros* Sanctos *honorare poßimus, hæc eſt optima & præſtantißima, vt piæ ac ſanctæ vitæ eorum exemplum nobis imitandum proponamus, in eo quidem, quòd* Ieſum Chriſtum Dominum *ſequuti ſunt, ſicut* Paulus *monet* 1.Cor.10. *De imaginibus verò ac ſimulachris, quibus* Deum Sanctóſque *effingunt, dixi in eo ſuperſtitionem eſſe deteſtabilem à* Deo *vehementißimè damnatam, quemadmodum in ſecũdo* Legis *præcepto ſatis conſtat. Scimus etiam* Deum *maledicere tum imaginem, tum eius effectorem atque artificem, ſicut ex* Pſalmo CXV. *ſatis notum eſt.*

De Papa *etiam quæſiuerunt an non crederem illum caput eſſe* Ec*cleſiæ, quibus reſpondi me longè ſecus de eo ſentire, ac credere eum verum eſſe* Antichriſtum *qui aduerſus* Deum *ſe extollit, ac quodammodo & numen & nomen* Dei *ſibi tribuit. Denique dixi me credere illum eſſe ſceleratum ac filium perditum, de quo* Paulus *ad* Teſſaloni*cenſes ſecundo capite loquitur.* Poſtremò *eam eccleſiam cuius* Papa *caput eſſet, verã non eſſe* Eccleſiam*, cùm veræ* Eccleſiæ *notæ, vt prædicatio verbi* Dei *& legitima* Sacramentorum *adminiſtratio, nullæ in ea, ne veſtigia quidem* Eccleſiæ *appareant.*

Papa an ſit caput Eccleſiæ.

Filius perditionis.

Atque *hæc quidem ſunt, quæ illi ex me quæſiuerunt* Eleuthero*poli: & ego illis reſpondi.* Poſtea *autem cùm* Lugdunum *deductus eſſem,* Inquiſitor *&* Officialis *aliíque ea mihi legerunt, quæſiueruntque à me vellémne in iis erroribus, quemadmodum appellabant, permanere. Quibus ego reſpondi, me quidem id cupere,* Deúmque *quotidie orare, vt mihi eam conſtantiam ac perſeuerantiam im-*

Villa Frãca vulgò appellatur.

pertiret, cùm eam gratiam iam impertierit, vt ex Scriptura ſancta cognouerim quid ſit veritas, & in quo fides mea ſit conſtituenda & fundanda. Tum inquiſitor me rogauit quid Scripturam ſanctam appellarem. Cui ego reſpondi, eam eſſe veritatem certam & perfectam, quæ nullo modo poteſt fallere, quæ in veteri ac nouo Teſtamento continetur, ad quam nefas eſt quicquam addere aut demere, in qua etiam nihil eſt planè prætermiſſum eorum omnium, quæ ad ſalutem noſtram pertinent. itaque ſtatuo eam vnam religionis Chriſtianæ normam eſſe. Inquiſitor autem eo reſponſo valde conturbatus, magnáque moleſtia affectus, Quis, inquit, tibi dixit eam eſſe Scripturam ſanctam: & quomodo id ſcire potes, niſi eccleſia te de eo certum reddiderit? Ego autem optimè ſciebam eum intelligere Papæ eccleſiam. Itaque ei reſpondi, eccleſiam non eſſe, quæ mihi id perſuaderet, ſed ſolum Spiritum ſanctum, qui mihi veriſſimum ac certiſſimum in conſcientia mea teſtimonium redderet, ita vt cupiam viuere & mori in eius obedientia. quæ quidem, inquam, authoritatem ſuam à veteri Eccleſia non accipit. Nam hoc quidem eſſet præpoſterè atque peruerſe ordinem inuertere: quum Eccleſia potius ſit fundata in doctrina Prophetarum atque Apoſtolorum Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſicut Paulus ſecundo capite ad Epheſios teſtatur. Porrò cùm illi intellexiſſent me monachatum abominabilem aliquãdo profeſſum eſſe, quæſiuerunt ex me, quid me commouerit vt illud vitæ inſtitutum reliquerim. Quibus ego reſpondi, gratiam Dei fuiſſe, cámque feciſſe vt illud genus vitæ impium eſſe cognouerim ac depoſuerim, vt à verbo eius maximoperè alienum, ab hominibus tantùm inuentum: quod qui profitentur, operibus neſcio quibus, Legi quidem Dei planè repugnãtib⁹, paradiſum mereri volũt. De votis interrogatus, num ea reddenda eſſent ac ſeruanda, reſpõdi ea quidẽ quæ Deo aut hominibus ex verbo Dei nuncupata ſunt: ea verò quæ ſine verbo, aut etiam contra verbum facta & ſuſcepta ſunt, minimè præſtanda eſſe, neque hominem obſtringere atque impedire, quò minus ea ſuſcepta, piè & ſanctè poſſit omittere. Interrogatus autem cur vxorem duxiſſem, cùm ego caſtitatem antè vouiſſem. reſpondi caſtitatem donum Dei eſſe ſingulare, ſicut ſatis conſtat ex Matt. XIX. cap. quod quidem omnibus

Impii & de Deo & de Scriptura ſãcta dubitant.

monachis

monachis minimè conceſſum eſt, quemadmodum experientia & conſuetudo impudicæ ac flagitioſæ vitæ ipſorum nimium oſtendit. Me *autem, cùm animaduerterem ac ſentirem huiuſmodi gratia* Dei *ac* virtu*te non eſſe præditum, confugiſſe ad remedium, id eſt, ad coniugium, vt libidinem impudicam euitarem, atque ita mandatum* Dei *ſequutum eſſe, ſcientem quidem, quòd nec adulteri, nec ſcortatores, nec cinædi, impuríque huiuſmodi homines vnquam in regnum cælorum ingredientur.* P*ræterea coniugium eſt perhonoratum, & cubile nulla macula aſperſum & planè impollutum: ſcortatores verò & adulteros* Deus *ſeuerè iudicabit, vt* Apoſtolus He*br.* XIII. *admonet. Ac ipſius coniugij prohibitio certis facta hominibus, doctrina eſt diabolorum & ſpirituum fallacium,* I. T*imoth.* 4. *Alia ex me nõ ſunt quæſita, digna quidem quæ ſcribantur.* I*nquiſitor quidem bellis quibuſdam blanditijs mecum egit, vt me à propoſito ſuſceptáque ſententia deduceret, cùm multa magnifica mihi promittens, tum verò ætatem iuuenilem mihi proponens. cuius, inquit ille, maxima erit iactura, ſi igni conſumatur: quod certè fiet, ſi tu in propoſito tuo perſeueraueris.* Conſidera *igitur & vide: nam in tua quidem eſt poteſtate, vt ſaluus euadas atque incolumis: atque anima, inquit, tua in tuis eſt manibus.* Ei *ego reſpondi, quòd anima mea valde malè cuſtodiretur, atque in ſummo verſaretur diſcrimine, niſi alius præter me eius curam, tutelam, cuſtodiámque ſuſcepiſſet.* Me *verò alia in ſchola fuiſſe* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti, *in qua quidem aliud ab eo* Magiſtro *didiceram: eum qui animam conſeruare ſuam voluerit, perditurum: qui verò perdiderit, conſeruaturum.* Sed *non contentus eo* Inquiſitor, *miſit ad me monachum ſuum, vt per eum id mihi perſuaderet, quod ipſe coràm non poterat.* Qui *cùm veniſſet, optimam* Cardinalis T*urnonij erga me voluntatem declarauit, vt me depoſita mea opinione & ſententia in priſtinum vitæ meæ ſtatum ac monachatum reuocaret, cum huiuſmodi promiſſis, vt me noua veſte optima donatum in aliquam domum ſuam monaſticam mitteret.* Ei *ego reſpondi, me veſtem nigram nimiùm diu tuliſſe, nunc autẽ optare albam ferre, non illã quidem obnoxiam corruptioni, ſed his ſimilem, quarum mentio ſexto capite* Apocal. *fieret.* H*æc autem cauſa eſt, chariſſimi fratres ac ſorores,* Alba veſtis in Apocaly.

cur omnes filij Dei *perſecutionem patiuntur:imò verò* Ieſus Chriſtus *in illis,propterea quòd non ea cauſa noſtra eſt,ſed ipſius propria quã tuemur.*Nos *etiam videmus eam iniuriam quæ nobis infertur,eum ita accipere quaſi in ipſum cõferatur,quemadmodum* Paulum Eccleſiam *perſequentem admonet.*Neque *verò* Chriſtum *ille perſequebatur ad dexteram* Dei *iam euectum, ab omníque iniuria ereptum, ſed in membris ſuis,cum quibus eam habet ſpiritus coniunctionem, vt quod fit vni etiam ex minimis ipſius,ſibi ipſi factum dicat.Cùm igitur tantus ſit amor* Ieſu Chriſti *erga nos, vt opprobria quibus nos afficimur,in ſeipſum recipiat, quanta,obſecro,erit ingratitudo noſtra poſt acceptum ſingulare beneficium, quod in hac declarata nobis veritate perſpicitur,niſi eam edamus nominis eius confeſſionem quam ſumma eius dignitas amplitudóque requirit:præſertim poſt tot grauiſſimas minas ijs propoſitas, quos nominis eius atq;* Euãgelij *puduerit? Qui, inquit* Chriſtus*,me coram hominibus negauerit,negabo eum ego quoque coram* Patre *meo: qui verò me confeſſus fuerit, eum etiam ego apud* Patrem *meum confitebor. Quid autem,obſecro, hoc eſt alud à* Chriſto Domino *tum non agnoſci,ſed abnegari,quàm mortis æternæ condemnari?* Tyranni *quidem atque inimici* Dei*, propoſitis minis ac pœnis grauiſſimis interdicunt ne* Chriſto *teſtimonium quod ei debemus,tribuamus:ſed ea æquitatis ratio ſemper eſt adhibẽda & ſeruãda,vt exemplo* Apoſtolorum Deo *potius quàm hominibus ipſis pareamus.*Neque *verò metuendi ſunt ij qui poſtquam corpus occiderint, nullam in animam habent poteſtatem.*Omnino *iniurias,perſecutiones, & contumelias in hac quidem ratione vitæ &* Chriſtiana *profeſſione propoſitas nobis ſcimus atque expectamus,ſed illud etiam intelligimus planéque cognoſcimus hanc vnam eſſe viam in carne* Filij Dei *conſecratam,qua per multas afflictiones in illam regni cæleſtis gloriam eundum ſit.* Paulus *quidem* 1.Philip.*ait nobis datum eſſe, non modò vt in* Chriſtum *credamus, verumetiam vt pro eodem patiamur.* Alio *etiam loco monuit eos omnes qui piè in* Chriſto *viuere volent, vt perſecutionem expectent.* Ad *id enim ſunt poſiti & vocati, vt piè in* Chriſto Deum *colentes atque inuocantes,multa & tormẽta & opprobria patiantur.* Atque *hæc cauſa nobis coniuncta eſt cum* Euangelio,&

lio, & quædam ſocietas, qua oportet nos omnes συγκακοπαθεῖν, vt in eo & cum eo non conſolationes modò, ſed etiam afflictiones communes habeamus. Sed in his tantis miſeriis & contumeliis Diuus Petrus *nos beatos eſſe dicit, cùm propter nomen* Ieſu Chriſti *hæc patimur atque vituperamur: nã hoc modo Spiritum Dei ſuper nos requieſcere.* Nunc *ergo poſt tot támque grauia teſtimonia exiſtimabimúſne vitam noſtram perdere, cùm eam pro cauſa tam iuſta & ſancta in manus inimicorum trademus?* An *verò nos miſeros eſſe dicemus, cùm* Chriſtus Dominus *ſuo ore ſacro nos beatos eſſe pronuntiat? aut putabimus nos mortem temerè oppetere vt amentes & inſanos, cùm* Chriſtus *ampliſsimum nobis in cælo præmium proponat?* Quare *chariſsimi fratres ac ſorores, vos magnoperè hortor & rogo ne vanam mundi opinionem & conſuetudinem ſequamini, qui ita eſt occæcatus, tantíſque errorum omnium tenebris circunfuſus, ac potius oppreſſus, vt vitam in morte, benedictionem in maledictione reperire non poſsit.* Neque *verò offendamur ſi ſeruos* Dei *videmus* multa *grauia & acerba perpeti, cùm ſciamus eam vnam eſſe viam & rationem, qua nos capiti noſtro ac principi* Ieſu Chriſto *conformes fiamus, ſi poſt eum impoſitam nobis crucem ferimus. neque enim ſeruus domino ſuo maior eſt.* Exea*mus igitur ad eum extra caſtra eiúſque opprobrium feramus. neque enim ciuitatem hîc habemus permanentem: ſed futuram aliam quærimus: ad quam nos* Dominus *pro ſua miſericordia omnes conducat,* Amen.

Nos inſtitutum ordinem ſequentes, inſeruimus hoc loco eam epiſtolam, quam Ioannes Caluinus ad Dionyſium Peloquinum, atque ad Ludouicũ Marſacum, cuius mentio fiet paulò pòſt, miſit: quæ quidem non mediocrem hominibus piis ac fidelibus conſolationem afferre poterit.

ETSI *fratres chariſsimi, vos cùm ad me ſcriberetis, putabatis etiam ipſos inimicos in ſacrificium vos oblaturos, ego tamen prætermittere nolui, quin has ad vos literas mitterẽ, vt ſi volũtate* Dei *in manus veſtras peruenirent, vos aliquid adhuc conſolationis percipere ex me poſſetis.* Recte *quidem & prudenter gratiam* Dei *reputatis, cùm animaduertitis eum adhuc in vobis promiſsiones ſuas confirmaſſe, impertita vobis ea conſtantia, quam vos non ita diu in poſtremis reſponſis veſtris ſenſiſtis.* Hoc *autem profectò beneficium eius eſt,*

quòd vos ita firmi in ſententia veſtra permanſiſtis, vt nulla vos res vnquam ab ea deducere potuerit. Itaque mihi planè perſuaſi, illud ſigillum, quod veram atque inſignem præ ſe fert Spiritus ſancti notam, nullam rem vnquam deleturam. Neque verò dubito, quin ipſi etiam inimici cogantur confiteri, aut certè in ſeipſis conuincantur hanc tantam mutationem ab homine minimè profectam eſſe. Quò magis oculos noſtros aperire debemus ad contemplandam Dei manum, quam is mirandum in modum exeruit, vt miſerum hominem ab ea horribili confuſione, in quam prolapſus fuerat, erigeret, atque ad ſe reuocaret. Quandiu iſte ſenſum ſuum iudiciúmque ſecutus eſt, arbitrabatur ſe multum conſequuturum, ſi aliquam huius vitæ caducæ ac miſeræ vſuram exiguam redimeret, cùm interim ſeipſum in abyſſos mortis æternæ præcipitaret. Hoc igitur opus eſt verè Diuinum, quòd ſua ſponte in mortem ingreſſus fuerit, vt ad veram ac beatam vitam perueniret, à qua non ſolùm longè ſeipſum remouerat: ſed quantum in eo quidē fuit, planè excluſerat. Nam hac quidem in parte præclarius & admirabilius ſumma Dei bonitas eſt declarata atque exhibita, quòd miſerum hominem à ſe creatum, ex huiuſmodi caſu tam exitioſo erexerit, vt ita erectus ac reſtitutus, in ea bonitate triumpharet, eiúſque gloriam celebraret atque illuſtraret. quemadmodum iam cœpit ſpero perficiet. Eius autem confeſſionem vidi, in qua teſtimonium fidei ſuæ reddidit: quæ quidem eſt pura & libera, & planè homine Chriſtiano digna. Sed tamen non incommodum mihi videtur, vt is in aliquot certis capitibus melius inſtruatur, vt aduerſarij maiore pudore afficiantur cùm is diſtinctius planiúſque illis reſponderit. Non quòd ea quæ Michael dixit, vera non ſint: ſed quia iniqui homines ſemper & facilè arripiunt etiam leuiſſimas occaſiones, quibus calumnietur; & ea quæ vera & recta ſunt deprauent. Idcirco reſponſio quædam apertior ac magis explicata & diſtincta mihi videtur adhibenda. Interrogatus num corpus Chriſti ſub ſpecie panis in Cœna ſit, negauit. Cùm autem illi quæſiuiſſent, Cur? is reſpondit, eam opinionem meram eſſe blaſphemiam, quæ mortem Ieſu Chriſti planè aboleret. Sed oportebat eū duo diſertè in Miſſa reprobare: vnū, quòd in ea idololatriam conſtituunt abominandam, dum fruſtum panis, vt idolum quoddam proponunt.

illud

illúdque pro Deo *ducunt & adorant: alterum, quòd in eadem ſacrificium* Deo *offerunt, quo homines ei reconcilient.* At Ieſus Chriſtus, *quemadmodum ſolus à* Deo Patre *ſacerdos eſt conſtitutus, ita ſeipſum ſemel omnino obtulit: cuius quidẽ mors ſacrificium pro noſtra redemptione vnicũ, perpetuúmque extitit. Quinetiam bonum fuiſſet fidem ſuam in eo teſtificari, quòd crederet in Cœna nos verè corporis ac ſanguinis* Ieſu Chriſti *participes fieri: ſed per fidem, vt mentibus animiſque noſtris in cælum, vbi Chriſtus eſt, aſcendamus: non vt ipſe ad nos deſcẽdat, ſéque in his caducis elementis includat. neque id tamen quicquam facit ad* Miſſam *eorum approbandam, quæ* Cœnæ Domini *planè repugnat. Præterea interrogatus num virgo* Maria *ac cæteri ſancti hac vita defuncti, pro nobis apud* Deum *intercedant. reſpondit vnum eſſe, qui intercedit,* Chriſtum Ieſum *aduocatum & patronum: & rectè atque verè. Neque enim vlli ſunt homines aut* Angeli, *qui ad* Deum *acceſſum aditúmque habeant, niſi gratia atque authoritate huius vnius* Mediatoris *commendati. Sed non incommodum fuiſſet declarandi cauſa illud addere, officium intercedendi & orandi mortuis nõ eſſe datum, ſicut* Deus *nobis præcepit vt nos in hac vita alij alios mutuis precibus adiuuemus. Cæterùm quoniam non poſſumus nec debemus* Deum *inuocare, niſi certa fide ac fiducia eius gratiæ: cæteris omiſſis vna nobis via reſtat, vt ad eum per nomen* Ieſu Chriſti *accedamus atque inuocemus. Cæteri verò qui virginem* Mariam *alióſque* Sanctos *quærunt, vt aduocatos ac patronos adhibeant, à recta via deerrantes euagantur. Porrò de libero arbitrio interrogatus, vt demonſtraret nullam in nobis eſſe facultatem qua aliquid boni poſſimus agere, adducit locum* Pauli *ad* Romanos *ſept. cap.* Non *enim quod volo bonum facio. In quo quidem certum eſt* Paulum *de incredulis non loqui, qui omni gratia* Dei *ſunt deſtituti, ſed de ſeipſo aliíſque fidelibus quibus* Deus *iam gratiam impertierat, vt ad bonum aſpirarent.* In *eo autem confitetur ſe ſentire in natura ſua eam repugnantiam, vt quòd cupit ſecundum* Legem Dei, *id planè ac perfectè præſtare non poſſit. addẽdũ igitur erat ad maiorẽ declarationẽ. Si homines fideles ſentiũt totã naturam ſuam cum voluntate* Dei *planè pugnare, quid iudicandum eſt de ijs qui in ſua malitia ac rebellione* Deo *inimica ſunt reli-* Pauli locus ad Roman.

cti? quemadmodum VIII*.cap.eiuſdem* Epiſtolæ *ab eodem dictum eſt, Omnes cogitationes atque affectiones carnis eſſe inimicitias aduerſus* Deum *ſuſceptas, & 2.* Eph*.idem* Apoſtolus *ſatis oſtēdit quæ vis inſit in homine.* Item*,1. & 2.cap.primæ ad* Corinth*. & 3.cap.* Rom. Ex *quo ſequitur* Deum *eſſe qui efficit in nobis vt & velimus & perficiamus pro optima ipſius voluntate, quemadmodum 2.* Philippenſium *dicitur.* De *votis verò interrogatus, reſpōdit omnia noſtra promiſſa nihil aliud eſſe quàm mendacia. Quo in genere optimum fuiſſet notare ac demonſtrare, cùm aliqua eorum vota nullo modo præſtari poſſint, eos planè cum impio contēptu* Deo *obſiſtere: vt cùm monachi ac ſacerdotes matrimonio renuntiant.* Ac *generatim quidem vota eorum vana eſſe inuenta & commenta, quibus verus* Dei *cultus deprauetur: neq; verò nobis licere quicquā* Deo *pmittere aut offerre, niſi id quod ipſe in verbo ſuo approbauit.* Equidē *exiſtimo ac pſuaſū planè habeo ei fratri noſtro non ingratum fore, ſi his de rebus à nobis admonitus fuerit, vt hac ratione veritas* Dei *facilius & præclarius victoriā obtineat.* Reliquum *eſt vt cogitetis, quòd quemadmodū dum in hac vita ſumus in ipſa morte verſamur: ita nunc etiam cùm in periculo mortis verſamini, ab ipſa vita non abeſſe. quæ res vobis magnam conſolationem afferre debet.*

A*tque in hoc quidem facilè videre poſſumus, vt* Ieſum Chriſtum *ſequamur, noſtros nobis ſenſus minimè ſequendos eſſe.* Neque *enim quicquam nobis alienius videtur, quàm conijcere nos in opprobria & planè deprimere, atq; vſque ad mortem penitus abijcere, vt ad gloriam cæleſtem extollamur.* Sed *tamen reipſa tandem ſentiemus,* Filium Dei *noluiſſe nos fruſtrari, cùm promiſit eum qui vitam ſuam in hoc mundo amiſerit, eam recepturum, vt perpetuò perfruatur. quare fratres mei, ſi vos hactenus experti eſtis, quantum valeant conſolationes quas optimus* Dominus Ieſus *ſuis dat, vt omnia quæ nomine ipſius patiuntur, dulcia atque amabilia eſſe ſentiāt, & quanta ſit vis* Spiritus *eos adiuuantis & confirmantis ne in certamine deficiant, orate eum vt vtrumque continuet in vobis: itaque vobis perſuadete eū veſtris optatis reſponſurum, planéque ſatisfacturum.* Nos *quidem vobis dum in hac dimicatione verſabimini, eam memoriam & beneuolentiā*

Conſolationes fideliū

præſtabi-

præſtabimus quam debemus. Omnes fratres vobis multum ſalutis impertiunt. Deus benigniſſimus, & Pater omnis miſericordiæ vos in ſua tutela perpetuò habeat: qui ſi vult vos mortem pati ad teſtimonium Euãgelij ſui confirmandum, quemadmodum ea ipſius voluntas eſſe videtur, oſtendet eam curam atque opem ſuam, vt vos nullo modo deſeruerit: ſed cùm martyres ſuos conſtituerit, habitet in vobis ſemper atque regnet, vt in vobiſipſis triumphet, ad confuſionem inimicorum, & ædificationem ac ſalutem electorum. Is nos Spiritu ſuo ducat & gubernet, quoad ſimul omnes in regnum ſuum recolligat. Benèvalete. die viceſimo ſecundo Auguſti, M. D. LIII. *Velim me excuſatum habeatis, ſi vobis citius non reſponderim. Nam heri veſtras literas accepi,* XII. *die huius menſis ſcriptas. Humilis frater veſter* Ioannes *Caluinus.*

Sed redeamus ad Dionyſium Peloquinum, *eiúſque præclaram mortem demonſtremus. Is cùm decem menſes* Lugduni *in carcere fuiſſet, à* XIX. *die* Octob. *anni* M.D.LII. *vbi firmus inuictúſque ſemper permanſit: inde fuit eductus die* Dominica, *quarto* Septembris, M.D.LIII. *hora tertia matutina, atque* Eleutheropolim *deductus. Poſtero die, qui dies fuit quintus eiuſdem menſis, de gradu atque ordine* Papiſtico *deiectus fuit, deinde condemnatus vt viuus cremaretur. Sequutus eſt poſtea dies* Lunæ XI. *eius menſis præclaro eius martyrio inſignis ac memorabilis, in quo quidem huiuſmodi genus mortis eſt perpeſſus quod ſummam admirationem omnibus ſpectatoribus attulit. Nam cũ inferiorem corporis partem iam vſtulatam haberet, nunquam deſtitit manus in cælum tollere opémque* Dei *implorare. Atque ita grauiſſimo teſtimonio declarauit, veritatem* Dei *& gloriam* Chriſti *omnibus* Chriſtianis *ac piis hominibus propria vita antiquiorem & chariorem eſſe debere.* Præclara mors Dionyſii Peloq.

Cæterùm quanuis Matthæus Dymonetus *hoc genere mortis ac martyrio antè ſit perfunctus, quàm ſuprà memoratus* Peloquinus, *tamen quia in huius ſcriptis mentio* Dymoneti *ac cæterorum qui ſequuntur facta eſt, non incommodum nobis eſt viſum vt hunc* Peloquinum *cæteris præponeremus, cùm præſertim temporis ratio quo capti fuerunt, hunc ordinem poſtularet.*

LVDOVICVS MARSACVS, ET *ipſius Cognatus, cum Stephano Lignifabro.*

SVPRA *cùm ea quæ à* Dionyſio Peloquino *facta ſunt, exponeremus, mentio* Ludouici Marſaci *facta eſt, pij hominis: qui Gallus natione & patria* Borbonius, *cùm diu rationē militarem profeſſus eſſet, ex equeſtri ordine eorum militum, qui ordinati regij, id eſt conſcripti ac deſignati appellantur, ad meliorem diſciplinam profeſſionémque Chriſtianam traductus, & præſtantiora Chriſti ſummi regis atq; imperatoris ſtipendia amplexꝰ, ita integrè ac fideliter ſe geſſit, vt cauſam eius & gloriam ſumma animi magnitudine, conſtantiáque propugnarit ac defenderit.* Extat *præclara eius confeſſio, quam vltimo die* Iulij. M.D.LIII, *iudicibus* Lugduni *ſcriptam præſentauit, eámque morte poſtea obſignauit, quam cum duobus vinculorum ſociis, altero ipſius* Conſobrino, *altero* Stephano Lignifabro *conſtantiſſimè perpeſſus eſt.* *Hiſtoria autem ſic ſeſe habet.*

Marſacus de libero arbitrio interrogatur. I*nterrogatus ab Officiali & ijs qui cum eo aderant, num crederem in hominibus liberum arbitrium eſſe, nóſque habere facultatem tam ad bene quàm ad male agendum: me quidem nullam agnoſcere reſpōdi, nec vllam ex meipſo vim habere ad bene agendum niſi ea mihi à* Deo *concedatur: atque omnia dona à cælo proficiſci à* Patre *luminum, méque poſſe cum* Paulo *verè dicere, quòd volenti mihi facere bonū,* Roma. 7. *adiunctū eſt malū, vt non quod volo bonum, ſed quod nolo malū faciā.*

Item, num crederem Sanctorum venerationem, eóſque tum pro nobis orare, tū à nobis inuocādos eſſe: denique an noſtri nō eſſent aduocati, ac patroni, imprimíſque virgo Maria: *Ego autem reſpondi, me nullum aduocatum alium cognoſcere aut habere quàm vnū* Ieſum Chriſtū *à* Deo Patre *mediatorē atque interceſſorem conſtitutū. Tum illi mihi dixerunt Sanctos, quorum ego negarē interceſſionem, multa miracula edidiſſe, quæ ex Scriptura probarent: Quibus reſpondi, nihil opus eſſe probatione, cùm id eis concederem. ſed alium miraculorum vſum fuiſ-* Miraculorum vſus. *ſe quæ ab* Apoſtolis *ſunt edita, vt eſſent quædam quaſi ſigilla eius doctrinæ, quæ ab illis annuntiabatur, vt virtute miraculorum ac magnitudine, populus ad audiendū atque amplectendum* Dei *verbum attentior eſſet: vt in* Actis Apoſtolorum *atque* Euangelio Ioannis *videre*

liceat

licet. neque verò me aliud quicquã credere, aut præter eam verbi Dei *doctrinam allegare. Qua in re illi nihil tum contra me dixerunt, niſi ſe adhibituros eum doctorem, qui me facilè reuinceret.*

Sum etiam ab ijs interrogatus, num crederem me bonis operibus corúmq; merito ſaluũ eſſe, ipſaque bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem. quibus ego reſpondi, me ſola fide ſaluari, non vllis Legis *operibus. nos tamen bona opera facere, quæ* Deus *in nobis qui ſumus opus gratiæ eius, præparauit, vt in illis ambulemus.* Meritum *verò non alibi eſſe quærendum quàm in vno* Chriſto Ieſu, *qui eſt ſalus noſtra: neque eſt aliud ſub cælo nomen hominibus datum in quo nos ſalui eſſe poßimus.* Deinde *progreßi ad* Purgatorium, *interrogatus num eße crederem. reſpondi me* Purgatorium *illud credere ac recipere, quo ſãguine* Filij Dei *ab omni vitiorum meorum labe purgatus eſſem.* Tũm *illi quæſiuerunt an non crederem ignem eſſe purgatorium, quo animæ ex his corporibus egreſſæ expurgarentur. quibus dixi me nullum aliud intelligere, præter illud quod in* Chriſti *purißimo ſanguine pro peccatis noſtris ſemel effuſo, conſiſteret: mortuos autem in manu eſſe* Dei, *qui æquus omnium iudex eſt.*

Quæſiuerunt præterea, num confeßio peccatorum in aurem ſacerdotis eſſet deferẽda, vt nos abſolutionem ac pœnitentiam auferre poſſimus: Qua de re reſpondi, me cùm ſenſu peccatorum ſum oppreßus ad nullum alium confugere, peccatáque mea deferre, quàm ad vnum Deum *quem offendi, eúmque nobis pro ſua gratia ignoſcere, quam in* Chriſto Ieſu *nobis declarauit & commendauit.* Confeſsio auricularis

Tum mox *quæſiuerunt, num ſacerdotes parœciæ noſtræ pro meis paſtoribus haberem, eóſque tum doctrina tum* vita *tales agnoſcerem:* Ego *verò reſpondi eos vtroque in genere falſos paſtores eße: maléque paſci, duci ac gubernari eos omnes qui eorum cuſtodiæ commißi ſunt.* Tu, *inquiunt, habes eos pro ignaris?* Ego *verò, inquam, pro paſtoribus nullo modo habere* volo *nec debeo.* Tum *vnꝰ ex ijs,* Tu, *inquit, nimium te ſare arbitraris:* Ego *verò inquam, me nihil aliud, quàm* Ieſum Chriſtum *eúmque pro mè crucifixum ſcire arbitror.* Ego *etiam, inquit ille.* Nos *ergo, inquam, in eo quidem conſentimus.* Marſacus nihil aliud ſe ſcire pro fitetur quàm Ieſũ eúmq; crucifixum.

Poſt *hæc homines ſobrij ac temperantes de ieiunijs me interro-*

Ieiunia. *garunt, num ieiunandum eſſet. Quibus reſpondi me ea ieiunia probare, quæ cum precibus cõiuncta eſſent, ac tum quidem præcipuè adhibenda, cùm aliqua graui calamitate premimur & affligimur, aut etiam vt animum in hoc corpore languentem, ad orandum, per huiuſmodi ſobrietatẽ atque abſtinentiã præparemus. Tu, inquiunt, vis ieiunia pro tuo arbitrio præfinire, non præſcripta ab eccleſia, certíſque diebus conſtituta obſeruare. Verum, inquam, ieiunium Chriſtiano homini moderatione totius vitæ, temperantia, ſobrietatéque perpetuum eſſe debet. Credíſne, inquiunt ſymbolum Apoſtolorum? Sanè, inquam.*

De Cœna Domini. Deinde de Sacramento Cœnæ quæſiuerunt, eóque verbo vſi ſunt. Quibus ego reſpondi, me id quidem credere; ac cùm rectè puréq; adminiſtratur, ſub ſpecie panis ac vini carnẽ & ſanguinẽ Ieſu Chriſti verè participare. Sed credíſne, inquiunt, corpus Ieſu Chriſti verè in eo pane contineri? Minimè, inquam: quin potius credo illud in cælum euectum atque receptum, Chriſtúmque Dominum ad dexteram Patris ita ſedere, vt huiuſmodi elementis incluſus nullo modo teneatur. Tum vnus ex iis, me Iudæis Capernaitis ſimilem eſſe dixit. neque enim, inquit, vis credere, niſi corporalem Chriſti præſentiã in ipſo pane incluſam videas. Neque verò potes negare, quin Chriſtus dixerit, Qui edet carnem meam, & ſanguinem meum bibet. Tu verò, inquã, vide quemadmodum Chriſtus dicat ſe panem eſſe viuum qui de cælo

Ioan. 6. deſcendit, vt vitam omnibus in ipſum credentibus impertiat: carnem denique nihil prodeſſe, Spiritum autem viuificare. Adhæc illos etiam admonui, vt ea quæ à Luca Euangeliſta narrantur, traduntúrque à Paulo, inſpicerent & conſiderarent, cùm ita dicitur, Accipite, edite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur: hoc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. nam ita mortem Domini, inquit Paulus, quoad is veniat, annuntiabitis. Tum ego eos diligenter monui vt eum locum annotarent. Neque verò memoriam rerum præſentium recoli ac celebrari, ſed præteritarum: nec memoriam Chriſti vſurpãdam eſſe, ſi eum præſentẽ ante oculos noſtros habemus. Sanè inquiunt illi, ſed annon vis tu amplecti quod à ſacroſancto Concilio atque doctoribus eſt conſtitutum? Sanè, inquã, id quidem duntaxat quod cum verbo

verbo Dei cõſentiat: præterea nihil. Nã ſi ego ipſe, ait Paulus, aut Angelus de cælo veniat, qui aliud verbum vobis annũtiet quàm quod ego annuntiaui, anathema ſit. Tum illi ex me vbi iſta didiciſſem quæſiuerunt. In ſancto Euangelio, inquam, & verbo Dei. Eſtne tuum, inquiũt, officium id legere, cum ſis homo mechanicus, nulla ſcientia præditus? Quomodo verò ſcis tu id eſſe Euangeliũ, & quis te docuit? Deus inquam, me Spiritu ſuo docuit. Omnium autem Chriſtianorum eſt illud legere, audire & cognoſcere, ſine quo via ad vitam & ſalutem nullo modo cognoſci aut teneri poteſt. Poſtremò quæſiuerunt num Inſtitutionem Caluini vidiſſem quæ Chriſtiana inſcribitur & appellatur. Quibus ego ingenuè confeſſus ſum. Atque hæc quidem quæſita ſunt ex me in prima interrogatione.

Secunda autem interrogatio per magnum Vicarium facta eſt, qui pro ſua ſumma inſcitia atque ſtoliditate, multa ex me leuia friuoláque quæſiuit, minimè digna quæ hoc loco ac tempore cõmemorentur. Poſtea rogauit me, quam rationẽ vitæ profeſſus eſſem. Cui ego reſpondi, militarem ex equeſtri ordine eorum qui delecti & conſcripti, certas Regis turmas conficiunt: Lorgio autem duce ſtipendia meruiſſe. Tum quidam ex iis qui aderant, Ille quidem, inquit, qui præſtantiſſimus eques extitit, te in hac doctrina diſciplináque minimè inſtituit. Non ſanè, inquam: neque enim ego, quemadmodum paulò antè dixi, ab hominibus hæc didici: neque in bello inter pugnandum ediſcuntur. Interrogatus num crederem votum caſtitatis, quæſiui ex eo, quódnam illud eſſet. Vt homines, inquit, fiant religioſi, & alia quædam faciant, quæ ille neſcio quæ nugamenta referebat. Tum ego ei reſpondi, me nullam caſtitatẽ meliorẽ exiſtimare, quàm vt cùm nos aculeis carnis pũgimur atque incitamur, ad Deum confugiamus, petamúſque ab eo vt prauas atq; immoderatas carnis noſtræ libidines cõprimat & extinguat, noſque eas iis rationibus quæ à Deo nobis proponuntur, refrenemus. Religionem verò me nullam aliam intelligere, præter eam de qua diuus Iacobus loqueretur.

Secunda diſquiſitio iudiciaria.

Lorgius.

Votum caſtitatis.

Interrogatus num Sacramenta Eccleſiæ crederem, quæſiui ab eo quæ eſſent illa. Cùm autem ille mihi ea numeraſſet, dixi duo tantùm à Deo in Eccleſia Chriſtiana inſtituta & tradita, Baptiſmum & ſa-

Sacramẽta quæ.

cram Cœnam.

De Miſſa.

Interrogatus an eo tempore quo illum ordinem militarē equeſtrémque profiterer ac ſequerer, ad Miſſam audiēdam accederem, corā ſimulachris atque imaginibus genua flecterem, ac peccata mea ſacerdoti confiterer. Non negaui me quidem antea in mea ſumma ignoratione ac cæcitate ea omnia feciſſe: nunc verò ſummas Deo *gratias agere, qui me ab illis tantis erroribus reuocarit, atque in viam ſalutis reduxerit. Tu quidem, inquiunt, ab ea longè abes:* Imò *verò, inquam, longius aliquando abſui. Putáſne tu, inquit* Vicarius, *te in ea via ſalutis eſſe? Ego verò, inquam, non ſolùm puto, ſed etiam credo, perſuaſus iis promiſſis, quibus* Chriſtus *de ſalute mea certiſſimū reddidit. Tum ille dixit ſe doctorem perhibiturum, qui mihi oſtēderet quanto in errore ego verſarer. Cui dixi me quidem ei crediturum, atque errorem meum agniturum, ſi eum ex Scriptura ſancta mihi oſtēderet. Ille quidem, inquit, cùm ex Scriptura ſacra, tum etiam ex conſtitutionibus* Conciliorum *facillimè tibi oſtēdet. Ego verò, inquam, ſi eius demonſtratio conſentiat cum verbo* Dei, *fidem ei adhibebo: ſin doctrinam diuerſam à verbo* Dei *eíque repugnantem afferat, eam, vt diuus* Paulus *ait, vt quoddam anathema deteſtabor. Illi ſemper authoritatē* Cō*ciliorúm doctorúmque protulerunt: cui ego hunc* Pauli *locum fortiter oppoſui, illúdque etiam oſtendi, fidem meam in authoritate verbi* Dei, *non hominum opinione aut conſuetudine fundatam eſſe.* Porrò *tribus diebus pòſt,* Vicarius *ſperans ſe prædam ingentem à me ablaturum, venit cum capitalium cauſarum* Iudice. *Hi pecuniam quam habebam, mihi ademerunt, niſi quòd quantum ſatis eſſet ad viuendum reliquerunt.* Vicarius *autem poſt multa inepta & abſurda, quæ tum mihi loquutus eſt, quæſiuit num ego vellem me planè referre ad* Concilium *iudiciúmque doctorum, ad quos* Scripturæ *ſacræ interpretatio atque explicatio pertineret, & num vellem magis quàm* Rex Galliæ *ſapere ac non ea quæ ille credere:* Reſpondi *ei nihil opus mihi eſſe eorum interpretatione, méque ſine vllo huiuſmodi interprete ac doctore facilè apertéque oſtenſurum id quod dicerem verum eſſe: neque meam fidem in ipſo* Rege *fundatam eſſe & conſtitutam, neq; etiam hîc eſſe vt de illius fide loquerer. Tum ille iterum ſe doctorem mihi daturum dixit.*

Interrogatio ſummo Vicario digna.

Quid

Quid tu, inquã, num præſtare id ipſe potes, cùm præſertim iuridiciale munus officiúmq; ſuſtineas? Tertius eorũ ad me aduentus acceſſúſque fuit, vbi Suppræfectus aderat. tũ ſummus Vicarius ex me quæſiuit, num vellem in meis opinionibus atq; erroribus, vt vocant, permanere: Quẽ ego rogaui, vt ea quæ dixerã, mihi legenda curaret. id quod ipſe fecit, quærens ſemper ex me, num meam vellem ſententiam deponere, miſericordiam mihi promittẽs. Ego autẽ eis dixi, me cauſam veritatis tã iuſtã & æquam nullo modo velle deponere aut abijcere: neq; verò petere ab iis miſericordiam: ſed Deum orare, vt eam mihi impertiret. Interea dum interrogata & reſponſa mea mihi legerentur, me de Euangelio interrogantes, captioſè aggreſſi ſunt, num meũ eſſet officium illud legere, & quiſnam me de eo erudiſſet ac docuiſſet: Quibus ego reſpondi, Deum Spiritu ſuo feciſſe vt aliquã eius cognitionẽ adeptus fuerim, nec me ſine gratia illius atque Spiritus illuminatione quicquã poſſe in Euãgelio cõprehendere atq; intelligere. Tum Suppræfectus Regis dixit, quòd ad quatuor Euangeliſtas attineret, duos tantùm eſſe, Matthæum & Ioannem, qui puri eſſent: Marcum verò & Lucam centones quoſdam habere hinc illíncque collectos: quo in genere Paulum etiam ponebat. Illud præterea dixit, ſe epiſtolas Pauli, niſi doctores Eccleſiæ eis authoritatem dediſſent, non pluris quàm AEſopi fabulas facturum. Ego ei dixi, Diuum quidem Paulum habere optimum certiſſimúmque vocationis ſuæ teſtimonium, quemadmodum in epiſtola ad Galatas 1. ca. ſcriptum eſt. Tum ille, Paulum ſibiipſi teſtimonium dare dixit. Videtis fratres, quæ & quanta ſit hæc blaſphemia aduerſus ſacroſanctũ Dei verbũ impuriſſimè proiecta. Oremus igitur eum vt nobis eam gratiã impertiat, ne in huiuſmodi impietatẽ delabamur: ſed virtute Spiritus eius confirmati, in obſeruantia obediẽtiáque verbi ipſius cum omni reuerẽtia permaneamus. Poſtea Suppræfect⁹ iuſſit iterũ recitari ea quæ ego de Cœna interrogat⁹ reſpõderã, ac quæſiuit num vellẽ credere verũ corpus Ieſu Chriſti ibi in eo pane incluſũ cõtineri: Ego, inquã, id credo quod antè dixi. Tum ille, Ego, inquit, credo ſimulatque verba ſacramentaria ſuper panẽ ſunt pronuntiata, corp⁹ Chriſti in eo includi & contineri: Ego, inquam, illud nego, credóque Chriſtum in cælum aſcendiſſe, atque ad dexteram Dei patris ſui ſe-

Execrãda blaſphemia Suppræfecti Lugdunenſis.

Iterum repetitur quæſtio de Cœna.

dere. Mea hæc quidem, inquit, fides eſt, in qua volo viuere & mori. Et egoquoque, inquam, volo & viuere & mori in ea, quam ſum confeſſus & profeſſus.

Atque hic quidem finis fuit ſermonum noſtrorum: in quibus nō potui commodè ordinem, quo fui interrogatus, conſeruare. Ego autem malui aliquid omittere, quàm aliquid quod quæſitum ex me non fuiſſet, addere. Neque verò hanc confeſſionem meam propterea ſcripſi vt ea in lucem emittatur: ſed vt Deus hoc meo teſtimonio aliquam gloriā conſequatur, quemadmodum ipſe me honorauit, ſuámque virtutem in mea ſumma infirmitate exhibuit, ita vt inimici noſtri victi & confuſi nihil planè habeant quod dicant, niſi quòd nos rationem fidei noſtræ ad iudicium arbitriúmque doctorum ſuorum referre nolum⁹, quaſi ſapientiores quàm illi ſunt, eſſe velimus. Interea tamen ita premuntur, vt quod dicant nihil planè habeant, niſi quòd pudore impediūtur quò minus Scripturam ſacram planè repudient. Ego autem Deum optimū atque omnis miſericordiæ Patrem etiam atque etiam oro vt ſua in nos dona augeat & confirmet, quò nos tum in vita tum in morte ſanctiſſimum eius nomen omni gloria illuſtrare poſſimus, ita vt & regnum eius amplificetur, & Eccleſia planè vaſtata & deſolata ædificetur, atque in optimum ſtatum reſtituatur, noſtráque ſalus procuretur: hócq; ab eo peto in nomine & ſumma gratia chariſſimi eius Filij Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto, Amen.

Sequitur epiſtola Ioannis Caluini miſſa ad Peloquinum, & Marſacum, alióſque, qui eodem tempore Lugduni in carcere captiui propter Euangelium tenebantur.

Caluini epiſtola.

EGO, *fratres chariſſimi, credo vos intellexiſſe, me tum cùm nuntium captiuitatis veſtræ huc eſt allatum, ab hac vrbe abfuiſſe, quò octo poſt diſceſſum meum diebus reuerſus ſum. Itaq; minimè neceſſarium eſſe puto, vt me vobis excuſem quòd ad hunc vſque diē ſcribere ad vos diſtulerim. Quanuis autem illud nuntium, ſecundum quidē carnē nobis triſte & acerbum acciderit, etiam pro eo amore & beneuolentia quam in Spiritu ac Deo erga vos habemus, quemadmodū par eſt: nos tamē oportet ad voluntatem optimi Patris ac ſummi Domini cōformari, neque ſolùm iudicare iuſtū & æquum quod is de nobis ſtatuit, ſed etiā vt bonū amoríſq; plenū & ad ſalutē noſtrā accōmo*

datum

datum optimo gratiſſimóque animo accipere, patienter expectantes vt reipſa ita eſſe oſtendat. Cæterùm in ſumma noſtra triſtitia ingens ineſt conſolatio ac lætitia, quòd Deus tanta virtute & potentia vobis affuerit. Etenim *maximoperè fuit neceſſarium, vt ipſe Spiritu ſuo vos confirmaret ac roboraret, quò ſacroſanctam eius veritatem veſtra vita pretioſiorem chariorémque haberetis.* Nos *quidem omnes etiam nimium ſcimus, quàm difficile hominibus ſit ſui obliuiſci.* Itaque *tum demum* Deus *robuſtiſſimum ac potentiſſimum brachium ſuum exerit, cùm pro nomine eius illuſtrando nullum aut tormentum aut opprobrium aut etiam genus mortis pertimeſcimus.* Cùm *autem is vos ſua virtute hactenus muniuerit, ſummóque robore ſepſerit, vt primum impetum ſuſtineretis: reliquum eſt, vt eum oremus vt vos magis magíſque confirmet pro magnitudine ac difficultate certaminis eius quod vobis eſt ſubeundum.* Ac *quum ipſe nobis ſummam totius dimicationis victoriam promiſerit, ne dubitetis quin cùm vos iam ſingulari eius gratia aliquam virtutis eius partem in vobis ſenſeritis, in poſterum maius re ipſa atque experientia teſtimonium ſitis habituri: ex quo planè intelligere poteritis, eum opus quod ſemel incepit, nunquã imperfectũ relinquere, quemadmodũ eſt in* Pſal. CXXXVIII. Imprimis *verò cùm ſuis hunc tribuit honorem, vt eos ad veritatem verbi ſui propugnandam tutandámque adhibeat, atq; ad martyrium quaſi manu ſua ducat, nunquam inermes eos relinquet, ſed omnibus, quæ ſunt neceſſaria, armis inſtruet.* Tantummodò *eam ſuſcipite cogitationẽ atque operã date, vt in cæleſte* Ieſu Chriſti *regnũ oculos veſtros attollatis, atq; animis veſtris perpendatis pro qua cauſa hãc dimicationem ſuſcipitis ac ſuſtinetis.* Nam *hic quidẽ aſpectus, non ſolùm vincet omnes tentationes, quibus ab infirmitate carnis attentari poſſetis, ſed etiã inuictos vos faciet aduerſ⁹ omnes ſathanæ fallacias, eáque omnia quæ infeſtiſſimus hoſtis ad obſcurandã veritatẽ machinari poterit.* Nã *certò ſcio, animos veſtros ſingulari* Dei *gratia ita fundatos & conſtitutos eſſe, vt non caſu ac temerè in hoc certamen incideritis, ſed certiſſimo Spiritus iudicio, & (vt paulò antè dixi) quaſi manu* Dei *ducti veneritis: ita vt cum egregio illo* Ieſu Chriſti *milite poſſetis verè dicere,* Ego *ſcio cui crediderim.* Atque *ea cauſa eſt, quò minus* 1. Timo. 2

ad vos mittã eã fidei confeſſionẽ quã optim⁹ frater noſter Peloquinus *à me petijt.* Nã Deus *faciet, vt ea confeſſio quã vos pro ea menſura Spiritus quẽ vobis dedit, edideritis, maiorẽ ædificationis fructũ afferat, quàm cætera omnia quæ aliũde ſuppeditari vobis poſſunt. Quinetiã rogatus à piis fratribus, qui non ita diu ſanguinẽ ſuum pro gloria* Dei *tuẽda profuderũt, vt eorũ confeſſionẽ viderẽ & corrigerem, non ſolùm in ea nihil immutare volui, ſed ex ea huiuſmodi cõſolationẽ cepi, qua me in fide magnoperè confirmatum ſenſi. nullũ autẽ verbũ addere*

Confeſsiones Martyrum quãti nobis eſſe debeant

aut demere planè volui, exiſtimãs quãtum in ea mutaretur, tãtũ de authoritate ac virtute detraheretur ea quã meretur ſũma ſapiẽtia & cõſtãtia, quã videm⁹ ab Spiritu Dei *profectã eſſe.* Ita *igitur ſtatuatis, vobiſq; planè perſuadeatis, optimũ* Deũ, *qui ſe, cùm op⁹ eſt, oſtẽdit, ſuam in veſtra infirmitate virtutẽ præſtaturũ, neque vos vnquã relicturum, quin præclarè ac magnificè poſſitis ei⁹ nomẽ celebrare atq; illuſtrare.* Tãtùm *ſũmã moderationẽ & reuerẽtiã adhibete, certò ſciẽtes* Deo *ſacrificiũ, quod ei pro portione* Spiritus *& facultate, quã ab eo accepiſtis, offeretis, nõ minus gratũ futurum quàm ſi omnes* Angelorum *reuelationes comprehenderitis, eundémq; facturum vt id quod ori veſtro inſeruerit, tum ad confirmandos ſuos, tum ad aduerſarios omni pudore afficiendos valeat.* Nam *quemadmodum vos ſatis intelligitis, nobis conſtanter reſiſtendum eſſe omnibus impijs* Papiſtarum *abominationibus, niſi velimus* Chriſtum *abnegare, à quo percarè redempti ipſique acquiſiti ſumus: ita debetis eam gloriam cæleſtem atque immortalem meditari, ad quam vocamur atque inuitamur, certi nos ad eã per crucẽ, ignominiam, ipſámq; mortẽ peruenturos. Omnino humano ingenio alienũ magnoperè videtur filios* Dei *ita angoribus ſatiari,*

Impiorum felicitas.

cùm interea impij homines in ſuis deliciis ac voluptatib⁹ exultẽt: imò verò teterrima ſathanæ mãcipia nos pede gutturi impoſito ita premere atq; affligere, vt ſuos de nobis triũphos agãt. ſed tamen in his tãtis ærũnis atq; miſeriis vehemẽter nos debemus conſolari, quòd poſſimus feliciſſimũ exitũ, qui nobis eſt promiſſus, expectare, & quòd De⁹ *non modò ex his omnib⁹ malis per* Angelos *ſuos eripiet, ſed etiã lachrymas per ipſos* Angelos *ex oculis noſtris abſterget: atq; ita rectè deſpicere poterimus ſuperbiã iſtorum hominũ miſerorum planéque occæcatorum*

qui

qui ſuum in exitiũ omnẽ vim furoris ſui in cælũ conferunt. Interea *quidem, etſi, nos non ſimus eadẽ conditione qua nunc vos eſtis, nõ tamen deſiſtim⁹ precib⁹, miſericordia, ſolicitudinib⁹ laborare, ac vobis* συμπαθεῖν *vt mẽbra veſtra, quandoquidẽ placuit Patri cæleſti ꝑ ſua bonitate nos vnire in vnũ corp⁹ ſub* Filio *ſuo, noſtro capite.* Itaque *ſupplex eum orabo eam vobis gratiam impertiat, vt freti ipſius fauore, eiuſque ope nixi, nullã in partẽ vacilletis, ſed potius virtutis incrementũ ſuſcipiatis: idẽq; vos in ſua tutela & fideliſſima cuſtodia tueatur, cũ ea certitudine atque animorum veſtrorum perſuaſione, vt quicquid eſt in mundo cõtemnere poſſitis.* Fratres *mei & alij cõplures vobis plurimum ſalutis dicũt* Geneuæ. *quoniã autem ſpero hãc epiſtolam vobis duobus fore cõmunem, addam illud tãtùm, maiorem exhortationem mihi apud vos minimè adhibẽdam eſſe. Satis enim eſt me à* Deo *petere vt id magis ac magis imprimat in cordib⁹ veſtris quod ex literis veſtris intellexi vos optimè guſtaſſe. Quãquam moleſtũ eſt tãdiu in carcere lãguere, tamẽ ſi null⁹ alius extaret fruct⁹ præter eũ quẽ vobis oſtẽdit, quòd nõ ſine cauſa vos vſq; ad hũc diẽ reſeruauit, in eo quidẽ iuſtã habetis cauſã nullius moleſtiæ propter carcerẽ diuturnũ ſuſcipiẽdæ.* De *morbo autẽ prudenter conſideras,* Deũ *te hoc modo velle ad maius certamen præparare, vt caro bene domita, facilius poſſit in eius voluntatem ſe permittere. Ita omnia quæ à* Patre *cæleſti proficiſcuntur, ſunt nobis in commodum ac bonum noſtrum conuertenda. Si vos poteſtis communicare cum cæteris fratribus, vos rogo vt eos meis verbis ſaluere iubeatis.* Deus *optimus manu ſua firmiſſima vos prehendat, tueatur, dirigat, ſuámque gloriam in vobis illuſtriorem efficiat.* Ioannes Caluinus.

Epiſtola Lud. Marſaci ad quẽdã amicũ ſcripta 25. Auguſt. in qua is quædã exponit memoria non indigna quę in carcere paulò antequam martyrio defungeretur, acta ſunt.

CHariſſime *frater, nouiſſimis hiſce diebus ego literas ad te dedi* XXV. *Auguſti ſcriptas, ſimul etiam alteras ad optimum atque amantiſſimum fratrem noſtrum & amicum* N. *quæ an vobis redditæ fuerint, ignoro.* Frater *noſter* Dionyſius Peloquinus *ſcripſit etiam ad nepotem ſuum de ijs rebus, quæ acciderunt, quemadmodum nos expectaremus declarationem iudicialem eius opinionis ac iudicij quod homines de nobis faciunt. Ita igitur euenit die* Lunæ *proximo, qui fuit* XXI. *eius menſis, quo nos ad vos eas literas dedi-*

mus. Nam *poſt eam declarationem nos omnes ad carcerem regiũ,* Roanam *appellatum, traductι fuimus, præter* Dionyſium *fratrẽ noſtrũ, quem, vt à quibuſdam intelleximus,* Eleutheropolim *ducturi ſunt, vt in ea vrbe, in qua fuit captus, quaſi quædam victima cædatur: atque ita variis diuerſiſque in locis nomen* Dei *noſtri morte filiorum ſuorum illuſtretur.* Nos *quidem expectabamus eam ſententiam, qua poſtridie eius diei quàm hæretici ſumus declarati, capitis damnaremur. ſed benigniſſimus* Deus *ad hunc vſque diem nos conſeruauit, vt magis magiſque ſemper corroboremur, quemadmodũ ſentimus, virtute quidem eius atq; ope: ita vt ij qui maximè imbecilles ac debiles eſſe putabantur, nunc omnium ſint fortiſſimi atque conſtantiſſimi.* Itaque *ipſi aduerſarij noſtri maxima moleſtia ſunt affecti propter* Conſobrinũ *meum, quem iudicabant non conſtanter in propoſito fidei permanſurum, quaſi nos aliquam opinionem in eius cerebro commouiſſemus. ſed benignitate* Dei *ea opinio illos multum fefellit.* Vident *enim in eo ſummam conſtantiam, quam* Deus *ad tuendam fidei declaratæ confeſſionem ei dedit.* Proximo *die* Mercurij, *nos à regio* Suppræfecto *interrogati fuimus.* Is *perſeuerans ſemper in ſuis blaſphemijs vſitatis, multa & varia à nobis quæſiuit, imprimiſque à me qui primus coram eo productus fui.* Quaſi *autem me nũquam vidiſſet, ita me interrogauit.* Optimus Deus *mihi eam vim* Spiritus *ad reſpondendum præſtitit, quemadmodum & cæteris fratribus, vt ille miſer nihil quod diceret haberet, niſi me ignarum atque imperitum eſſe ſine vlla ſcientia: neque meum eſſe ſacram ſcire* Scripturã, *quam tot homines ſummis ingenijs præſtantes qui viginti quinque aut triginta annos in eius ſtudio conſumpſiſſent, intelligere non potuiſſent.* Cui *ego reſpõdi, id quidem maiori illis eſſe dedecori ac turpitudini, idémque* Scribis *ac* Phariſæis, *priſciſque* Legis *doctoribus eueniſſe:* Deum *autem piſcatorib⁹, mulieribus, claudis, cæcis, leproſis, paralyticis, aliiſque huiuſmodi hominibus reuelaſſe, vt illud quod* Chriſtus Dominus *gratias* Deo Patri *agens dixit, in hoc hominum genere atque omni tempore conſeruaretur, quòd* Deus *ab intelligentia ſapientium doctorúmq; remouit atque abdidit, & paruulis ſimplicibúſque reuelauit.* Tum *verò illi ridere cœperunt, ac me irridere: cùm interea egregius vir* Suppræfectus *loquẽs*

Morte fidelium Deus glorificatur

Scriptura his eſt inſtar myſteriorũ Cereris.

Matth. 11.

loquens cum regio Procuratore, per ſuam fidem iurauit. itaque eum ego reprehendi ac monui, eum qui me docuiſſet non eſſe iurandum, eundem me docuiſſe, id quod confitebar ac tuebar, purum eius verbum eſſe. Tum ille pudore aliquo affectus fuit, ac dixit, ſe in eo quidem falſum & lapſum eſſe potuiſſe. Porrò regius Procurator mihi dixit, me negare non poſſe quin diuus Ioannes *Epheſi Miſſam celebraſſet. à quo quæſiui vbinam illud ſcriptum reperiſſet, num id in* Euan*gelio extaret.* Is *tum conticuit ſine vllo reſponſo, niſi quòd me ignarum beſtiámque appellabat.* Ego *ei dixi, me quidem facilè id pati, vt eſſem talis qualem ipſe exiſtimaret, ſed me tamen* Chriſtum Ieſum *cognouiſſe, qui ei eſſet incognitus.* Itaque *nos facilè videre ſummam eorum ignorantiam atque ſtoliditatem planè beluinam poſſumus. Cæterùm nos, quòd ad homines quidem attinet, arbitramur nos cras huc proceſſuros, vt in ſacrificium* Deo *offeramur, eámque adipiſcamur coronam gloriæ æternæ atque hæreditatem, quæ nobis antequam mundus conſtitueretur parata eſt.* In *quo quidem magnoperè gaudemus & lætamur, orantes benigniſsimum* Deum *vt hoc noſtrum ſacrificium ei ſit gratum atque odoratum, quemadmodum quidem fore ſperamus & confidimus.* Nam *nos opem eius ac virtutem in nobis experimur ac ſentimus, eò quidem nunc maiorem, quò finis dierum noſtrorum magis appropinquare videtur: finis, inquam, huius vitæ caducæ atq; miſeriarũ plenæ: in qua quid aliud videre poſſum⁹, quàm ſummã deſolationem: aut habere quàm materiã plurimarũ lachrymarum, maximarúmq; acerbitatũ propter tot támq; horrẽdas blaſphemias, quæ cõtra* Dei *noſtri maieſtatẽ ſcelerate proijciuntur?* Vna *enim ex parte videmus hoſtes* Eccleſiæ *manifeſtos, qui aperto marte* Eccleſiam *acerrimè oppugnant, ac filios* Dei *perſequentes, atque innocentũ ſanguinem fundentes, nihil aliud conantur niſi vt* Chriſti *hæreditatem vaſtent & planè deleant.* Altera *ex parte, inimicos alios non minus pernicioſos, qui in ipſa* Eccleſia *verſantur, homines inordinatos atque diſſolutos. qui ſe aduerſum verbi* Dei *miniſtros fideliſsimóſq; eius ſeruos extollentes, nihil aliud ſtudent quàm omnem eccleſiaſticam diſciplinam diſsipare, atque è vita omnem religionem ac timorem* Dei *tollere.* His *accedunt alij, qui in occultis conuenticulis ſuis ſeminant zi-*

Ridiculum de Miſſæ origine.

Hoſtes Eccleſiæ.

zaniam doctrináſque impias, quibus ſimplices & imperitos homines corrumpant. Heu *miſeri, qui ita ſtupidi ſumus, vt hæc tanta mala non ſentiamus, quæ cauſam gemendi ac flendi multo maiorem atque acerbiorem nobis afferre deberent, quàm omnes acerbitates quas homines in nos exercent, quæ blaſphemiis illis nominis* Dei *comparatæ, leuiſsimæ ſunt iudicandæ.* Itaq; *fratres, illud quidẽ deberet maximoperè nos humiliare, cognoſcentes ea nobis ab optimo* Deo *immitti, vt admoneamur, paternéque ab eo caſtigemur atque emendemur, atque etiam probemur, vt in patientia exerceamur.* Nam *ſicut dicit* Diuus Iacobus, *ſummam debemus lætitiam exiſtimare, cùm in varias tentationes incidimus, ſcientes probationem fidei noſtræ patientia fieri. ſed oportet patientiam habere etiam opus perfectum, vt ſimus perfecti atque integri, nulláque in re deficiamus.* Et *certè nos in regnum* Dei *intrare non poſſumus, niſi ea vna via quæ à* Chriſto Ieſu *nobis præmonſtrata eſt.* Ea *autem eſt anguſta & aſpera, qua per multas magnáſque difficultates & calamitates perueniẽdũ eſt.* Ac *tũ quidem cùm ea nobis accidunt, poſſumus planè nobis perſuadere nos habere arrhas adoptionis noſtræ, filióſque* Dei *eſſe, in librum vitæ iã iam adſcriptos. neque verò æquum eſſet & conſentaneum vt ſeruus bene tractaretur, cùm dominus eius irridetur, conſpuitur, colaphis cæditur, omníque opprobriorum genere afficitur.* Oportet *igitur nos, ſi volumus cum* Chriſto *viuere, vt cum eodem quoque patiamur, amaréque ploremus, dum mundus inſolentiſsimè exultat.* Sed *tota ratio & conditio vitæ ita commutabitur, vt impius iſtorum riſus in queſtũ fletúmq; perpetuũ, aut dentiũ ſtridorẽ conuertatur: nos verò omnibus moleſtiis atq; ærũnis liberati, ſẽpiternis ſolatiis & gaudiis perfruamur.* Gratulare *igitur nobis, ac lætare chariſsime frater, quòd benigniſsimus* Deus *animos noſtros ita confirmauerit, vt illum diẽ tam felicem atque optabilem ſumma cum lætitia expectemus: in quo quidẽ ſperamus & confidimus nos morte noſtra gloriam* Deo *daturos quam debemus: eúmq; etiã nobis eam conſtantiã præſtaturũ, qua vſq; ad vltimã ſanguinis noſtri guttã, puram fidei noſtræ cõfeſsionem tueamur, ita vt & regnũ* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti *augeatur, & ſathanæ eiúſque vicarij* Antichriſti *diminuatur atque euertatur:* Eccleſiáque

Iacobi.1. Matt.7. 2.Tim.2.

quam

quam ita confuſam ac deſolatam cernimus, in meliorem ſtatum reſtituatur. Harum *quidem rerum initia iam videmus in ipſis noſtris aduerſariis, qui cùm nullo furore ſuo poſſunt nobis ſilentium imponere, ad eas confugiunt blaſphemias, vt ſanctiſſimam* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti *doctrinam deteſtentur. Quemadmodum miſerrimus iſte homo regius Suppræfectus, qui heri cùm interrogaret quandam mulierculam, domini* Copi *famulam, non eſt veritus hanc blaſphemiam proferre, Deteſtandus ſit* Deus *iſtius* Legis. Ego Deum *clementiſſimum oro vt eius miſereatur, eúmque Spiritu ſuo illuminet, vt miſerrimus homo ad veram peccati ſui cognitionem adducatur. Quoniam autem tempus diſſolutionis meæ iam appropinquat, vos-quaſi ex hac vita decedens valere ac ſaluere iubeo,* Deúmque *oro vt vos in puriſſimo nominis ſui cultu perpetuò retineat atque conſeruet.* Fratres *mei ſe veſtris ac totius eccleſiæ precibus etiam atque etiam commendant: ſiquidem erunt in hac adhuc vita, cùm hæ literæ ad vos perlatæ fuerint.* Gratia Domini *noſtri* Ieſu Chriſti *vobiſcum ſit.* Hoc *die* Veneris XXV. *Auguſti.* V*eſter amantiſſimus frater* Ludouicus *à* Marſaco. Blaſphemia iudicis.

Sequitur mors Ludouici Marſaci eiúſque Conſobrini, atque Stephani Lignifabri, teſtata commemoratione eorum, qui αὐτόπται fuerunt, ac rem, quemadmodum eſt geſta, totam viderunt.

PAVCIS *pòſt diebus, ipſe* Marſacus *eiúſque ſocij,* Conſobrinus, *&* Stephanus Lignifaber, *qui natus fuit* Genabi *ad* Ligerim, *homo cùm ardentiſſimo ſtudio, tum etiam in verbo* Dei *optimè inſtitutus. hi tres* Lugduni *eadem ſententia, pro tribunali pronuntiata, capitis damnati fuerunt vt viui igne cremarentur.* Iudices *autem poſtquam eam ſententiam põnuntiarunt, vehementer fuerunt perturbati atque attoniti, cùm viderẽt eos tres martyres, non ſolùm mortem propinquam nõ perhorreſcere, verumetiam* Deum *omni gratiarum actione atq; laude celebrare, quòd digni ab eo habiti eſſent, vt pro ſanctiſſimo ipſius nomine paterentur, adeò vt ex audientia iudiciaria egredientes,* Pſalmum *quendã canere cœperint.* Neque *verò* Suppræfectus *hoc diutius diſſimulare potuit, eorúmq; ſanctã in* Deo *lætitiam atque hilaritatem ferre: ſed maxima indignatione commotus, iuſsit eis ſilen-*

tium imponi, egrediénſque inde, dixit, Itáne abiecti iſti homines, aduerſus tantam Monarchiam *regni ſe extollēt?* Tum *Marſacus in exiguū eius loci, in quo erant, angulum ſeceſsit, ibíque* Deum *orare cœpit, quē cùm vnus ex ſatellitibus impedire vellet,* Num, *inquit* Stephanus, *eſt æquum hoc tempore nos impediri quò minus* Deum *noſtrum inuocemus & oremus?* His *illius verbis territus ſatelles conticuit, ſéque ilicò recepit.* Porrò *antequam educerentur è carcere, vt ad vltimum ſupplicium ducerentur, cæteris duobus,* Conſobrino *ipſius* Marſaci & Stephano *funem ſingulorū collo appoſuerunt.* Ludouicus *autē* Marſacus, *cùm idem inſigne atque ornamentum expectaſſet, neque videret id ſibi deferri, quòd* Iudices *rationem quandam haberent eius qui ex equeſtri eorum ordine fuiſſet, qui* Ordinati *regij nominantur: corā* Suppræfecto *ac cæteris magiſtratibus maxima voce quæſiuit, num cauſa fratrum ſociorúmque ſuorum alia eſſet atque ſua.* Atque *huiuſmodi verba cum precibus addidit,* Heu, *ne mihi torquem ordinis tam excellentis inſigne denegetis.* Tum *Suppræfectus, Siquidem ita vult, inquit, detur ei funis vt & cæteris.* Id *cùm factum eſſet, ducti ſunt ad locum ſupplicio conſtitutum, comitati quatuor* Franciſcanis *& magno ſatellitum numero, qui omnes currum cingebant, vt impedirent illos tres martyres ne ad populum loquerentur.* Eò *igitur cùm veniſſent, ſubitò accincti fuerunt atque ad poſtem alligati, faſcéſque lignorum aridorum circuncirca: atq; ita circunſepti hi tres, ſimul canticum* Simeonis *canere cœperunt,* Nunc *dimittis ſeruum tuum* Domine, *&c. dum carnifex in circumitu ignem ſuccenderet, qui paulò pòſt eorum corpora conſumpſit.*

Inſigne ordinis Chriſtiani.

MATTHAEVS DYMONETVS.

MAtthæus Dymonetus, *mercator patria* Lugdunenſis, *in ſua ignoratione vitam in omnibus mundi cupiditatibus voluptatibuſque diſſolutam, & à modeſtia pietatéque* Chriſtiana *alienam degerat.* Nam *in illis ſuis delitijs adeò abhorrebat à verbo* Dei *atque ſtudio pietatis, vt eos qui* Lugduni *inuocandi* Dei *cauſa cœtus conuentúſque haberent, inſidioſè atque inimicè obſeruaret.* Poſtquam *verò ſumma* Dei *miſericordia ad cognitionem* Euangelij *vocatus eſt, ſtatim fructus conuerſionis admirabilis oſtendit. nam paulò pòſt comprehēſus*

henſus cùm domi ſuæ eſſet, ab his qui iuriſdictionem Lugduni *habent, primo aditu, quæ eſſet ſua fides non diſſimulanter & obſcurè, ſed ingenuè ac liberè declarauit: & poſtea in iudicio puriſſimam eius confeſſionem edidit: quam nos literis mandauimus, quemadmodum ſequitur.*

Die Lunæ *qui fuit* IX. Ianuarij M.D.LIII. *cùm eſſem domi noſtræ coram Suppræfecto regio & Officiali* Buatherio*: cúmq; illi perſcrutati eſſent libros noſtros, in quibus nihil planè repererunt quod damnarent, præter exiguum librum cantionum ſpiritualium: ego de mea fide ab Officiali fui interrogatus. qui iudex à me recuſatus, rogauit Supræfectum vt me interrogaret.* Itaque *ille monuit, me cùm eſſem Chriſtianus, debere rationem fidei meæ reddere.* Id *quod ego ſine vlla dilatione feci, quemadmodum ſequitur.*

Cùm igitur quæſiuiſſent ex me, ex qua parœcia eſſem, rogarunt deinde num crederem virginem Mariam *ac Sanctos eſſe inuocandos, eóſque noſtros aduocatos eſſe. Quibus ego reſpondi, virginem* Ma*riam omnium mulierum eſſe beatiſſimam, Sanctóſque omnes beatos, eóſque veram vitæ viam nobis commonſtraſſe. Itaque eos quidem nos debere imitari. aduocatos verò habere præter vnum* Chriſtum *iuſtum, debere neminem.* Interrogatus *ab iiſdem, num eſſet* Purgatorium, *vbi animæ eorum qui ex hac vita exceſſerunt, purgarentur. reſpondi,* Ie*ſum* Chriſtum *per ſeipſum perfectam omnium vitiorum noſtrorum purgationem fecisse, neque aliam eſſe requirẽdam.* Interrogatus *etiam, num omnia peccata noſtra ſemel quidem in anno ſacerdoti ſint confitenda. reſpondi, non ſemel ſolùm in anno, verumetiam quotidie coram* Deo *& hominibus teſtari nos eſſe peccatores oportere.* Poſt *autẽ hæc reſponſa, Supræfectus iuſsit me vſq; ad domum ſuam ſequi. quò cùm veniſſem, viderémque eius mandato eundum mihi eſſe in carcerem, ab eo quæſiui, an haberet eius rei aliqua mandata aut querelas, crimináque aduerſum me.* Ad *quod is reſpondit, ſe poſtridie mecum locuturum.* [Perfecta luſtratio per Chriſtum.]

Die autem Lunæ, *qui fuit* XII. *eiuſdem menſis,* M.D.LIII. *venerunt in carcerem* Officialis Primatius *(vt vocant) &* Officialis Buatherius, *&* Orrius *inquiſitor, & alij eiuſdem farinæ homines, qui me*

interrogare voluerunt,in primiſque Orrius,qui vt me authoritate officij ſui magis premeret,dicebat ſe à Rege atque Pontifice inquiſitorẽ conſtitutum eſſe.Cui ego & cæteris reſpondi,eis nullum iudicium actionémque in me competere: & quanquam mihi pœnam excommunicationis minarentur,nunquam tamen eos iudices agnoſcere acciperéque volui,ſed ad Suppræfectum Regium ſemper appellaui, paratus ei de mea fide reſpondere cùm is me vellet interrogare.Itaque illi cũ nihil aliud poſſent,me in obſcurum,imò infimum carceris locum demittere volebãt:ſed ego cuſtodem carceris monui vt videret quid ageret. Die veneris XX.eius menſis M.D.LIII.venit Suppræfectus cum Officiali Buatherio & inquiſitore,aliíſque qui me interrogare voluerunt.ſed aduerſus eos refutatione iudiciali vſus ſum,conuerſúſque ad Suppræfectum,ea quæ antea demonſtraui,de mandatis regijs & querelis criminibúſque in me collatis: præterea quis aduerſator mihi eſſet quæſiui: & quòd captus fuiſſem atque in carcerem coniectus,appellaui:eorúmque omnium acta cùm ab eo poſtulaſſem,ſe curaturum mihi promiſit.ſed cùm poſt multa verba facta,is dixiſſet ſe veniſſe vt teſtificaretur Inquiſitorem & cæteros à Rege eſſe conſtitutos, quibus mihi de mea fide reſpondendum eſſet:interrogatus iterum,dixi me credere ea omnia,quæ Eccleſia ſancta fide vera complecteretur:Credere in Deum Patrem omnipotentem,creatorem cæli & terræ,& in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum,conceptum de Spiritu ſancto,natum ex Maria virgine,&c.Credere etiam in Spiritum ſanctum,ſanctam Eccleſiam catholicam,communionẽ Sanctorũ, &c. Tum verò illi inſtabant vt dicerem Eccleſiam Romanam. quibus ego Num,inquam,ſatis eſt dicere Eccleſiam catholicam vt nulla fiat mẽtio cuiuſquam alterius,quam ego non agnoſcam? Quæſiuerunt, quã ego intelligerem Sanctorum communionem,reſpondi, eam communitatem omnium fidelium,qui coniuncti fide,ita vnum corpus efficiunt vt Ieſum Chriſtum habeant:quemadmodum ait Paulus,Calix bene-

1.Cor.10. b.16. *dictionis,cui benedicimus,nónne corporis Ieſu Chriſti communio eſt? nos quidem certè multi vnum corpus ſumus, cùm vnius panis ſimus participes.* Ex eo *progreſsi ſunt ad manducationem carnis & ſanguinis Domini. de qua interrogatus,reſpondi eam ſpiritualem eſſe,ſicut ipſe*

cut ipſe dicit ſe panem vitæ eſſe, qui de cælo deſcendit. qui ad eum venit, non eſurire nec ſitire. i. qui in eum credit. panem quem daturus eſſet, carnem ſuam eſſe, quam pro mundi vita traderet. Item, carnem ſuã verè eſſe cibum, & ſanguinem verè eſſe potum. qui edit ipſius carnem ac ſanguinem bibit, manere in eo, & ipſum in eo. Idem declarãt etiam verba Chriſti quibus Cœnam inſtituit, quæ ab Euangeliſtis, *atque à* Paulo *commemorata oſtendunt verum Cœnæ vſum ſpiritualem eſſe, eúmque ad ſalutarem animarum refectionem & gratiarum actionem eſſe referendum. Tum illi, Num credis, inquiunt, corpus & ſanguinem* Ieſu *Chriſti in pane eſſe, & poſtquam ſacerdos eum cõſecrauit, verè ac certo ibi loco contineri? Panis, inquam, & vinum nobis vt ſigna & arrhæ ad infirmitatem noſtram adiuuandam data ſunt. neque verò mẽtes noſtræ defatigandæ ſunt in his elementis quæ cernuntur, ſed in cælum erigendæ, quô Chriſtus aſcendit, cóque corpus ſuum omni gloria ornatum extulit: neque inde antè ad nos eſt reuerſurus, quàm ad iudicandum viuos & mortuos veniat.*

Panis & vinum signa sunt corporis et sanguinis Jesu Christi in S. Eucharistia.

Quid, inquiunt, de Miſſa *credis? nego, inquam, à* Ieſu *Chriſto inſtitutam, aut aliud iam ſupereſſe nobis ſacrificium cùm Chriſtus ſuo perfunctus ſit, quo vno cætera omnia ſacrificia aboleuit. Neque etiam in* Scriptura, *vlla mentio* Miſsæ *fit: ſed qui illam dicunt, iterum (quãtũ quidẽ in ipſis eſt) Filiũ* Dei *crucifigunt. Quid, inquiunt, annon credis* Papam *caput eſſe eccleſiæ, qui indulgentias conferre poßit? Ego inquam,* Papam *non agnoſco, neque aliud in* Eccleſia *caput agnoſco aut habeo præter* Ieſum *Chriſtum, cuius omnes fideles membra ſunt.* Poſtea *cùm mecum multa alia loquuti eſſent, egerunt vt quæ ipſis reſponderam manu mea ſubſignarem. id quod feci, cùm ea mihi omnia interrogata & reſponſa recitaſſent, etſi non omnino ea ſcriberent quemadmodum ego dixeram.*

Die Sabbathi xxi. *eius menſis redierunt ad me* Suppræfectus, Officialis, *atque* Inquiſitor, *eo conſilio & animo vt me interrogarent.* A *quibus poſtulaui, vt mihi darent ſcripta ea capita, de quibus vellent fidẽ meã cognoſcere, ſimúlque temporis ſpatium quo ad ea reſpõdere poſsẽ.* Id *mihi nunquã concedere voluerũt. ego autẽ id ab illis*

propterea poſtulaui, quòd cùm vellem rationem fidei meæ declarare, illi me in eo impediebant, dicebántque me officio concionatoris fungi velle: cùm tamen illi quæ à me dicta eſſent mendoſè ſcriberent. Hæc *Dymonetus.*

Exemplum literarum, quas idem Dymonetus ad quendam amicum ſuum miſit.

ETſi *amantiſsime frater & amice, ego ſæpe optaui dare ad te literas, quibus te & de meis rebus certiorem facerem & amãter ſalutarem, nunquam tamẽ ſcribere potui duabus de cauſis impeditus, quarum altera fuit ſumma expectatio interrogationis atque reſponſionis meæ, quam àduerſarij non in longum tempus diſtulerunt. altera magna & varia tentatio, quam tum infirmitas carnis meæ mihi attulit, tum etiam parentes mei & propinqui, qui nullam habent veritatis cognitionem: quorum quidem ſtudio, opera, conſilio diabolus magnoperè eſt vſus, ne regnum ipſius &* Antichriſti *eius vicarij vlla in parte diminueretur: quod tamen nunc vehementer conquaſſatur ac labefactatur.* Hoc *autem ita habeto, eos nihil planè prætermiſiſſe quod dici aut fieri poſſet ad auertendum miſerum imbecillúmque hominem, & impediẽdum quò minus ſequeretur tam excellentem vocationem, atque tam præclari operis functionem, ad quam* Deus *&* Pater *omnis miſericordiæ me delegit ac deduxit.* Nã *mihi vna ex parte ſumma tormenta ipſámque mortem proponebant, ex altera parentum noſtrorum ignominiam, dedecus, infamiam.* His *addebãt maximã matris mœſtitiã, quã dicebant dolore mœroréque confectã mori: aliáque multa, quæ longum eſſet ſcribere. quæ quidẽ omnia mihi grauia & acerba ad tolerandũ extitiſſent, niſi* Dominus *me* Spiritu *ſuo confirmaſſet, qui docet nobis matrem, vxorem, liberos, fratres, ſorores, atque etiam vitam noſtram relinquendã eſſe, vt ſequamur optimum ducem noſtrum* Ieſum Chriſtum, *atque pro eius cauſa dimicemus.* Quamobrem *ego vos ſaluto ſumma cum humilitate, & rogo vt* Deum *&* Patrẽ Domini *noſtri* Ieſu Chriſti *oretis vt mihi eam gratiam impertiat, vt ad extremum vſque, conſtantiam fidei ac perſeuerantiã præſtare poſsim, omnéque id in gloriã ipſius & in ſalutem noſtrã atque ædificationem* Eccleſiæ *ita afflictæ deſolatæque redundet.* Ego, *chariſsime frater, mitto ad te exemplum eorum, quæ ego interrogatus aduerſariis reſpondi,*

vt

vt extet apud te ea fidei meæ confeſsio quam Dominus ad ſuam gloriam à me fieri voluit, pro ea exigua gratiæ facultate quam ipſe in me contulit: neque permiſit, vt occultarem talentum quod mihi commiſit & credidit vt illud multiplicem; quemadmodum tu quidē ex meis reſponſis videre poteris, in quibus exiguam doctrinam meam excuſabis. neque enim diu eſt, ex quo Dominus me ad hanc ſui cognitionem vocauit, atque ex denſiſsimis tenebris & vmbra mortis eripuit, in qua maxima pars hominum depreſſa iacet. Dominus gratiam & pacem ſuam tibi impertiat. Frater noſter Petrus Bergierus ſe etiam atque etiam veſtris precibus commendat, ſicut nos hoc in genere vos habemus commendatos, precéſque pro vobis ad Deum cum beneuolentia & charitate adhibemus. Matthæus Dymonetus Euangelij nomine captiuus.

Epiſtola Ioannis Caluini ad eundem miſſa.

ETſi chariſsime frater, mihi hoc quidem tempore id certamen ſuſtinendum non ſit, in quo tu nunc verſaris: ſpero tamen & confido te hanc meam exhortationem non minus libenter accepturum quàm ſi ego tecum captiuus eſſem. Neque ſtudium ad te ſcribendi aliunde fuit profectum, aut re alia incitatum, quàm ea communione ac ſocietate, quæ nobis cum Chriſto, atque eius Euangelio, membríſque eiuſdem omnibus ita cōſtituta eſt vt omnes & conſolationes & afflictiones communes habeamus & ſentiamus. Magnoperè autem te hortor & rogo, vt eam ſuſcipias cogitationem, qua te in voluntatem optimi Patris cæleſtis totum permittas, qui vnumquemque noſtrûm ad eum ordinem ac locum, ad quem ei videtur, vocare ſolet. Interdum filijs ſuis paternè indulget, quoad illos ita tractatos, quaſi longa manu ad id quod vult planè conformauerit. quemadmodum audimus Petro ore magni Magiſtri dictum eſſe, Cùm conſenueris, te eô quô nolles ducēt. Interdum accidit vt tyrones rudéſque accipiat, eos quidem certè qui in hoc certaminum genere non magnoperè ac longo tempore exercitati fuerant. Vtcunque ſit, hoc quidem ineſt boni, quòd is non minus potens eſt ad declarandam exhibendámq; virtutem in hominibus infirmis ac debilibus vt eos momēto temporis inuictos reddat, quàm ad eandem continuandam in ijs, qui iandiu eā ſenſerunt. Neque enim tu,

quemadmodũ intelligo, è numero eorũ es, qui in primis ad agnitionem ipſius Dei *vocati ſunt: ſed tamen* Deus *te in medium producat, vt teſtis ipſius ſis.* In *prima autem hoſtilíque aggreſsione* Dominus *huiuſmodi virtutem & conſtantiam tibi dedit, vt inimici veritatis facilè in te agnouerint eam* Ieſu Chriſti *notam, quam ipſi ferre nullo modo poſsũt.* Neque *verò ignoro, ſed pro mea ſingulari erga te beneuolẽtia ac* συμπαθείᾳ, *quam tibi debeo, planè ſentio eos nouos impetus quos inimicus ſathã in te facit: ſed oportet confugere ad eum, qui iam tam præclarè cœpit, eúmque orare vt opus in te ſuum perficiat. Si tu ſuſtines multas & magnas tentationes, id non debes admirari, etiamſi tantam ſentias in teipſo fragilitatem, vt quodãmodo vacillare videaris. Quin potius cognoſce te hac ratione à*Deo *humiliari, vt eius auxilium in neceſsitate melius perſpiciatur. deinde vt tu hoc modo ad inuocandum eius nomẽ magis magíſque ſoliciteris, eóque adducaris, vt ad eius vnius gratiam atque opem omne tuum perfugium abeas, quemadmodũ neceſſe eſt vt vi quadam nos cô cõpellamur.* Nec *verò dubito quin extrinſecus huiuſmodi homines adhibeantur, qui ad accendendum ignem faces ſubijciant, qui prætextu quidem amicitiæ ac propinquitatis erunt tibi infeſtiſsimi omnium, & maximè capitales inimici.* Vt *enim corpus conſeruent, id agent, quantum quidem in ipſis erit, vt animam in exitium conijciant.* Accedit *his, quòd in ingenio humano huiuſmodi eſt officina falacium opinionum & cogitationum, quæ nullam aliam vim habent quàm vt perturbent eam quietem quam nos in ſancta* Dei *noſtri vocatione habere debemus.* Is *autem nobis præcipit, vt auerſi à cæteris omnibus rebus, in ipſum vnum, quemadmodum eſt æquum, oculos noſtros conijciamus, eúmque ſolum reſpiciamus.* Quare *opus eſt ad omnem vim repellendam, vt tu omni ex parte armatus ac munitus ſis.* Neque *verò vlla cauſa eſt cur conſterneris, cùm* Deus *promiſerit ſe ſuos ita armaturum, vt eos ſathan aggredi vereatur.* Tantummodo *te eius fidei virtutíque cõmitte, ac diffidens tibiipſi omnibúſque tuis viribus, ſpera & confide eum ad te tuendũ vim ſatis magnam habiturũ.* Cæterùm *duo tibi imprimis ſunt ſpectãda. primùm, quæ cauſa eſt ea quam tu defendis. deinde quæ gloriæ corona propoſita eſt iis, qui in confeſsione* Euangelij *ſe conſtanter geſſerint.* Eſt *enim tota ratio cul-*

Reiicienda in Deum fiducia.

tus

tus Dei & gratia quã nobis in Chriſto declarauit, totáq; regni ipſius gloria, res adeò præclara ac pretioſa, vt mortalis homo nõ moleſtè grauitérq; ferre debeat, ſi vitã impendat ſuã ad dimicandũ contra omnes corruptelas quæ in mũdum introductæ, ad ea quæ propoſuimus abolenda ſummã vim habent. Deinde, *nos ſcimus quis exitus omniũ certaminũ noſtrorũ futurus eſt, & quòd is à quo ſumus redempti, nunquã patietur vt tantũ pretium, quantũ eſt ſanguinis ipſius pro nobis effuſi, vnquã pereat: cùm nos eius ſignum in animis noſtris vitáque impreſſũ habuerimus.* Nos *autem ſcimus, quos pro ſuis recognoſcat, ac teſtatur ſe in nouiſſimo die recogniturum, eos nimirum omnes qui eum in hoc mundo confeſſi fuerunt.* Nondum *quidẽ nobis notum eſt quid is de te conſtituerit: ſed nihil omnino melius eſt, quàm vitam te ei tuam in ſacrificium offerre, paratum eam linquere cùm ipſe voluerit: ſperare tamen illum tandiu eam conſeruaturum, quandiu ad ſalutẽ tuam pertinere iudicabit.* Hoc *autem quàmuis ſit carni difficile ac graue, eſt tamen eiuſmodi vt in eo pij ac fideles homines poſſint conquieſcere.* Ac *orandus eſt tibi optimus benigniſſimúſque* Deus, *vt id in corde tuo ita imprimat, vt nunquam ex eo deleri poſſit.* Nos *quidem pro noſtro officio eum oramus, vt eam vim virtutis ſuæ in animo tuo efficiat, cúmque ita afficiat, vt planè perſuaſus eſſe poſſis, te ſub tutela eius eſſe: idémque furorem inimicorum tuorum reprimat, ſéque omnibus in rebus* Deum *tuum ac* Patrem *oſtendat.* Quoniam *autem intelligo* Petrum *Bergierum in eodem carcere tecum eſſe, te rogo, vt ei ex me plurimum ſalutis dicas, cum eóque has literas communices. pergamus ſemper, donec ad metam nobis conſtitutam perueniamus, atque in regnum æternum recolligamur.*

Vnũ *ego oblitus eram te monere, vt inimicis pro ea fidei menſura, quã* Dominus *tibi dedit, modeſtè reuerẽtérq; reſpõdeas, hoc autẽ propterea dico, quòd facultas ſubtiliter accuratéq; diſputãdi nõ omnibus cõceſſa & data eſt.* Neq; *etiã martyres magnoperè eruditi ac ſubtiles extiterũt, vt in aliquas difficiles obſcuráſq; diſputationes quæſtionéſq; ingrederẽtur.* Ita *tu modeſtè te ſubmittẽs gubernationi* Spiritus Dei, *cum omni ſobrietate ac moderatione reſponde, conſeruans eã* Scripturæ *regulam,* Credidi, *propterea loquar.* Neque *tamen impediat, quò*

minus tu liberè atque integrè loquaris, hoc planè ſtatuens, eum qui promiſit ſe nobis daturũ os & huiuſmodi ſapientiã, cui aduerſarij reſiſtere non potuerunt, tibi nunquam defuturum.

Altera epiſtola Ioan. Cal. miſſa ad eos captiuos pro verbo Dei, quorum mentio paulò antè facta eſt.

CHariſsimi fratres, nos cùm intellexiſſemus quid inimici veritatis de cauſa veſtra concluſerint, atque ſtatuerint: in maiore animi dolore, cura ac ſolicitudine, quàm vnquam antea, verſati ſumus. Cùm autem is dominus, quem vos non ignoratis, hâc tranſiret, dum pranderet, ne eius diſceſſum retardarem, confeci celeriter eam literarum formam, quæ mihi ad ſcribendum accommodata & vtilis eſſe videbatur. Deus autem tam nobis quàm cæteris ſuis omnibus dedit aliquod ſpatium reſpirandi. Nos quidem eum exitum expectamus, quem ipſe dare voluerit, eúmque ſemper oramus vt vos manu valida prehenſos tueatur, neque permittat vt vnquam deficiatis, denique vos in ſua tutela cuſtodiáque perpetuò habeat. Equidem mihi planè perſuaſi nullam vim tantam futuram, quæ eam virtutem, quam ille in vos cõtulit, commoueat aut labefactet. Vos quidem iandiu antè præmeditati eſtis illud poſtremum certamen, quod ſubituri eſtis, ſi optimus Deus vos eô deducere voluerit. quin etiam hactenus pro ſancto eius nomine ita dimicaſtis, vt longus iam vſus obfirmare potuerit, vt quod reſtat, omni animi ſtudio perſequamini. Qua in re fieri non poteſt quin aliquos fragilitatis veſtros aculeos ſentiatis. Sed cõfidite eũ cui ſeruitis, ita in cordibus veſtris per Spiritũ ſanctũ ſuũ dominaturũ, vt eius gratia ſit omnes tentationes ſuperatura. Etenim ſi is promiſit ſe eos in patientia cõfirmaturũ, qui pro ſuis peccatis aliquas caſtigationes patiũtur, quomodo ijs vnquam deerit qui pro ſua cauſa affligũtur, quorúmq; opera & vita in re tã ſancta ac præclara vtitur vt teſtes veritatis ipſius cõſtituantur? Itaq; memoria tenete, quòd is qui habitat in vobis, mũdo fortior ac potẽtior eſt. Nos officiũ noſtrũ præſtabimus, eum orando vt nomen eius veſtra conſtãtia fiat illuſtrius ac glorioſius, cõſolationéq; eius Spiritus mitigetur atq; amabile reddatur quicquid carni amarũ eſt: itaque ſenſus ad ſe veſtros rapiat, vt intuentes coronã illã cæleſtẽ, ſitis parati quicquid eſt mũdi abijcere. Ego accepi quandam

quandam chartam, in qua ſubtilia argumenta continentur illius miſerrimi ac ſtolidiſſimi hominis Orrii, quibus probare vult, licere idola ac ſimulachra facere. atqui neſcio, an vos eam mihi miſeritis & an me ei reſpondere vultis, quæ fuit cauſa vt nihil in eo attingere voluerim, cùm de voluntate veſtra mihi planè non conſtaret. Illud quidem ego exiſtimo vos non magnoperè ea reſponſione indigere. Sed ſi eam deſideraueritis, mittam vobis per eum qui primus ad vos proficiſcetur. Ego fratres, Deum noſtrum benigniſſimum oro vt vos in ſua protectione perpetuò retineat, omnibus in rebus adiuuet, efficiátque vt ipſum reipſa atque experientia patrem veſtrum eſſe ſentiatis, ac planè cognoſcatis quàm pretioſam & charam ſalutem ſuorum habeat. Me autem veſtris precibus etiam atq; etiam commẽdo. VII. Mart. M.D.LIII. Orrii ſophiſtice.

Sed ad Dymonetum redeamus: in quo quidẽ facilè perſpici poteſt, quemadmodum Deus electos ſuos ad ſe exiguo temporis ſpatio & momento attrahat. Ille enim qui paulò antè ad cognitionem Euangelij adductus fuerat, eiúſque nomine in carcerem coniectus, cùm ibi acerrimos impetus parentũ ac iudicũ, qui incolumitate propoſita eum à fidei propoſito volebãt abducere, conſtãter repuliſſet, ad vltimũ ſupplicium duct⁹ eſt, die Sabbathi, XV. Iul. M.D.LIII. Ibi autem cùm eſſet, multa populo demonſtrauit, imprimíſque impium Miſſæ Purgatorijq; abuſum: ita vt placidè & ſummo cum ſilentio ab omnibus auditus fuerit. Deinde lætus inuocans ſemper Domini nomen, genus mortis vſitatum ſumma animi æquitate & patientia perpeſſus eſt.

Liber ſeptimus Actionũ

MARTYRVM.

GVLIELMVS NEEL.

PRAETER cæteros præſtantes pietate viros, qui fidelibus Northmaniæ cùm doctrinæ ſynceritate tum vitæ integritate præluxerũt, egregi⁹ extitit Dei ſeruus Gulielmus Neelus: qui ſectæ antea Auguſtinianæ monachus, poſteaquam cognitione veritatis donatus fuiſſet, non deſtitit omnibus quibuſcunque fieri

poſſet, modis docere atque promulgare Euangelium Filij Dei. Quodã itaque die Rothomago, cuius vrbis ciuis erat, diſcedens, trãſijt per oppidum Aurincenſe, quúmque veniſſet ad pagum quendam cui nomen erat Nonancurtum, in diuerſorium ſe recepit vt vires cibo atque potu reficeret, ibi reperiens plures ſacrificos qui ſe vino ingurgitabant, multáque indecorè effœminatéq; fecerant: hos beneuolè reprehendit atque inſtituit, quemadmodum paßim per hoſpitia ipſum feciſſe cõſtat. Quum autem videret iſtos ſacerdotes adeò impunè metas honeſtatis tranſilire, non ſolùm mores eorum impuros, ſed etiam doctrinam inſectatus eſt. Quod ægreferẽs Decanus Ilierẽſis qui aderat, dictus vulgò Legoux, hũc mox cõprehẽdi iuſsit, Aurincũq; deduci: quo in loco in carcerẽ Epiſcopi cõiectus fuit, atq; de fide primùm interrogatus per Pœnitentiariũ Aurincenſem M. Simonem Vigorem, hominem eruditũ: qui libros eorum qui purè de religione Chriſtiana ſcripſerũt, legit. ſed varijs tum honorum tum pecuniæ ſtudijs diſtrahitur: nec tamẽ veritatis hoſtis aut perſecutor haberi nec dici vult. Neelus corã hoc pœnitentiario veritatem confeſſus eſt non modò in omnibus articulis qui proponebantur: verumetiam eos quos Papiſtæ mordicus defendunt, authoritate Scripturæ confutauit. idque toto Quadrageſimæ tempore ſingulis ferè diebus fecit, quo quidem tempore Pœnitentiarius ille, animum Neeli varijs diſputationibus labefactare ſtuduit: ſed fruſtra tamen: nam iſte conſtanter vſque in finem veritatis partes tuitus eſt. Sæpenumerò Pœnitentiarius eum monebat, & blandè admodum hortabatur vt ſe reuocaret, vitæ incolumitatem illi promittens. Cùm diſquiſitioni intereſſet aliquando Epiſcopus Aurincenſis, nec apud Neelum proficeret quicquam Pœnitentiarius: Mi amice, aiebat hic, caue verbo vllo tuam conſcientiam læſeris. Tandem poſt multas percontationes (vt tergiuerſationis & fuci quo Pœnitentiarius veritatem occultare conabatur, anſam tolleret) Neelus poſtulauit ſibi dari poteſtatem mandandi chartæ quicquid de religione ſentiret. Pœnitentiarius non recuſauit, ſed illi certos dies præſcribi optauit quibus ſuam ſententiam de religione deſcriberet. Neelus itaque hanc nactus opportunitatem, diligenter præcipuos articulos de quibus antea diſputatum erat, papyro commiſit. Ac primùm de Sacramento altaris, quòd vocãt, inter-

nterrogatus ſcripſit in hanc rationem.

Vera Cœnæ inſtitutio eſt eiuſmodi:Ieſus Chriſtus accepit panem, eundémq; fregit, & poſtquam gratias egiſſet, dixit, Accipite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur.facite hoc in mei memoriam.Itidem de calice dixit,Prehēdite, ſumite omnes:hic eſt ſanguis me⁹ qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.Horum nos verborū expendere oportet vim atque dignitatem.nam quò maior & præſtantior res eſt,eò curandum eſt diligentius vt integra & ſyncera conſeruetur néue quo modo corrumpatur.Ieſus autem inſtituit & dedit Eccleſiæ conſeruandum ſacramentum, vt meminerit ſeſe redemptam à morte peccati per ſacrificium corporis illius:quemadmodum ait Apoſtolus quòd ſeipſum obtulerit ſemel, nec amplius morietur. Conſideremus igitur hæc attentius, vt in memoria habeamus, eum effudiſſe ſuum ſanguinem, quem obtulit Deo Patri in remiſsionem peccatorum Eccleſiæ ſuæ ſemel,vt in perpetuum eam ſaluam faceret. In hac ſacra Cœna Chriſtus ſe magiſtrum, Eccleſia verò ancillam exhibet: nimirum vt palàm fiat ei deberi obedientiam,& quicquid præceperit præſtetur.vt par eſt magiſtrum imperare,ſeruum parere & facere quod ille præceperit. Deinde idem Chriſtus ſe ſponſum Eccleſiæ declarat, quam ſingulari ductus amore ſponſam ſibi aſciſcit legitimam: officiū autem fidelis ſponſæ eſt conſentire,& quod ſponſo placuerit præſtare ipſa debet:alioqui non rectè fidelis,humilis ac docilis,ſed contrà fœdifraga, ſuperba & contumax iurè dicetur. Præterea Chriſtus hac in Cœna patris officio fungitur,quod eſt alere ſuos filios: dum ſcilicet corpus & ſanguinem(quorum ſymbola ſunt panis & vinum)præbet, qui cibus eſt incorruptus atque æternus. Dictum eſt quòd acceperit panem ac vinum,dicendo,Hoc eſt corpus meum & ſanguis meus,cōedite & bibite omnes: quibus verbis inſtruere voluit ſuos diſcipulos quorum ignorātiam & tarditatem ingenij probè callebat. quos quum ea quæ carnis ſunt ſaperēt magis quàm quæ Spiritus, cùm ſæpè aliâs reprehendit, tum etiam quum loqueretur de cibis: ea nempe quæ per os intrant non inquinare animam. præterea quum ſimilitudinem ſerentis & alia ipſis ob oculos poneret, quæ capere non poterant.nec reuera fieri poteſt vt qui ſumus animales, ſpiritualia intelligamus,niſi De⁹

qui Spiritus eſt, mentis oculos nobis aperiat vt ea quæ ſpiritus ſunt dignoſcamus. quod ſatis liquet exẽplo Nicodemi *qui licet inſignis nomodidaſcalus eſſet, tamẽ verba Chriſti percipere nequiuit, Quòd qui regnum cælorum ingredi vellet, eum iterum naſci oporteret.* Dominus *itaque imbecillitatis noſtræ rationem habens, in Cœna ſua proponit ea quæ & oculis videri & manibus tangi queant, vt nobis det notitiam rei quæ viſu minimè percipitur, quæq; in animis noſtris habitat, animáſque noſtras nutrit, corporis ſcilicet & ſanguinis ſui, quæ nullis externis ſenſibus, ſed ſpiritualiter tantùm percipi poſſunt. proinde omnino viua fide opus eſt: alioqui non vita ſed altera mors eſt.*

N*unc autem videamus quomodo* Chriſtus *ſe* Magiſtrum, *Sponſum &* Patrem *exhibeat his verbis,* Accipite *& comedite: hoc eſt corpus meũ.* Quicunque Chriſti *ſeruus obſequens & diſcipulus, filius aut vxor eſſe vult, neceſſe eſt ſumat, comedat corpus eius, & ſanguinẽ eius bibat. non quidem ex opinione* Scribarum *&* Phariſæorum *vt dentibus conterant, atque in ſtomachum traijciant, quo modo caro edi & vinum bibi ſolent: de quo poſtea latius. nunc autem ſtudioſè dictum & præceptum* Ieſu Chriſti *inſpiciamus, ne fortè quis hallucinetur:* Chriſtus *exhibens panẽ, demonſtrabat corpus ſuũ panem eſſe cæleſtem qui ſolus animas paſcit, vt panis materialis corpus tantummodò nutrire poteſt: præbens deinde vinum, ſignificabat ſanguinem ſuum eſſe potum animæ laborantis ſiti quam ex æſtu peccatorum contrahit. ſãguis enim* Chriſti *reficit nos & recreat, dum peccatum pellit, animam accendit bono zelo & affectu, haud ſecius quàm vinum ſitim reſtinguit, corpúſque totum calefacit, oblectat atq; firmius reddit.* Hæc *autem nobis in animo cogitanda ſunt, quando panem & vinum in* Cœna *noſtris oculis cernimus: quibus indignè veſcimur, niſi erigamus mentem ad ea quæ nobis offert* Chriſtus, *corpus videlicet & ſanguinem ſuum in paſtum ſpiritualem. neq; enim anima eo quo corpus noſtrum pane materiali ſuſtentatur, quoniam ipſa ſpiritus eſt.* Iã *dixi* Chriſto *parendum ob cauſas ſuprà dictas, qui ait,* Accipite, *comedite: non autem,* Prehendite *corpus meum & ex eo ſacrificium facite ad remiſſionem peccatorũ, ac deinde ipſum comedite: id profectò veteres* Legis *ceremonias referret, quum* Presbyteri *&* Sacrificatores *oblatas* Deo

victimas

victimas quaſdam edebant ipſi, alias adolebāt, nonnullas dimittebāt: in quo figura extabat ſacrificij quod Chriſtus corpore ſuo fecit ad plenam atque perfectā omnium fidelium ſalutem. & quia ſacrificium, quod Chriſtus ſemel fecit, æternum eſt, quo ſeruat electos non in hoc ſeculo tantùm, ſed in vitam æternam reſtituit: Chriſtianorum eſt accipere, comedere, non autem offerre: ſiquidem Chriſtus ſeipſum obtulit, qui non corpus noſtrum & vētrem ſed animam paſcit. proinde talem ipſum comprehendamus qualem ſe nobis præſtat, & ne fraudemus ſpiritum ſuo pabulo quod fide ſumit. Commendemus autem animam cum corpore Patri per dilectum eius Filium qui ſuo ſacrificio ſemel plenè ei ſatisfecit pro omnibus peccatis noſtris, quorum non recordabitur in æternum. nam accepto hoc ſacrificio, nos ſimul pro iuſtis in gratiam recepit, adeò vt Chriſtus cùm corpus ſuum & ſanguinem dedit quo nos reficeret, ſua & ſe totum nobis tradiderit qui peccatorum noſtrorum reatum ſubijt. Itaque ipſe qui iuſtus eſt, ac gratus Deo Patri ſuo, nos quoque iuſtos & acceptos Deo Patri ſuo & per eundem noſtro, effecit: cui gloria & honor in ſecula, Amen.

Rogatus fuit annon crederet corpus Ieſu Chriſti eſſe in ſacramento altaris realiter & verè quemadmodum prodijt ex vtero Virginis Mariæ, & poſtea in orbe concionatus eſt, idem qui comedit & bibit in Cœna, denique qui in cruce pependit: ánne eo modo diceret in ſacramēto ſumendum. Ad hoc ille reſpondit ſe nulla ratione induci poſſe vt ita crederet. id enim planè Scripturæ ac fidei repugnare, in qua habemus Chriſtum natum de Virgine, vbera matris ſuxiſſe: atque dum cōcionaretur, paſſum eſſe famem, ſitim, calorem, frigus. tum etiam maledictioni crucis fuiſſe obnoxium, quia mortalis erat, nec adhuc reſurrexerat. In hoc ſtatu dum adhuc eſſet, nos etiam in morte manebamus: quandoquidem vt nos è faucibus mortis eriperet vitæque reſtitueret, mori ipſum atque ſuperata morte in vitam excitari oportuit. horrenda igitur hæreſis eſt, quòd ita corpus Chriſti comedendum aſſeritis. Atqui ſi verum prædicaretis, error eſſet manifeſtus, quia eum mortuum & reſuſcitatum credimus corpore nunc immortali & glorioſo frui. Confiteor quidem, inquit, ipſum in cælis ad dexterā Dei Patris idem habere corpus quod e Virginis vtero extulit, immutatis De Cœna.

tamen corporis qualitatibus, nec enim corpus comedimus quale ſumpſit in vtero Virginis, ſed quale nunc reſidet ad dexteram Dei Patris: alioqui nullum eßet in Eccleſia Sacramentum. nec enim Cœna nec Baptiſmus ſacramenta cenſerentur, quorum vis omnis & efficacia in ſanguine, morte & reſurrectione Chriſti ſita eſt. Proinde ipſorum opinionem dicebat merum eßе Sathanæ commentum, eíque ſe, quia pater eſt mendacij & omnis maledictionis, nullo pacto fidem adhibiturum.

De purgatorio.

De purgatorio autem ſic reſpondit, ſe ad extremum vſque Spiritũ confiteri ac tueri velle ſanguinem Chriſti pro nobis effuſum, ſolum & perfectum eſſe purgatoriũ, qui purgat filios Dei ab omnibus iniquitatibus. ídque probabat locis Scripturæ ad Hebr. I.V.VI. *& Canonica Iacobi, oſtendens Chriſtianum ſimulac ex hac vita migraret, omnibus iam purgatum ac liberatum cruciatibus rectà ingredi requiem quàmprimum anima ex corpore diſceßit. ſcriptum eſt apud Ezechielem, Quo loco arbor ceciderit, in eo etiam manebit, id eſt, Si homo in gratia Domini nõ moritur, manebit in loco omnis gratiæ experte, inferno videlicet. nam gratia Dei, inquit Diuus Paulus, ſalui eſtis per fidem: donum Dei eſt. non operibus ne quis glorietur. atque idem ad Titum, Secundum miſericordiam ſuam ipſe nos ſaluos fecit. Deus autem nunquam miſericordia ſua reſpicit peccatorem, quin animam puriorẽ reddat. Quiſquis ergo moritur gratia & miſericordia Dei donatus, quum purus ac vacuus ſit à peccatis, nónne ſalutem conſequetur? nihil profectò certius. Recitantur apud Ioannem ipſa Chriſti verba: Ego ſum reſurrectio & vita. qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet: & qui viuit & credit in me, non morietur vnquam. Ieſus Chriſtus hoc loco ſe profitetur eſſe reſurrectionem & vitam, deinde proponit duo genera mortis, vnam corporalem alteram æternam. Ac quum ſe reſurrectionem eſſe fatetur, nõ de generali loquitur qua omnes ad extremum iudicium reſurgent: non quidem ad vitam vniuerſi, quia reprobis qui morte perierunt æterna nulla vitæ ſpes eſt reliqua. Sequitur ergo, verba Ieſu Chriſti referenda eßе ad eum qui in viua fide moritur, quem ipſe poſt hanc mortem corporis traducit in vitam æternam. quod quidem ipſe declarat, quum dicit,*

cit, Qui credit in me etiamſi mortuus fuerit viuet, adeò vt mortuo corpore, ſpiritus vitæ initium faciat. quæ vita haud dubiè æterna eſt, in qua Purgatorij nullus metus erit. nam id ipſe pòſt teſtatur, Qui viuit & in me credit, non morietur vnquam mortem alteram, quæ eſt inferno. In eodem Euangelio recitatur, quòd quiſquis credit in Filium Dei non venturus ſit in iudicium, ſed à morte in vitam tranſibit. Conſtat his locis, credenti poſt mortem nullum vſquam reſtare Purgatorium. nam ſi, etiam dum hac luce fruitur, vita donatur æterna: plena ſanè fruitione doni ſibi à Chriſto in hac terra promiſſi potitur, poſtquam anima ex hoc corpore euolauit. pijs enim, vt patet ex hac Chriſti oratione, mors corporis tantummodò tranſitus eſt ad vitam. Huc ſpectat illud Apocalypſeos, Beatos eſſe qui in Domino moriuntur, de fidelibus nimirum loquens, quos ſolos vita manet æterna. quotquot ergo priuati ea beatitudine aliô concedunt, miſeros atque infelices eſſe oportet.

Cæterùm quum nos à peccatis ſolo Chriſti ſanguine purgari affirmo, non eximo planè Chriſtianos ærumnis in hoc mundo ferendis. Iuſtus eſt enim Dominus ſimul & miſericors. Si iuſtitiam ipſius ſpectemus, omnes merito peccatorum noſtrorum, deuoti ſumus exitio, ſed miſericordia qua liberè cuius vult miſeretur, mutat æternas pœnas leuioribus in hoc mundo plagis. idque exemplo docemur Dauidis, qui commiſſo adulterio ſe morti æternæ obnoxium reddiderat. iuxta illud, quòd nec adulteri nec fornicatores vnquam regni cœleſtis hæreditatem accipient: attamen Dauid haudquaquam damnatus eſt, ſed miſericordia Dei abſolutus atque ſeruatus, qui illum pœnis temporarijs affecit, vt æternis liberaret: Hinc dolores & anguſtiæ graues quas tulit mortuo infante: Et aliâs ob delictum ſuum ingens populi ipſius multitudo peſte interijt. Idem in alijs ſeruis Dei perſpici poteſt, quos varijs miſerijs exercet prout ei viſum fuerit. Igne afflictionum eos velut in fornace refingit, déque ijs ſic experimentum facit. Atque Dei noſtri & Patris amor erga nos ſingularis in eo ſpectatur. caſtigat enim (vt ſcriptum eſt) quos amat: nimirum vt ſentientes ferulas, contrito atque humili corde ad ipſum redeant &

miſericordiam ipſius implorent. Itaque *quum eos videt triſtes & dolentes ob delicta, protinus omnium iniquitatum ipſorum obliuiſcitur: imò in memoriam deinceps non reuocat, quemadmodum ipſemet per* Prophetam *teſtatur. Quod ad filios* Dei *attinet abiectos & contritos, certum eſt eos moriẽdo vitam æternam poßidere. quare bono iure* Da-
Pſal.32. *uid omnes beatos prædicat quorũ remiſſa ſunt peccata: & alibi quoque meritò beatum cenſet eum cui* Dominus *non imputauit peccatum.* Dauid *his locis de beatitudine loquitur non quæ à leui ſpe & promiſſione fallaci pendet: ſed eam effert felicitatem, quam homo contritus atque humilis adipiſcitur mox vt ex hoc corpore diſceßit: quippe qui merito* Ieſu Chriſti *omnibus pœnis quæ poſt hanc vitã impios manent, exemptus eſt. Chriſtus enim, vt inquit* Paulus, *iuſtitia noſtra eſt quæ nos iuſtos facit, noſtra ſanctificatio & redẽptio. adhæc vt* Propheta
Hab.2.a.4. *ait,* Iuſtus *ex fide ſua viuet. proinde cùm iuſtus ſit & in hoc mundo viuat, nónne relicto mundo vitam victurus eſt longè perfectiorem?* Id *ſanè nemo negare poteſt quin ſe profeſſũ veritatis hoſtẽ declaret.* Po*ſtremò huc ſermo rediit, vt dicerem me tantùm in ſanguine* Ieſu Chri*ſti purgationem quærere, quia id mihi profectò maximè idoneũ cenſerem purgatorium: eo qui vti nolet, valeat. hîc mihi obiecerũt aduer-*
Philipp.2. b.10. *ſarij vt ſuum aſtruerent purgatorium, locum ad* Philippenſes: Omne *genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. atque ibi infernum accipi pro ipſorum purgatorio volebant: verùm id nequaquã ipſis conceßi. nam ibi* Paulus *non de illo purgatorio ſermonem habet: ſed egregiam* Chriſti *gloriã diuinis laudibus proſequitur, & triumphum canit quo ille potitus eſt per mortem crucis: adeò vt omnis creatura* Angeli *ſimul & homines, atque etiam inferi, qui ſunt ipſi diaboli, cogantur confiteri* Ieſum Chriſtum *propria victoria ad cælos aſcendiſſe, atque nunc regnũ gloriæ* Dei Patris *ſui poßidere noſtro nomine, quia carnem noſtram quam aſſumpſit, eô extulit. Quocirca neutiquam dubitare debemus quin ſalui futuri ſimus, modò viuam fidẽ retineamus: ſiquidem ille conſcientias noſtras ab omni peccato purgauit: cui honor & gloria ſit in-perpetuum,* Amen.

Dictum illud Auguſtini, *quòd ſcilicet non crederetur* Euangelio, *niſi* Eccleſia *illud pro* Euangelio *recepiſſet: inter alias quæſtiones ei*

propo-

propoſitum fuit, vt quid de eo ſentiret intelligere poßent aduerſarij. Ipſe verò in hanc rationem reſpondit, Ea *eſt* Euangelij *virtus & dignitas vt omnium creaturarum cæleſtium æquè atque terreſtrium adminiculis facilè carere poßit: ídque propter admirabilem potentiam qua repletum eſt. in eo namque reconditi ſunt theſauri atque diuitiæ* Dei: *vt ſunt promißiones de remißione peccatorum, & de quiete æterna per eiuſdem miſericordiam nobis factæ. Quòd ſi fide non ficta* Euangelium *iſtud ſanctum pro* Euangelio *ſalutis, vt re ipſa eſt, amplectamur, non reperietur alibi euangelium quod ſeruet animas, quæ eſt potentia huius* Euangelij, *vt teſtati ſunt* S. Iacobus, S. Paulus, *&* S. Petrus: *in quibus nulla erat authoritas, virt' neque dignitas antequã à Chriſto vocati eſſent. nam miſeri piſcatores erant, nullius exiſtimationis homines, vt pote idiotæ & literarũ imperiti.* Poſtquam Deo *viſum eſt eos vocare vt pro Apoſtolis haberet, tum in magnam dignitatem & potentiam* Euangelij *ſui virtute euexit, conſtituens eos legatos & præcones ad publicandum nomen ſuum per vniuerſum orbem terrarum, cum mandatis iſtis,* Ite *& prædicate* Euangelium *omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, & qui non crediderit damnabitur.* Videtis *igitur ad quem dignitatis gradum peruenerint Apoſtoli per Euangelium. nam in hoc Spiritum ſanctum* Dominus *ſemel ſub viſibili ſpecie linguarum ignearum diſſectarum, ijs contulit, vt per omnes populos diſpergerent quod ipſis traditum fuerat, atque in beatam vnitatem homines huc illuc palatos reuocarent.* Nec *verò aliud ipſos per orbẽ docere voluit Chriſtus, quàm Euangeliũ quod eſt verbum* Dei Patris *ſui: dicens, Sicut miſit me* Pater, *ita & ego mitto vos.* Apud *Eſa. certũ extat de Chriſto miſſo teſtimonium vbi ſic loquens introducitur, Spiritus* Domini *ſuper me, & me miſit vt euangelizem pauperibus. eadẽ ratione de Apoſtolis apertè habemus Chriſti mandatũ,* Ite *& publicate* Euãgeliũ *omni creaturæ.* Atq; *ex* Euangelij *doctrina conſtat penes ſolum* Deũ *eſſe, remittere peccata: qui ſic per os Prophetæ ſui Eſaiæ de ſe ipſe loquitur, Ego ſum qui deleo iniquitates propter me, nec eſt vllus alius. itẽ* S. Ioan. *non recitat Scribas & Phariſæos vnquã eô arrogantiæ veniſſe, vt dice-*

Euangelĩi elogium.

rent ſe remittere peccata: quin potius cum indignatione ita exclamaſſe: Quiſnam peccata condonat, niſi ſolus Deus? *non eſt igitur in homine ſitum remittere alteri delicta. nam quod* Chriſtus *ait diſcipulis ſuis: Quicquid ſolueritis ſoluetur, quódq; ligaueritis ligatum manebit, id potentiæ verbi diuini ipſis commiſsi attribuēdū eſt, in quo verbo ſalus & vita conſiſtit.* Neque *enim legimus* Petrū *aut diſcipulorum aliquem antequam ad munus* Apoſtolicum *vocati eſſent, miracula aut ſigna edidiſſe, ſed tum demùm cùm à* Domino *authoritas ipſis data eſt prædicandi* Euangelij *vbique gentium. idque publicè & apertè, vel (vt eſt apud* Matth.) *ſuper tecta: non verò tectè aut in aurem, quomodo ſacrificis confeſsio inſuſurratur.* Euangelium *enim ad communem omnium ſalutem datum eſt. proinde liberè & palàm illud profiteri debemus, vbicunque terrarū degamus.* Veritas *autem verbi* Dei *facilè perſpicitur ex ſermone quē habuit* Petrus *ad claudum illum ab vtero matris ſuæ,* In *nomine* Ieſu Chriſti Nazareni *ſurge & ambula: atque ita protinus factū eſt. deinde* Petrus *videns populum attonitum, negauit claudum propria ipſorum potentia vel pietate ambulare, ſed in fide nominis* Ieſu Chriſti *(quē illi crucifixerant) ſtabilitas homini plantas.* Idem *de omni opere diuino quod* Deus *per ipſos paſsim fecit, ſemper teſtificati ſunt* Apoſtoli *nihil ſibi arrogantes, omnem virtutem atque honorē* Euāgelicæ *prædicationi deferentes.* Quantū *autem ab hac ſimplicitate abſint ij qui ſe tamen iſtorum ſucceſſores iactitant, ſatis omnibus notum eſt. nam quod illi dicunt,* Non *crederem* Euangelio *niſi eccleſia* Euangelium *recepiſſet: hæc verba profectò abundè declarant eos ſibi plus potentiæ aſcribere quàm verbo* Dei. *imò hac oratione profitentur ſe id abolere poſſe, non ſecus quàm ſi dicerent,* Nos *ſumus* Eccleſia, *quod ſi nos* Euangelium *reijceremus, iam* Euangelium *eſſe deſineret.* Quod *planè repugnat confeſsioni* Apoſtolorum *qui nihil à ſe, vtpote miſeris hominibus profectum aiebant, ſed nomini* Ieſu *& virtuti doctrinæ ſibi commiſſæ omnem laudē atque honorem rei geſtæ tribuebant.* Ea *quidē integritas fuit confeſſionis* Apoſtolorum, *qui merito primitiua* Eccleſia *cenſentur: quorum cœtu, accepto iam* Spiritu *ſancto, nullus vnquā fuit ſanctior nec*

perfectior

Perfectior. Illi autem nihil noui aut de ſuo protulerunt, ſed tantùm Euãgelij doctrinam populis propoſuerũt. erant enim præcones Spiritus ſancti, quo duce agebant omnia, quóque dirigente linguas ipſorũ, loquebantur: quemadmodũ Luc. in Actis ipſos dixiſſe refert, Viſum eſt Spiritui ſancto, ac nobis. Particula autem hæc, Nobis, nequaquam arrogãtiam ipſorum notat: ſed contrà egregiã humilitatẽ ſignificat, quaſi dicerent: Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis qui nos totos voluntati eius accommodamus, eiuſdémq; inſtinctu loquimur. Nã ſi virtute propria locuti fuiſſent, nõ cõgrueret verbũ illud Chriſti de ipſis pronuntiantis, Nõ eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris mei qui per vos loquitur. Rectè ergo ſequitur eos omnem authoritatem verbo Dei quod ipſis per Chriſtum traditum erat, attribuere. nec ſanè proijciunt eiuſmodi ampullas, Niſi nos qui eccleſia ſumus, Euangelium recepiſſemus, Euangelium nullum eſſet. attamẽ ſacer ille Apoſtolorũ cœtus omnium extitit perfectiſſimus, à quibus nihil vnquam dictum aut ſcriptum eſt quàm verbum vitæ atque Euangelium ſalutis. Quod quidem verè dici non poſſet de ijs qui tam prophanè de Euangelio garriunt, etiamſi multùm abſint ab authoritate qua pollebant Apoſtoli. Si quid eſt in Eccleſia Ieſu Chriſti potẽtiæ, id verbo Dei acceptũ referri debet, quæ vnica clauis claudit ac recludit regnum cæleſte ijs qui illud aut recipiunt aut repudiant. Nullum etiam Eccleſia telum habet quo ſeſe defendat quàm idem verbum Dei: ideóque Paulus Corinthiis ſcribit, arma noſtra nõ carnis ſed ſpiritus eſſe: atq; in epiſtola ad Epheſios, militẽ Chriſtianũ gladio ſalutis accingi iubet, quod eſt verbũ Dei. Cuius rei ratio redditur in epiſt. ad Heb. nẽpe quod verbũ iſtud ſacroſanctũ aciem habeat exactiorẽ quãtumuis acuta bipenni. idẽ eſt culter quem Deus Hieremiæ tradidit, ardẽs velut igneus carbo: quem & Eſa. in ore geſſit vtrinq; incidẽtem. Os nimirũ illud & ſapiẽtia qua Chriſtus Apoſtolus ſuos muniuit ad ſuperandos omnes aduerſarios, qui ipſis neutiquam potuerunt reſiſtere, vt conſtat exemplo Stephani πρωτομάρτυρος. idémque ratum & firmum manebit in omnibus ijs qui hac doctrina Euangelij inſtructi nomen Ieſu Chriſti confiteri, cauſámque eius ſuſceptam defendere volent. Verbum enim Dei

ſceptrum eſt quo Dominus Eccleſiam ſuam gubernat: pabulum quo oues ſuas paſcit: ídque nunc facit opera fidelium miniſtrorum qui tantùm hanc ſapientiam Dei prædicant. Quocirca Diuus Paulus *ad* E*pheſios ſecundo capite, dicit fundamentum* Eccle*ſiæ eſſe doctrinam* P*rophetarum & Apoſtolorum.* A*ntichriſti verò & adminiſtrorum eius eccleſia mendaciis ſcatet, calliditatum & fallaciarum omnis generis plena: quæ cùm deſtituta ſit verbi* Dei *regimine, nihil ſani habere poteſt. neque enim vſquam ſalus reſtat quàm in verbo* Dei. V*nde tanta in eccleſiis malignorum crudelitatis, ſuperbiæ atque inhumanitatis exempla, vt ſunt in veteri teſtamento,* C*ain parricida:* I*eſabel prophetarum cæde gaudens: ſanguinis pij profuſor* Manaſſ*es: & ſuperbus* I*ſraelis perſecutor* P*harao? In nouo teſtamento,* S*cribæ &* P*hariſæi qui principem vitæ interemerunt, eiúſque diſcipulos qui ſalutem ipſis annunciabãt, odio ſunt proſequuti? vnde inquam? niſi quòd ſpreto verbo* Dei *& excuſſo pietatis iugo, mendacio potius ſe addixerunt & patri eius* S*athanæ turpiter ſeruire maluerunt. quod ita eſſe ſacra nos* Bi*blia paſſim docẽt, ac præſertim caput illud* I*eremiæ* XXIII. Q*uamobrẽ ſolo* Dei *verbo viuifico adhæreamus: qui præcepta eius obſeruat, eum ipſe pro fideli ſeruo habebit.* I*n hac ego doctrina permaneo & mori in eadem ſententia non recuſo, ſciens quòd* D*eus me non deſeret. ídque propter nomen ſuum, & honorem charitatémque* F*ilij ſui dilecti, quẽ nobis dedit* S*aluatorem ac redemptorem animarum noſtrarum. cui gloria & honor in ſecula,* A*men.*

De Ieiunio. Ad *quæſtionem de ieiunio & certorum ciborum abſtinentia ſic dixit* Neelus, I*eiunium quidem bonum & ſanctum eſſe, non illud quod certorum dierum ſpatio ab* A*ntichriſto circunſcriptum eſſet, ſed de quo* C*hriſti mandatum habemus,* C*ùm ieiunaueritis, &c. quod ad domandam carnis ferociam adhibetur, quò melius in ſeruitutem redacta carne, ſpiritus* D*eo obediat.* N*eque verò conſiſtit modò in cibi & potionis abſtinentia, neque opſoniorum delectu: ſed vt rectè iſtud colatur, requiritur vitæ integritas, ſobrietas non vnius tantùm diei, ſed perpetua caſtitas, dilectio & charitas erga proximum. de quo bene* I*ſaias,* F*range panem eſurienti, atque eos qui te-*

ctisca

ctis carent in domũ tuã recipe: ac tum ſanctè ieiunabis, ieiuniúmq; tuũ Deo *gratũ erit. Abſtinentiã in ieiunio nõ improbamus, dummodo abſit ſuperſtitio & abuſus, quibus vitiis laborant ij, qui dum ſe ad ieiunia parant, cibis delicatioribus ſe ingurgitant, vina quærunt meliora, quæ non abſtinẽtia ſed vitæ ratio* Epicuri *de grege porcis, (vt ait ille) digna eſt: quíq; inter cibos multum diſcriminis ponunt, quaſi plus ſanctitatis huic cibo quàm alteri inſit.* Nec enim, *vt inquit* Paulus *ad* Romanos, R*egnũ cælorum in eſca aut potu ſitũ eſt. veſci licet cum gratiarum actione omnibus quæ* Deus *ad nutriendũ nos largitur. præſertim cùm in* Euangelio *dicatur, Quod per os intrat, nõ inquinare animam. Omni itaque errore remoto, viua atque efficaci fide credere oportet, victũ ad ſuſtentãdũ corpus neceſſariũ à* Deo *nobis datum, ab eodem quoque benedictum eſſe, nec vetitum eſſe quenquam cibum* Chriſtianis. *Interea tamen, monente* Paulo, *cauendum eſt, ne is qui edit, præ ſe contemnat eum qui non edit, aut contrà. nam firmum imbecilli rationem habere neceſſe eſt ne vllam illi in victus vſu offenſionem afferat: ſciens quòd multò fuiſſet ſatius nunquã carnem guſtaſſe quàm eum perdere pro quo* Ieſus *eſt mortuus.* Vitæ *itaque ſuæ quiſque eum habere modum debet, vt omnia ad ædificationem proximi ſpectent: id quod tum demùm efficiemus, ſi regulã in veteri ac nouo* Teſtamẽto *nobis à* Deo *&* Salu*atore noſtro præſcriptam ſummo ſtudio ſequamur, quoniam fundamentum* Eccleſiæ *non eſt aliud quàm doctrina* Prophetarum *&* A*poſtolorũ.* De Papa *ipſiúſque authoritate rogatus, reſpondit ſolum* Deum *eſſe magiſtrum ac præceptorem, qui nec ignorare quicquam, nec in vllo falli poſſet. proinde nulli aut ignorantiæ aut errori obnoxiũ. Opera, inquit, eius à nemine reprehẽdi poſſunt, dum fecit cælum & terram, & quæ in eis ſunt: ac poſtremò hominem formauit ad imaginẽ ſuã vt præeſſet cæteris creaturis. cui etiam in paradiſo iam lex à* Domino *data eſt, quum præciperet ei, vt omnẽ fructum paradiſi liberè comederet, fructum verò vitæ minimè: nã quocunque die comederet morte mulctatum iri.* Hac *lege primùm* Dominus *hominem in obedientia maieſtatis ſuæ continere voluit. at homo ſua conditione non contentus,* Deo *ſimilis eſſe voluit, actus*

De Papæ authoritate

ſpiritu ambitionis quô illum impulerat ingluuies. Ex hoc ſolo Adæ peccaco tanta in totum genus humanum ingruit calamitas & maledictio, vt Ieſum Chriſtum, qui eſt Filius dilectus Dei Patris carnem noſtram aſſumere atque reatum pro nobis ſubire neceſſe fuerit. nam alioqui omnes nos exitio deuoti eramus. Atque ea quidem ille noſtra cauſa volens ac libens præſtitit; adeò vt maledictio illa crucis quam tulit, nobis in benedictionem cedat ſempiternam apud Deum: & cuius anteà eramus hoſtes nunc ab eo in gratiam recepti ſimus, quoniam Filius eius dilectus mortuus & reſuſcitatus eſt pro nobis, quos pro ſponſa & grege ſuo habet. Attamen priuſquam cælos conſcenderet, nobis verbum ſuum reliquit, Euãgelium ſcilicet. & poſt mortem Apoſtolorum conſtituit epiſcopos, paſtores, doctores qui nos in doctrina Prophetarum & Apoſtolorum erudirent, & vitæ integritate viam rectam præmonſtrarent. Ne verò me quis hîc loqui putet de cornutis aut perſonatis illis belluis: equidem epiſcopos intelligo ijs virtutibus ornatos quas in ipſis requirit Paulus 1. Timoth. 11. Non nego tamẽ quòd Chriſtus de Scribis & Phariſæis loquens iubeat fieri quæ illi dixerint, ſed ea conditione vt ſedeant ſuper cathedram Moſis. Cathedra autem Moſis eſt Lex: quam remotis alijs doctrinis tantùm concionari debebant. nam in hoc omnis populus conueniebat vt ex lectione Legis ſciret quid ſibi faciendum eſſet: quod humanæ præceptiones docere non poſſunt, quia in ijs Deus voluntatem ſuam non declarauit. Atque ideo ſancti Prophetæ vt ſe verè Dei ſeruos eſſe, nec quicquã ex ſuo ingenio exhibere populo profiterentur, eiuſmodi ferè vſi ſunt loquendi formulis aut clauſulis, Audite verbũ Domini: Hæc eſt vox Domini: Loquutus eſt Dominus: Sic dicit Dominus. Quos in hoc imitati ſunt Apoſtoli, nec ipſi vnquam aliquid de ſuo prædicantes, ſed doctrinam tantùm Spiritus ſancti proferentes: quod de ipſis teſtatur Ieſu Chriſti elogium, Non voſipſi loquimini, ſed per vos Spiritus Dei Patris mei. Vnde ſequitur, ſucceſſores Apoſtolorum, niſi doctrinæ eorũ quoque acquieſcãt, aut ſi præter Euangeliũ ac verbũ Dei, aliud quippiã pronũciare audent, maledictos eſſe. Ac quiſquis ille fuerit qui hoc pacto Chriſti & Apoſtolorum veſtigiis non inſiſtet,

ſtet, pſeudopropheta & Antichriſtus iure vocabitur: etiamſi fuerit ipſe Papa, non tamē Prophetis aut Apoſtolis maior aut ſanctior cenſeri debet. Sed quicunque pios iſtos viros imitatur tam in doctrinæ ſynceritate quàm vitæ ſanctimonia, is demùm verus Eccleſiæ paſtor erit: alioqui diſſipator potius: & velut lupus inter oues. Haud quidē inficior quin ſit penes Chriſti miniſtros qui purè verbū Dei annūtiant, populo imponere ieiunia, iniūgere preces & eleemoſynas ad obuiandum iræ Diuinæ quæ terris imminet tēpore belli, peſtis, famis atq; aliarū plagarū Dei. Cæterùm leges ſancire perpetuas iis nuſquā cōceſſum legimus, ídque nō fieret ſine ſuperſtitione & abuſu: atq; adeò idololatria nō careret. De traditionib⁹ verò humanis ſic locutus eſt, Angeli, inquit, ipſi qui Dei throno aſtāt vt ad nutū illi ſeruiant, quiq; virtus Dei in Scriptura vocātur, creaturæ eius omniū excellentiſſimæ, in hoc toti vt volūtati Dei obſequātur, miſſi ad præſidiū eorū quos Deus ad hæreditatē beatæ immortalitatis prædeſtinauit, vt eſt in epiſt. ad Hebr. nunquā de ſuo quicquā hominibus propoſuerunt: Prophetæ deinde excellētia poſt illos ſecundi, os Domini appellati, nihil vnquā ex ſe cōmenti ſunt. Chriſtus etiā ipſe qui hos ſecutus eſt, hoc pacto loquitur: Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me Patris. atq; id variis locis iterauit ipſe qui exemplū ſanctitatis erat, Filius nempe Dei viuētis. Apoſtoli quoq; nihil præter doctrinā Euangelij ſibi cōmiſſam prædicarunt: cuius ea eſt potētia & virt⁹ vt ſalutē afferat omni credēti. At Papa cum ſuis Prælatis voluit ſibi plus dignitatis vel authoritatis attribuere. qui maximis Deū contumeliis afficiunt, quò ſuas traditiones tueantur: adeò vt non modò nulla pœna in Papatu afficiatur qui ſtuprum aut adulterium commiſerit, ſed etiam ab omnibus laudetur: verùm ſi quis fortè buccellam porcinæ carnis comederit die Veneris, aut craſſos abuſus eorum reprehenderit, continuò ad ſupplicium petrahetur miſer. Sed Dominus patiens ac lenis, qui nunc tacere videtur, aliquando eos coràm arguet. Nec tunc quidem erit locus excuſandi ſeſe quòd Patres ſuos ſecuti fuerint: maximam & præſtantiſſimam mundi partem ſemper pro ſe habuerint: ſe nunquā induci potuiſſe vt crederent Deum velle tantā hominum

De traditionibus humanis

multitudinẽ in errore verſari. hoc autẽ prætextu deficere à verbo Dei *valdè periculoſum eſt. nã ſi in maiori numero populi cõſiſteret ſalus, Scriptura mendax eſſet, quæ ſemper paucis hominibus aut vni aliquando familiæ, populi* Dei *verum attribuit titulum: conſidera quæſo, ſeriem omnium exemplorum veteris ac noui* Teſtamenti, *& reperies profectò à paucis iiſque abiectis hominibus cultã fuiſſe pietatem: confer* Abrahamum *&* Lotum *cum* Gomorrhæis *ac* Sodomitis: Aegyptiorum *copias cum populo* Iſraelis: Prophetas *cũ cultoribus* Baal *tempore* Ieſabelis: *conſtabit pios ſemper fuiſſe exiguo numero ſi cum aduerſarijs ipſorum cõparentur.* Veniamus *ad initia & progreſſus* Eccleſiæ *ſub nouo* Teſtamento, *quid* Chriſtus *&* Apoſtoli *eius cum* Scribis *&* Phariſæis, *atque infinitis aduerſæ partis gentibus collati, erunt?* Denique Filius Dei *viuentis hãc perpetuam* Eccleſiæ *ſuæ conſolationem eſſe voluit: quòd multi ſint vocati, pauci electi, quos hac ſententia inſuper hortatus eſt ne ob exiguum numerum animis caderent,* Ne *metuas puſille grex, quoniam* Patri *meo placuit te donare hæreditate regni cæleſtis. ac contrà* XI. Matth. Deo Patri *ſuo gratias agit, quòd ſalutis documenta ſapientibus & magnis huius ſeculi nõ aperuerit, ſed humilib⁹ ac paruulis. præterea, quid aliud ſignificat eiuſdẽ concio de ſeminãte vbi quarta demùm ſeminis pars in bonam terram cadit quæ ad frugem perueniat, niſi pauciſſimos ſaluos fore?* Quapropter *ne temere multitudini fidamus: quin potius ad exiguum gregem* Chriſti *nos recipiamus, quem is morte ſua reatu liberauit.*

De tẽplis. De *templis quid ſentiret rogatus, dixit* Deum *eſſe ſpiritum qui corpus ex carne & oſſibus coagmentatum non habeat. proinde ſpirituali ratione colendum, teſte* Propheta Eſaia, *vbi ſic vltimo capite* Deus *ipſe loquitur:* Quam *domũ ædificabitis mihi? nónne cælum ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum?* Nullũ *ſanè* Deo *commodúm parari poterit ædificium, niſi ipſemet ſibi ſtruat: id quod efficit quando cor hominis virtute* Spiritus *ſui purum ac mundum reddit, vt illud ſubeat atque in eo habitet: ac propterea* Diuus Paulus *fideles templa* Dei *viuentis vocat,* Si, *inquit, aliquis templum* Dei *ſanctum, quod vos eſtis, vaſtarit,* Deus *perdet eum. nam*

in

in eo voluptatem capit, dicens, verſabor inter eos, & ero Deus *eorum & ipſi erunt populus meus.* Itaq; *ne quis pro modulo ingenij ſui maieſtatem diuinam metiatur, ſed rogemus* Dominum *vt corda noſtra purget, in iiſque habitet, quod quidē pro ſuo arbitratu facit is qui inæſtimabili potentia cælum ac terram replet.* T*emplorum verò materialium vſus erit legitimus, ſi in eo habeātur pij cœtus ad verbi* Dei *auditionem, ſacramentorum* Baptiſmi *& ſacræ* Cœnæ *perceptionem: vt dum ita concorditer in vnum locum conuenimus per prædicationem* Euangelij, *quæ eius eſt vis, in mutua dilectione confirmētur fidelium animi.*

Confeſſionem illam auricularem prorſus reiecit: reconciliationem autem fraternam de qua Diuus Iacobus *loquitur, omnino dixit inter* Chriſtanos *neceſſariā. nam niſi peccata (inquit) alij aliis ignoſcamus, non exaudiet nos* Dominus, *quemadmodū teſtatur quotidiana noſtra* oratio Dominica. *atqui exemplo* Dauidis *ſoli* Deo *delicta cōfiteamur implorantes ſyncero corde eius miſericordiā omnibus diebus vitæ noſtræ, vt in æternum cum eo viuamus,* Amen. *Ad percontationem de* Miſſa *in hunc modum reſpondit:* Habemus *in* Scriptura *omnia quæ ad ſalutem obtinendam obſeruatu ſunt neceſſaria.* Vetus *teſtamentum plenam nobis* Dei *voluntatem duobus his præceptis comprehendit, primò vt* Deum *amemus ex toto corde, anima, totiſque viribus. deinde, proximum vt noſmetipſos: omnem inſuper deteſtans idolomaniam.* Chriſtus *in nouo* Teſtamento *ſuis mandat vt ſeſe mutuò ament, diligant inimicos, precentur pro perſecutoribus ſuis & iis benefaciant, eſurientibus cibum, ſitientibus potum præbeant. præterea iubet nos ſimplices eſſe velut columbas, prudentes vt ſerpentes: monet vt manſuetudinem atque humilitatem ſuam imitemur: diſcamus eſſe miſericordes exemplo* Patris *cæleſtis: theſauros in cælis colligamus, pauperes ſcilicet & re & conſolatione omnis generis iuuando, loculos nobis comparemus qui vetuſtate non corrumpantur: multáque eiuſmodi & varia in* Euangelio *nobis à* Filio Dei *mandata proponuntur. Sed nuſquam in ſacris literis vel minima fit mentio* Miſſæ. Proinde *& ego illam repudiandam atque abijciendam cenſeo, contentus monitionibus aliis & præceptis ad vitam æternam comparandam neceſſariis.*

Confeſsio auricularis.

De Miſſa.

Atque interea Deum orabo vt Legem ſuam mentibus noſtris inſculpat, ne fortè aliquid faciamus quod ei diſplicere queat. Hoc pacto in gratia Dei viuemus, quæ anteponenda eſt tali myſterio abominationis, cuius Sathan inuentor ac fabricator extitit, eámque tradidit filio perditionis ad communem generis humani perniciem.

De votis. Sententiam ſuam de votis ſic explicuit: Ingenium hominis pronum inclinatúmque ad idololatriam magis eſſe quàm ad veram pietatem. propterea quicquid inde proficiſcitur, vanum & impium eſſe: neque verò nobis licere quicquam Deo promittere aut offerre, niſi id quod ipſe in verbo ſuo approbauit. Votum, inquit, quod omnes rectè nuncupare poſsimus, eſſet orare Deum vt nos in obedientia voluntatis ſuæ retineat, renuntiantes noſtræ quæ ad malum ſemper eſt procliuior. Idque Diuus Paulus multis locis declarat, dicens quod nos, optamus ac volumus bonum, præſtare haudquaquam poſſe. Optima autem ratio & modus abnegandi noſtri, ac deprimendæ voluntatis propriæ, foret ſyncero corde, vt edocti ſumus à Chriſto Domino noſtro, dicere Deo, Fiat voluntas tua: & cum vera animi teſtificatione nos ei ſoli velle obſequi. nam quicunque ſuam mentem ſequi volet, ridebit Deum quotieſcunque hunc articulum recitabit. Nos igitur noſtráque Deo committamus. ab eo enim procedit omne bonum, is efficit vt & velimus & efficiamus pro bona voluntate. Pareamus ei præcepto quod apud Moſen Deuteronomij quinto capite ſcriptum eſt: Cuſtodite & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: nõ declinabitis neque ad dexteram neq; ad ſiniſtram. ſed per viam &c. (Philipp. 2. c. 10.)

De peregrinationibus. Ad interrogationẽ de Peregrinationibus papiſticis, dixit peregrinationem Chriſtiano ſalutarẽ eſſe, vitæ in hoc mundo ſanctimoniã, patientiam, dilectionẽ, caſtitatem & charitatẽ. quia dũ in hac terra peregrini ſumus nemo exploratum habet quo die, quáue hora Dominus venturus ſit. Quod ſi temerè huc illuc concurſando in orbe cuius ipſe poſſeſſor eſt, tẽpus inutiliter conſumpſerimus, opus Domini negligentes: rationem profectò eius ocij exiget, nõ ſecus quàm princeps aliquis aut Rex in ſcurram vagum ac perditum hominem per agros ſuos palantem animaduerteret. Quare rectà ad Deum accedamus, vt ab eo ſolo per fidem in Ieſum Chriſtum remiſsionem peccatorum & vitam

am æternam obtineamus: orantes eum vt in extremo die nos in regnum ſuum recipiat. Interrogatus *quænam ipſius eſſet de ſacerdotio ſententia, confeſſus eſt ſimpliciter omnes* Chriſtianos *eſſe ſacerdotes. ídque probauit hoc* Pauli *ad* Romanos *teſtimonio,* Quòd Deus *nobis dãs* Filium *ſuum, omnia ſimul cum eo bona dedit. vnde, inquit, liquet ſi hunc habeamus pro nobis, nihil deeſſe. neque enim* Filius *eſt vnquam abſque* Patre *&* Spiritu *ſancto, quandoquidem hæ tres perſonæ vnum tantummodò conſtituunt* Deum, *vnam voluntatem, vnam eſſentiam, vnam potentiam, vnam quietem ac vitam æternam.* Ipſe *cùm ſit* Deus, Rex *& ſacerdos, nos ſecum deos fecit & reges conſtituit ad fruitionem regni cæleſtis in perpetuum. aſſumpſit etiam nos in ſacerdotes vt grata faciamus ſacrificia, offerendo corpora noſtra, animas, & corda ſummiſſa & abiecta* Deo Patri: *quemadmodum epiſt. ad* Rom. *&* Hebr. *&* Pſalmi, *iſtiuſmodi ſacrificij meminerunt. nõ loquor equidem de ſacerdotio* Romano, *nec confundo hîc adminiſtrationem* Verbi *&* Sacramentorum, *vt dicam id omnibus commune officium, quod* Paſtoribus *tantùm* Eccleſiæ *commiſſum eſt: ſed de interiori quodam effectu & dignitate ſpirituali veri ſacerdotij ago, quod adepti ſumus omnes per* Chriſtum, *vt mactemus* Deo Patri *gratas victimas: noſipſos ſcilicet, vitulos labiorum & cor contritum.* Atque *hæc dignitas animos nobis addere debet, vt cum fiducia impetrandæ veniæ peccatorum ad* Deum *accedamus: certò etiam perſuaſi quòd vitæ æternæ hæreditate donabimur per* Chriſtum Saluatorem *noſtrum, qui nos omnium bonorum cæleſtium participes fecit, vt cum ipſo in æternum viuamus: cui honor & gloria ſit in ſecula.*

Poſtquã hanc fidei ſuæ cõfeſſionẽ manu ſua ſubſignatã exhibuiſſet, adminiſtri Epiſcopi Aurincenſis *toti in hoc erãt vt hos articulos & reſponſiones hæreſeos (vt loquuntur) cõdẽnarẽt.* Neelus *quòd in carcere* Epiſcopi *aſperius tractaretur, poſtulauit à Suppræfecto cauſarum capitalium (qui ſæpius ipſum inuiſebat conſolandi gratia cum quodam aduocato, vir ſanè timens* Deum*) vt ipſum ad cuſtodiam* Curiæ *ſecularis, vt vocant traducendum curaret. Quo audito adminiſtri* Epiſcopales *mortis & exaugurationis ſententia contra* Neelum *perferretur.* At Neelus *ſuaſu amicorum, ſententiam eorum vt abuſiuam reie-*

cit, atque ad ſuperiorem iudicem appellauit. Rationes *autem appellationis vt ipſe ſcriptas reliquit, erant eiuſmodi, quòd vocatus in cubiculum* Epiſcopi *Aurincenſis die* Mercurij *feriarũ* Paſchæ M.D.LIII. *dixit apertè* Decani *inquiſitionem nihil omnino valere: teſtimonia aduerſariorum non eſſe legitima. Illinc deductus in prætorium Curiæ eccleſiaſticæ, vt vocant,* Epiſcopus *iuſsit* Neelum *in genua procidere, vbi tum reus dixit confeſsionem ſuam quam obtulerat parui non eſſe ponderis: vitam hominis multò pluris faciendam quàm pulli gallinacei. attamen* Epiſcopus *nullam dictorum ipſius rationem habens, ſed valde iraſcens illi, Quoniam, inquit, in tua opinione obſtinatus atque obfirmatus permanes ſententiam aduerſus te pronuntiabo. Sed antequam verbum vllum protuliſſet* Epiſcopus, *ipſe reus dixit ſe non admittere ipſum iudicem propter certas & idoneas recuſationis cauſas, quòd ſi nihilominus procederet, fore ipſius ſententiam nullam & irritam, quia iniqua & abuſiua eſset: proinde ſe appellare ad maiorem iudicem.* Officialis *autem his dictis nihil commotus perrexit ſententiam pronunciare.* Tum Neelus *ad* Epiſcopum, *Memineris, inquit, quòd te vt* Iudicem *non idoneum iuſtis de cauſsis repudiauerim, tu verò non auſcultaueris: proinde ego appellaui, atq; etiamnũ appello iudicem æquiorem.* Atque *adeò has recuſationum cauſás (inquit) pono.* Primam, *quòd* Epiſcopus *me afferentem cauſas idoneas reijciendi ipſum iudicem antequàm tuliſſet ſententiam, audire noluit.* Alteram, *quòd appellatio mea ob iniquitatem & abuſum, nihil apud eum valuit, quò minus vlterius ad condemnationem mei procederet.* Tertiam, *quòd in lite quam mihi intentauit ipſius* Decanus, *delatio nominis mei habetur, ac ſi dixiſſem* Epiſcopum Aurincenſem *hominem eſse ſceleratum: ſiquidem aſinos in ſacerdotium aſſumeret. quare equidem bono iure ipſius iudicium accipere nolui, metuens ne inuidia ac priuatæ vindictæ cupiditate ductus vltricem ferret de me ſententiam: quod factum ab eo conſtat ex ſententia exaugurationis, qua me de gradu ſacerdotali demouendum cenſuit.* Quartam, *quòd* Decanus *ille (vt liquet ex ſcriptis noſtræ litis) ſuggeſsCrit hæc verba cuidam è teſtibus,* Fer *mihi opem vt facinoroſum hunc hominem è medio tollamus, cultum mehercule* Deo *præſtiteris. atque idem* Decanus

Cauſæ appellationis Neeli.

tanus omnibus me ſpoliarat rebus & pecunijs. Quintam, *quòd me vt Sacramentarium* Epiſcopus *cum ſuis iudicarit, quum ipſi contrà errẽt toto cælo, & ſacramentum negent, terrenis his elementis plus æquo tribuentes, & ad paſtum huius corporis, velut brutæ pecudes, tantũmodò abiecti: quemadmodum ſuprà plenius dictum eſt in confeſſione noſtra.* His *ſic coram* Epiſcopo *pro tribunali recitatis rationibus, conuertit ſe* Neelus *ad cauſæ ſuæ patronum, eúmque his verbis compellauit, domine, rogo te propter nomen* Ieſu Chriſti *vt meã cauſam tuearis aut potius ipſius* Epiſcopi. Equidem *mihi probè conſcius ſum nihil dixiſſe me quod ad* Dei *gloriã & proximi ædificationem non pertineret: nemini conuiciũ feci, ſed hæc verba ſemper in ore habui,* Nullius *ego ſum iudex, nec fidem alterius confiteor. ſed loquor velut is qui in lecto æger eſt morti vicinus, conſcientiam meam ipſe examinans, & fidei quam habeo dans teſtimonium.*

Neelus *itaque conqueſtus de iniuria quandoquidem eoſdem haberet iudices, teſtes & aduerſarios: ſacrificos nempe quos beneuolè admonuerat, quãdo illos poculis & genio indulgẽtes cum ſumma* Dei *cõtumelia, reperiſſet: die* Martis *(quem pinguem appellitant* Papiſtæ*) è carcere egreditur, vt* Rothomagũ *duceretur.* In *ipſo carceris egreſſu oculos in populum conijciens, qui ibi in eum multa & grauia conuicia ingerebat: vir pius miſericordia ductus eum monebat, eúſque inſcitiam deplorabat.* Sed *cùm videret nullam ſibi fieri audientiam, & ſatellites ipſum ad progrediendum impellerent: orſus eſt canere* Pſalmum XL. Expectans *expectaui* Dominum. In *itinere autem non deſtitit vnquam ſe in* Domino *oblectare, & obuium quemque ſalutare.* Rothomagum *ingreſſus, mox ad* Curiam *parlamenti deducitur, vbi illum certi eiuſdem* Curiæ *conſiliarij benignè admodum de fide ſunt percontati adeò vt ſpes eſſet demonſtratum iri,* Neelum *rectè ac bono iure appellaſſe, alterum verò malè iudicaſſe. ídque certis de cauſis, inter quas erat hæc:* Quòd Officiales Aurincenſes *perſecuti fuiſſent condemnationis ſententiam, hebdomade quam ipſi ſanctam nominant.* Verum Neelus *zelum ſuũ erga veritatem nec occultare, nec diſſimulare volens, in eius confeſſionem prorupit, totus in aſſerenda* Filij Dei *doctrina: contráque* Miſſæ *abominationem omnibus ſuis coloribus depingendo.*

Rothomagus celebre Northmaniæ emporium. vulgò *Rouan.*

Quamobrem Aurincum remiſſus fuit, vt de gradu ſacerdotali demoueretur. Miniſtri verò & aſſeclæ Aurincenſis Epiſcopi non diſtulerunt diutius pronunciationem ſententiæ, ſed mox theatrum extrui curauerũt ante magnum templum, vt degradatio actualis, quam vocant, executioni mandaretur. In ipſo autem theatro erant, Epiſcopus cum ſuis, Pœnitentiarius ille, quem initiò nominauimus, qui quòd iactaſſet ſe publicè refutaturũ Neeli opiniones, notãs ac digitis deſignãs reum, ſic loqui cœpit ad populum: Puer qui liberaliter & blandè educatus à matre non ſolùm ei non obſequitur, ſed inſidias & exitium molitur, &c. tãdémque hanc ſuo proœmio ſubiecit clauſulam: Qualis eſt iſte homo maledictus, qui olim religioſus ordinis Auguſtinenſiũ, nũc perſequitur Deum, eiúſque eccleſiam pro matre non agnoſcit, &c. Ad hæc verba, firma voce exclamauit Neelus, Pœnitentiarium non vera loqui, ſe námque in Deũ credere, atq; de Eccleſia ſancta bene ſentire. Pœnitentiarius autem ſperans hìc egregiam ſe nactum anſam ipſum confutãdi, multis verborum ambagibus ſe implicauit, vt diceret Neelum quidem credere eccleſiam quandã inuiſibilem: deinde vt ſua placeret oratio, multa attulit ad imminuendam authoritatem veræ Eccleſiæ quam profitebatur Neelus: Papæ verò eccleſiam dixit fundatam eſſe in doctrina veterum epiſcoporum qui Apoſtolos ſunt ſecuti: longáque ſerie & catalogo Epiſcoporum recitato, eiuſmodi addidit epilogum: Hæc noſtræ eccleſiæ ſunt fundamenta. Ad extremum conuertens ſermonem ad reum, velut per contemptum affatus eſt, Magiſter Gulielme, inquit, quódnam eſt tuæ eccleſiæ fundamentum? quos enarrare potes tu veteres epiſcopos? Cui Neelus, Chriſtus, inquit, cum ſuis Apoſtolis noſtræ ſunt authores Eccleſiæ. nec verbum amplius vllũ protulit. Non multò poſt hæc degradationis myſteria capitis dãnatus fuit vt viuus igne abſumeretur, pila in os inſerta ne populo loqui poſſet. Homo autẽ pius conſtãtiſſimè omnes cruciatus paſſus eſt. ac quum iã in ſummo flãmæ ardore exiſtẽti decidiſſet ex ore pila, vox eius adhuc diuinã opẽ implorantis audita eſt. Carnifex deinde fuſtem capiti impingẽs, penitus eũ proſtrauit. quo viſo populus cõtrà vociferatus eſt deteſtãs crudelitatem carnificis: cernénſque hominis patientiã, ipſum pro martyre habuit, quẽ antea hæreticum execrandum exſtimarat.

STEPH.

STEPHANVS REGIVS, & PETRVS Denocheus. M.D.LII

STephanus Regius natus in quodam pago Belſiæ, Calfurnis nimirum, qui pagus diſtat ab vrbe Carnutenſi duobus propè milliaribus: vt primùm veritatis lux ei affulſit, relicto natali ſolo Argentinam ſe contulit, tum vt ibi in eccleſia Gallicana maiores in vera religione fructus faceret ex auditione verbi Dei, tum vt ſine metu Sacramentis frui poſſet. Poſtquam verò in ea eccleſia ad tempus commoratus fuiſſet, recepit ſe in patriam, vixítque in parœcia Sancti Georgij non procul à Calfurnorum pago: ibíque Notarij fungebatur officio, habebátq; ſecũ quendã à manibus famulũ Petrũ Denocheũ, qui olim quũ Geneuæ aliquãdiu ageret, magnos in doctrina Euãgelij progreſſus fecerat: adeò vt talentũ ſibi commiſſum deinceps in pios vſus impẽderit, docendo ſcilicet ignorãtes, ac reprehendendo blaſphemos. Iſti autem non diu vnà vixerant, quin Lutheraniſmi nomine ſuſpecti accuſarentur. Menſe itaque Decemb. M.D.LII. ambo per Latrunculatorẽ capti Carnutũ abducuntur, atque in carcerẽ Epiſcopi eius vrbis coniecti fuerunt. In eodẽ carcere per annũ detẽti, atq; de fidei ſuæ cõfeſſione interrogati, ampliſſimum veritati vterque dedit teſtimoniũ. Stephanus autẽ carmina quædã in carcere cõpoſuit ſpiritualia, vt vocant, in quibus fidem ſuã & ſpẽ quã in Domino poſuerat, decãtabat: ſtatum quoque ſuum & conditionem, dignitatíſque gradũ ad quẽ Deus eum euexerat vt coram hominibus fidelis ei teſtis & Chriſti martyr eſſet, diuinis laudibus efferebat. Ijs cantionibus vir ille pius diuturni carceris tædia ſolabatur, prædicans ſemper mirifica opera Dei in quo ſe planè oblectabat. Poſtquam viderent aduerſarij ſe nihil proficere, nullíſque rebus conſtantiam eorum concuti, vt nec longi ac diri carceris horror, nec blandæ pollicitationes futuræ liberationis, nec plures illecebræ quibus ipſemet epiſcopus eos ad reuocationẽ & palinodiã ſolicitabat, vnquã efficere potuerint quo minus in ſentẽtia perſtarent. tandẽ capitis damnati, appellarũt ſummum Senatum Curiæ Pariſienſis, ídque non eò faciebãt, vt mortẽ euaderẽt, ſed quò pleniorẽ apud magnos & ſapientes huius mũdi confeſſionem doctrinæ Filij Dei ederẽt. Curia autẽ Pariſiẽſis eos remiſit, addito areſto confirmãte priorẽ ſentẽtiã. reuerſi Carnutũ, diro ignis ſupplicio affecti fuerũt.

Vulgò la Beauſſe.

PETRVS SERRA.

PETRVS Serra, natus in quodam loco qui Læſa appellatur in prouincia Cozerana, non procul ab vrbe Toloſa, cùm ſacerdos antea fuiſſet, ſe Geneuam in eccleſiam Dei contulit, vbi, artẽ ſutoriam didicit. Poſtea ſingulari ſtudio charitatis, amoréque permotus, vt fratrem ſuum, qui vxorem habebat, è Papatu atq; idolorum cultu educeret, iter ad eam rem ſuſcepit hyberno tempore, anno M.D.LIII.

Cùm autem in patriã veniſſet, cum fratre ſuo locutus eſt atque illius vxore, quæ à conſolatione verbi, quam Petrus ei afferebat, atque ab ea diſceſsione ac migratione vehementer abhorrebat. Itaque eius aduentum illa cuidam mulieri vicinæ ſtatim annuntiauit, quæ quod audiuerat ita ſecretum tacitúmque habuit, vt ad Officialem eius diœceſis ilicò detulerit. Qui metuens ne ille ſibi elaberetur, ſine vlla informatione eũ cõprehẽdendũ curauit. Neq; verò ea opus magnoperè fuit, in tã prompta & parata Sarræ cõfeſsione: in qua vbi ageret, & quã religionẽ teneret declarauit. porrò Officialis eiúſq; ſocij metuẽtes, ne aliqua appellatio ipſis morã tarditatẽq; afferret, cõſilio capto egerunt, vt Serra in manꝰ Inquiſitoris fidei Toloſæ conſtituti traderetur. apud quẽ Petrus ampliſsimã fidei ſuæ confeſsionẽ edidit, adeò vt inquiſitorẽ ad ſenſũ cõſcientiæ interiorem reuocauerit, eúmq; monuerit, vt purã Dei veritatẽ quã ipſe cõfitebatur, animaduerteret atq; cognoſceret. quã ei facilè demõſtrabat & probabat, locos ei annotans & capita: tã fideli ac recenti memoria præditus erat. Id tamẽ nihil impediuit, quò minus ab inquiſitore vicarióq; Epiſcopi Cozerani cõdẽnaretur, vt de gradu ſacerdotali dimoueretur, atq; in manu poteſtatis ciuilis traderetur. Itaque ad eã degradationẽ faciẽdã, ductꝰ fuit ad oppidulũ Muretũ appellatũ, prope Toloſã: indéq; traditꝰ iudici, qui appellationũ nominatur in iuriſdictione Toloſana, ad quẽ etiã crimina hæreſũ referũtur. Iudex tũ à Petro quæſiuit, quo eſſet artificio. ac cùm ex eo audiuiſſet aliquãto antè artẽ ſutoriã didiciſſe: intelligere ex eo voluit, quod artificiũ antè ꝑfeſſus eſſet. Tũ Petrus, Heu, inquit, me pudet dicere. nã illud vitæ inſtitutũ fuerã amplexꝰ quod in mũdo eſt omnium teterrimũ ac miſerrimũ. Cõplures iis verbis in eã opinionem adducebantur vt eũ latronẽ quẽdã & ſicariũ, aut falſæ monetæ effectorẽ eſſe exiſtimarẽt. Quare

hor-

hortabantur eum, vt ſine pudore ac timore vllo liberè diceret. Sed is ita erat affectus atque impeditus, vt dolor animi ex recordatione priſtinæ vitæ ſuſceptus, obſtruere ei os videretur. Tandem importunitate eorum qui inſtabāt coactus, maximis cum ſuſpirijs ſe Sacerdotem fuiſſe dixit, rationémque cur illud genus vitæ ita fœdum ac miſerum exiſtimaret, attulit. Quamobrem commotus Iudex, ea pœna eum condemnauit, vt primùm ea afficeretur ignominia, quam emendationem honorariam appellant: in qua veniam à Deo, & à Rege, iuſtitiáque peteret: deinde lingua ei præciſa viuus cremaretur. Qua quidē à ſententia cùm ille appellaſſet, ad Camerā criminoſam parlamēti Toloſani adductus eſt: ibíque conſtanter in ſua confeſſione permanſit. Interrogatus autē cur appellaſſet, dixit ſe quidem eò nō feciſſe, quòd ſententiam capitis recuſaret, mortémque defugeret: nec enim ſuam ſibi vitā ita eſſe charā, vt eā honori Dei ac teſtimonio veritatis anteponeret: ſe etiā ſcire eos ad quos appellaſſet, vitā ſibi minimè cōſeruaturos: ſed appellationis cauſā eā fuiſſe, quòd fuiſſet cōdēnatus vt veniā à Rege peteret, quē nunquā offenderat. Nā quod ad Deum quidem attineret, ſe obſtrictum ac paratum eſſe, vt ſibi ab eo ignoſci poſtularet. Cauſa etiā cur appellaret ab ea ſententia, hæc fuit, quòd eam linguæ præciſionem proponebat, quā Dominus vt illū laudaret ei dederat. Itaque iniquū ei atque indignū videbatur, ſi facultas eius rei in extrema vitæ ſuæ parte ei eriperetur. Ea tamen ſentētia decreto Cameræ criminoſæ cōfirmata eſt. Sed cùm primo Præſidi mādatū eſſet, vt eas cauſas & cōtrouerſias, quæ ad fidē pertinerēt, curaret diſceptandas iudicādáſque in ea camera, quæ idonea ei videretur: & quia ſuperiore anno ſummā Cameram delegerat, ipſe Præſes demonſtrabat iudicium eius cauſæ apud illos criminum iudices fieri non potuiſſe. quare qui ex vtraq; erāt curia Iudices, poſt prandiū cōuenerūt: ad quos Petrus iterū productus eſt. Eò autē cùm veniſſet, diu ibi fuit, nihil planè reſpōdens, dicénſq; ſibi nihil cū vllo homine niſi cū Deo quicquā eſſe negotij, cū ea ſentētia ſibi pronūtiata eſſet, in qua periculū vitæ ſuæ propoſitū intelligeret. poſtea tādē reſpōdit, atq; in cōfeſſione fidei ſuæ perſtitit: à qua quidē nullis rebus, quib⁹ tū attētatus atq; oppugnat⁹ fuit, deduci vnquā potuit. Cōſtitutū eſt igitur, vt prius decretū in ea pœna cōſtituēda

vim ſuam haberet, ſublata emendatione honoraria, ac præciſione linguæ, modò contra ipſorum religionẽ nihil planè diceret. Porrò cùm ad ſupplicium duceretur, gymnaſiúmque ſancti Martialis *præteriret,* Iudex *quoddam ſimulachrum ei oſtendit virginis* Mariæ, *eíque dixit, vt veniam ab ea peteret.* Cui Petrus *reſpondit, ſe id quidem minimè facturum eſſe: nec enim ſe illam offendiſſe, neque eam effigiem eſſe virginem* Mariã, *ſed idolum lapideũ.* Id *cùm dixiſſet,* Iudex *iuſsit ſtatim linguam exhibere ac exerere, quod ille ſine vlla mora fecit, & placidè linguam ſibi amputari paßus eſt. Deinde alligatus ad poſtem, vt viuus cremaretur, vſque ad mortem ita oculos in cælum erectos intentóſque habuit, vt nullo ignis ardore & vi commoueretur, non magis quàm ſi omni ſenſu caruiſſet. Quæ res populo magnam admirationem attulit, atque à quodam parlamenti* Conſiliario *dictum fuit, eo modo* Lutheranos *non amplius eſſe mulctãdos pœnáque afficiendos, cùm ea res plus obeßet religioni quàm prodeſſet.*

NICOLAVS NAILVS.

M.D.LIII. NICOLAVS *Nailus patria* Cenomanus *ſutorio artificio deſeruiens cùm* Lutetiã *aliquot librorũ ſacrorum ſarcinas detuliſſet, captus fuit die* Martis *menſis* Februarij XIIII. *Qui cùm puram doctrinæ* Euangelij *confeßionem edidiſſet, grauißimis in carcere tormẽtis fuit cruciat⁹ vt eos quos ſciret doctrinæ ſuæ cõſcios ac ſocios, nominaret. Sed quanuis ea tormẽta etiam vſque ad membrorũ ei⁹ diſſolutionem ſæpius fuerint repetita, tamẽ ſingulari fide, conſtantia, virtutéque munitus, neminem vnquam prodidit aut nominauit.* Poſtea *condemnatus vt viuus igni cremaretur, antequam è carcere educeretur ad plateam* Malberti, *qui locus ſupplicio eius erat conſtitutus, ori eius ligneum epiſtomium inſeruerunt, à poſteriore capitis parte funibus ita conſtrictũ, vt acerrima eorũ vi cõpreſſum os, ſanguinẽ vndique emitteret, faciéſq; horrendã deformitatẽ demonſtraret. qua quidẽ in re primus fuit* Lutetiæ, *in quo hoc genus crudelitatis editũ eſt. Sed tamen egregius martyr & fortis vir, quãuis haberet os ita obſtructũ, nunquã deſtitit, ſignis aſpectúq; in cælũ perpetuò erecto declarare eã ſpẽ, conſtantiã atq; animi magnitudinẽ quã habebat: adeò vt cũ ad xenodochiũ veniſſet, quod domiciliũ* Dei *vulgò appellatur, cogeretúrq;*

præte-

præteriens quoddam ſimulachrũ noſtræ Dominæ, vt vocãt, adorare, nunquam vt id faceret adduci potuit. Sed exiguis viribus, qui ei adhuc ſupererãt, ſuffultus atque excitatus, ſe à tortore, qui eum ſuis cõprehenſum manibus tenebat, auertit, dorſúmque idolo oſtendit. Tum *verò populus, qui ea in vrbe natura maximè eſt mobilis, ad ſuperſtitionemque procliuis, cùm id ſpectaſſet, ita commotus fuit, vt in eum quamuis iam ad mortem accederet, impetum facere voluerit.* Ad *locum verò ſupplicio aſsignatũ, cùm veniſſet, crudeliſsimè tractatus eſt.* Nã *antequam ille alligaretur, vt ſublimis tolleretur in aerem, corpus eius adipe perunctum eſt. puluíſque ſulphuris corpori eius inſperſus, ita vt ignis ſubiectus vix arſiſſet, cùm flamma ſtraminum ſubitò accenſa, ſummam cutem corporis eius inuaderet atq; vſtularet, ſed ad interiores partes nullo modo penetraret. Sed in hoc grauiſsimo cruciatu* Dominus *ſummam ei conſolationem opémque attulit; eíque gratiam impertiuit, vt eo in tormento ſanctiſsimum eius nomen maxima & clariſsima voce inuocaret, quæ media ex flamma audita fuit.* Nam *funes quibus epiſtomium illud aſtrictum tenebatur combuſti fuerunt aliquanto antè, quàm ſanctiſsimus martyr expiraret.* Pariſienſes ſuperſtitioſi.

SIMON LALOE.

SIMON Laloéus *patria Sueſsionenſis, eáque arte qua perſpecilla cõficiuntur,* Geneua, *vbi ſua cũ familia degebat, ꝑfectꝰ vt in* Galliam *quorundam negotiorum cauſa iret,* Diuione *à* Præfecto *eius vrbis captus eſt, die* Martis 17. Sep. M.D.LIII. Is *antẽ initiò ſtatim fuit à* Præfecto Diuionenſi *tribus de rebus interrogatus.* Nam *primùm quo in loco ageret quæſitum eſt. deinde quam fidem de religione haberet, poſtremò quos ſocios & conſcios haberet eius doctrinæ quam ipſe profiteretur.* Ac *de loco quidẽ commorationis ſuæ reſpondit, ſe* Geneuæ *ſedem ac domicilium omnium rerum ſuarum cõſtituiſſe, familiámque ea in vrbe habere, vt liberè frueretur iis beneficiis & ſolatiis, quæ* Deus *ibi tot ac tanta poſuiſſet, eccleſiámque verbo* Dei *emendatam conſtituiſſet.* Quid *autem de religione ſentiret, purè declarauit, plura confeſſus & profeſſus quàm aduerſarij audire vellent.* Quod *verò illi audire maximoperè cupiebant, ad id dixit ſe nihil habere quod reſponderet: neque ſcire quid factum eſſet iis qui co-* Laloéus de tribꝰ rebus interrogatur.

nites itineris fuiſſent. Quos verò ipſe cognoſceret, Geneuæ eſſe atque habitare. Itaque quum aduerſarij ſuis interrogationibus, quæſtionibúſque acerrimis nihil ab eo elicere aut extorquere potuiſſent, omni ſtudio & contentione ad eum capitis damnandum progreſſi ſunt. ac die Martis, qui fuit dies XXI. *Nouembris,* M.D.LIII. *quum ſententiam pro tribunali capitalem pronuntiaſſent, eum è carcere ad vltimum ſupplicium duxerunt. Tum verò egregius martyr Ieſu Chriſti orans pro ſuis inimicis, ſumma conſtantia & animi magnitudine mortem propoſitā ſuſcepit ac pertulit, eo ipſo die* XXI. *Nouemb. anni* M.D.LIII. *Quo quidem tortor Iacobus Sylueſter nominatus, vehementer in fide ac timore Dei fuit confirmatus, atque in eam ſententiā adductus, vt illud genus vitæ deponeret, neque amplius ſanguinem innocentem funderet. Hæc autem dicta multáque alia veræ pœnitentiæ ſigna, quemadmodum cætera omnia ſunt teſtata authoritate hominum fidelium, ac teſtium locupletium, qui non ſolùm in morte eius martyris affuerunt, veruntetiam quæ ſunt commemorata, ex eo ipſo tortore Iacobo Sylueſtro audiuerunt. quem magnopere dolentem propter effuſum innocentum ſanguinem, ac de venia tantorum peccatorum conſequenda diffidentem & planè deſperātem, ſuauiſſimis Euangelij verbis confirmarunt, atque in eam gratiæ, miſericordiǽque Dei fiduciam, & animi ſententiam adduxerunt, vt is ſtatim ſe cum familia ſua Geneuam in eccleſiam Dei contulerit, ſedémq; rerum ſuarū ea in vrbe collocarit.*

Tortoris Diuionenſis admirāda conuerſio.

IOANNA GRAIA.

Hiſtoria de D. Ioanna Graia, filia Ducis Soffolcenſis: quæ quum à Senatu Regina eſſet deſignata, conſtans in fide Euangelii à Maria capite plexa eſt.

M.D.LIIII

AEgrotante primùm rege Edouardo, Northumbriæ dux (penes quem ſumma tum erat & arbitraria rerum gerendarum poteſtas) conſilia agitat cum Duce Suffolcenſi, filiam vt ſuam filio ipſius in matrimonium daret. Non hîc excutio nuptiarum harum myſteria: nec morbum Regis, occultáſque Ducis petitiones exquiro, nec ea coniecturis in præſentia tanquam veſtigijs venor, quæ facilius deplorari à nobis, quàm nunc emendari poſſunt. Verùm ita res habuit: Dum illi tam alieno tempore in publico omnium luctu ſuas agitāt nuptias, Edouardus Rex ægrè decumbens, ſuam propemodum agit animam:

Nuptiæ in morte Regis.

quali

quali indole, pietate ac literis Principem vix ſcio an Anglia poſt eum ſit habitura. Ne longum faciam: finitis demum nuptijs, ac ingraueſcente magis magiſque Regis morbo, quum iam de ſalute illius omnia viderentur deſperata: perfectum interea eſt inſtinctu quidem paucorum, at non ſine ſuffragijs tamen ordinum & iureconſultorum omnium, vt Rex *teſtamentaria voluntate ſua, hæreditariam regni ſucceſsionem in* Ioannam *hanc, quam dixi,* Ducis Suffolciæ *filiam,* Henri*co octauo ex ſorore proneptim deuolueret: præterita interim vtraque ſorore,* Maria *&* Eliſabetha. *Solus è iureconſultis* D. Haleſius *euãgelicus, & iudex quo nullus in tota* Anglia *tũ fuit incorruptior,* Mariæ *ſuffragatus non ſubſcripſit, cuius viri exitus horrendus fuiſſe dicitur. Hiſque ita conſtitutis, ac ſubſcriptione omnium conſignatis, paucis poſt diebus* Edouardus Angliæ *rex tantæ ſpei adoleſcens, decimoſexto ſuæ ætatis anno, magnitudine morbi adhuc nõ ſatis comperti, moritur: ſimúlque cum illo* Anglorum *fortuna ferè vniuerſa moritur & dignitas. Hîc in miſero ſanè ſtatu res erant* Anglo*rum relictæ.* T*um eum multo etiam miſeriorem reddidit patriciorum & plebeiorum inteſtina inter ſe & capitalis ſimultas.* Mortuo igitur Edouardo, *ſuffecta eſt in eius honoris titulum, ex conſenſu quidem nobilium, ſed ipſius admodum refragante voluntate,* Ioanna *hæc: quæ* Londini *mox publico præconio pérque celebriores quaſdam ciuitates* Regina *recipitur & ſalutatur.* E*rat huius adoleſcentulæ ætas, regis* Edouardi *annis haud multum impar: quem tamen illa eruditione, literis ac linguis non ſolùm æquaret, ſed ſuperaret etiam, ſub doctiſsimo viro* Ioanne AElmero *inſtituta. Quæ ſi tam felicem ſortita fortunam eſſet, quàm cum felici ingenio non infelicem coniunxit educationem, non modò cum Aſpaſiis, Sempronijs, Gracchorum matre, & literaria laude commendatiſsimis quibuſque fœminis, ſed viris, Academicis etiam titulis lauróque onuſtis, pari certare commendatione potuiſſet.* Interea *temporis dum hæc* Londini *geruntur,* Maria, *fratris audita morte, latebris ac fuga ſibi procul* Londino *cauit, populari potiſsimùm fauore freta, quanquam nec occultis interim ex nobilitate forſan conſilijs deſtituta.* N*orthumbrienſis vbi eius videt obſtinationem, nec omnia ſatis ei ex ſententia ſucce-*

Ioan. regina teſtamento Edouardi deſignata.

Patriciorũ & plebeiorũ inteſtina odia.

Ioan. AElmerus.

derent,comparato quantum poteſt exercitu,ac conſcriptis copijs, ad perſequendam Mariam mouet:perfacilè,vt videbatur, hoc negotium confecturus,ſi ſuo frui impetu licuiſſet. Verùm quia in recenti regno nihil ſibi adhuc permittere priuata authoritate audebat, ex publico ſenatuſconſulto rem omnem gubernare cogebatur. Quo factum eſt, vt itinerum metæ, ac dierum ſpacia, quid,quantúmque quoquo die conficeret,ex formula illi mandaretur,quam prætergredi nec licitum erat ei nec tutum. Inter hæc Maria huc illuc varijs iactata itineribus,ac tuta ſequens,tandem in Northfolciæ,Suffolciæque fines contendit:vbi Ducis nomen quàm maximè inuiſum,ob ruſticorum ſtragem recens editam, intelligebat. Vbi demum vndecunque corrogatis populi præſidijs,in caſtello Fremynghamenſi aliquandiu ſe continuit. Ad quam primi omnium aduolarunt Suffolcenſes,quorum ſemper acerrimum fuit in propagando Euangelio ſtudium, opem operámque ſuam ea quidem lege ac pactione pollicentes, modò nequid vnquam moueret contra eum religionis ſtatum quem frater reliquiſſet Edouardus. Quid multis? Accepit illa conditionem,fidémque vt quiſquam poſſet credere,ſuam interpoſuit: quam ſi poſtea tam conſtanter ſeruaſſet illa, quàm ipſi lubenter corporibus & armis ſalutem tegebant illius,rem feciſſet,mea opinione, & ipſius dignam nobilitate, ſimúlque imperium forſan ſibi ipſi firmius maiori cum trãquillitate & diuturnitate peperiſſet.Nam quantunuis per te potentia polleas,difficilis tamen diuturnitatis cuſtos perfidia eſt, difficilior metus: omnium verò difficillima, crudelitas. Hunc itaque in modum euangelicorum maximè ſepta præſidijs Maria, cæteros quoſque cum ipſo Duce ad deditionem compulit. Quæ quum ita ſint, indigna profectò videtur mihi vox Maria illa qua Suffolcenſibus poſtea fidem ſibi datam, per ſupplicationem appellãtibus,reſpondit: Quoniã,inquit, mẽbra quum ſitis,regere vultis caput veſtrũ:intelligetis tandẽ,capiti ſubeſſe membra,non præeſſe oportere. Quo tempore porrò,eadémque de cauſa,in generoſum quendam D.Dobum, qui non procul ab oppido windamo habitarat,animaduerſum eſt:qui propterea in medium forum ter productus,publicam ſubire ignominiam cogebatur. Sed ita fit communi hominum more, vt ſemper ferè ſimus, quum officijs egemus alio-

Maria à Suffolcenſibus euangelicis adiuta.

Suffolcenſium ſupplicatio reiecta.

D.Dobus ob ſupplicationẽ Reginæ oblatam, publica ignominia affect᷑.

rum

rum, ad quærendam gratiam, quàm poſtea acceptis beneficijs, ad referendam paratiores. At enim hoc bene habet, quod vnum miſeris mortalibus firmo eſſe ſolatio queat, quòd æquitas & fides quantumlibet excluſa à terris, apud homines non reperiatur, certò tamen in cælis reperietur apud Deum. *Sed quoniam hiſtoriam ſcribimus, non de officijs: Suffolcenſes iſtos mittamus paululum. Qui quantum ſua promptitudine & ſedulitate apud* Reginam *promeruerint, non hîc diſquiro: quid autem illa præſtiterit, res ipſa aperta voce, totáque perſecutionis huiuſce hiſtoria teſtatur.* Habetis nunc *ergo Mariam ex fugitiua reginam factam.* Habetis *è ſummis periculis & metu eô emergentem, vt ipſa metuenda ſit cæteris.* Habetis *denique poſitum eius in manu poteſtatis gladium, quem quo modo poſtea exercuerit hoc nunc libro audiamus.* Poſtquam *itaque, vt dixi, per euangelicos ſic amplificata, ſubactiſque hoſtibus cuncta iam tuta videt, è caſtris* Londinum, *multorũ magno plauſu, ſed plurium maiori metu, omnium verò maxima aſſentatione producitur.* Vbi *primùm regni ſui auſpicia à ſanguine* Ioannæ *huius adoleſcentulæ exorditur, quam in ipſo mox aduentu cuſtodiæ haberi mandat, cúmque marito ſecuri non multis pòſt diebus mulctat.* Deinde Northumbrienſem, *nec multò pòſt Suffolcenſem,* Duces *capite plectit.* Cæteri *verò nobiles ſanguine tantùm pecuniario ſuam luunt rebellionem: quemadmodum fuſiùs à nobis alio in loco, in vita* Cantuarienſis *explicatum eſt.* Cæterùm *quod ad* Ioannam *attinet, quatriduum antequam ad ſupplicium educeretur, venit ad eam* Feknamus *(qui poſtea in abbatem weſtmonaſteronienſem allectus fuit) de* Reginæ *voluntate eô miſſus, vt ſententiam eius de ijs quæ ad religionem & fidem attinent, exploraturus: ſi quid à* Pontificia *diſciplina aberraret, denuò in viam (quam ipſi iudicant) reduceret.* Eius *verò colloquij ſummam eo compendio, quo ab ipſa excepta eſt & euulgâta, nos hîc ſubijciendam, tibíque,* Lector, *æſtimandam cenſuimus.*

Patriciorũ & plebanorũ inteſtina odia.

Nobiles ſanguine pecunario mulctati.

Colloquium inter Feknamum & D. Ioannam, Ducis Suffolcenſis filiam, quatriduum antequam capite plecteretur.

FEknamus: *Domina, indoleſco triſti & ærumnoſæ fortunæ tuæ, ſed nihil addubito quin acerbitatem hanc ſatis conſtanti & ma-*

ſculo animo ſuſtineas. Ioan. *Gratus eſt acceſſus tuus, modò Chriſtianæ exhortationis cauſa aduenias. Quod ad calamitatem attinet (eſt Chriſto laus) adeò mihi moleſta non eſt, vt eximij potius fauoris* Dei *ſacramentum eſſe ducam, quantò nunquam aliâs maiori me complexus eſt. Quapropter nihil eſt quod ea res, quæ mihi tam ſalutaris ſit, tibi aut ijs qui verè mihi fauent dolorem pariat.* Fek. *Miſſus à* Re*gina, eiúſque Senatu venio, vt te in orthodoxa veritate inſtituam: etiamſi ea mihi de te ſpes ſit, vt nihil eſſe opus ſentiam.* Ioan. *Equidem gratias habeo reginæ ſublimitati, quæ mei ſubmiſſæ ipſius famulæ velit non obliuiſci, ſimúlque confido, te munere hoc tibi credito piè ſynceréq; perfuncturũ.* Fek. *Quid ergo exigitur in Chriſtiano?* Ioã. *Vt in Deũ credat* Patrẽ, Filium, *& Spiritum ſanctũ: vnũ* Deũ, *& tres perſonas.* Fek. *Quid, nihílne aliud in Chriſtiano præter ſolã fidem in* Deum *requiritur?* Ioã. Maximè *verò. nam & credere in eum, & diligere eundẽ oportet, toto pectore, tota anima, totíſque viribus: ſimul & proximos tanquam nos ipſos.* Fek. *Rectè fides ergo per ſe ſola non iuſtificat, aut ſeruat.* Ioan. *Imò fides, vt inquit* Paulus, *ſola iuſtificat.* Fek. *At idem* Paulus *confirmat, quòd ſi fidem omnem habuero, charitatem nõ habeam, nihil ſum.* Ioan. *Veriſsimum quod dicis, inquit. quo pacto enim eum diligam, in quem nõ credam? aut qua ratione illi fidam, cuius nulla dilectione afficior?* Fides *& charitas coniunctim ſe comitantur, at charitas tamen fide comprehenditur.* Fek. *Quonam pacto diligẽdus eſt proximus?* Ioan. *Dilectio proximi in ijs conſiſtit, vt fameſcẽtem cibo, nudum veſtibus, ſitientem potu ſubleuemus. breuiter, vt eadem illi faciamus, quæ nobis ipſis fieri velimus.* Fek. *Proinde neceſſario adiungendum eſt piè agendi ſtudium, alioqui ſine operibus fides ſatis momenti non habet.* Ioan. *Illud falſum, affirmóque fidem ſolam adferre ſalutem: attamẽ* Chriſtianos, *ne diſcipuli degeneres ſui præceptoris videantur, pijs operibus ſtudere decet, quæ tamen ad ſalutem ipſa nõ conferũt.* Nam *quum omnia egerimus, ſerui ſumus inutiles: ſoláque in ſanguinem* Chriſti *fides ſeruat.* Fek. *Sacramenta quot ſunt?* Ioan. Duo, *Baptiſmi, &* Cœnæ Dominicæ. Fek. *Quid ais, an non ſeptem ſunt?* Ioan. *Quibus Scripturæ argumentis id me docebis?* Fek. *De hac re alius erit agendi locus. Dic tandem*

Fide ſola iuſtificamur.

dem quid his duobus tuis Sacramentis ſignificatur? Ioan. *In Baptiſmi ſacramento aqua foris emundor, intus ſpiritu renaſcor & renouor. eſtque lauacrum hoc ceu ſigilli vice, quo ſciam me in numerum filiorum* Dei *inſertam eſſe*. R*urſus* C*œnæ ſacramentum tanquam certum fœdus ac ſymbolum accipio, me ſanguinis illius precio, quem in cruce largiter pro nobis effudit, participem vitæ æternæ fieri.* Fek. *Quid? ánnon verum* C*hriſti corpus & ſanguinem in ſynaxi percipis?* Ioan. E*quidem ita credo: in* C*œna nec carnem nec ſanguinem* C*hriſti carnali aliquo modo, ſed ſpirituali magis ratione ſimul cum pane & vino percipi. qui panis quum frangitur, & vinum quum hauritur, me ritè admonent corporis* D*omini pro me fracti, & ſanguinis in cruce profuſi.* C*um pane itaque & vino, ſimul beneficia illius & corporis attriti, & ſanguinis in cruce exhauſti pro peccatis noſtris percipio.* Fek. A*tqui ánnon* C*hriſtus expreſſe hæc habet verba:* A*ccipite, edite, hoc eſt corpus meũ? Quæ lux clarior hac voce eſſe poteſt? ánnon ſignificanter corpus hoc ſuum appellat?* Ioan. C*hriſtum ita dixiſſe, negari non poteſt: at ſi tantopere externam faciem verborũ ſpectare ac vrgere velimus, dicit & idem alibi,* E*go ſum vitis,* E*go ſum oſtium. ánnon* P*aulus quoque eum vocare quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, affirmat? abſit à me tantum facinus, vt vnquam verum* C*hriſti & naturale corpus carnali ratione eſitem: ita enim aut meam auferrem redemptionem, aut duo corpora, duóſque* C*hriſtos, aut duodecim etiam corpora illius ſtatuerem.* S*iquidem vnum corpus in cruce fixum eſt: tum ſi alterum illi exediſſent, neceſſariò efficeretur, vt aut bina illi corpora fuiſſe, aut ſi vnicum fuerit, hoc ipſum aut in cruce minimè ſubactum fractúmque, aut certè à diſcipulis non præmanſum eſſe, fateamur oporteat.* Fek. P*erinde eſt* C*hriſto facile pro ſua omnipotentia corpus in* C*œna præbere ad veſcendum & bibendum: ac difficile non erat illi, citra viri commercium de matre naſci virgine, aut pedibus aquis inambulare, ſiue aliud id genus quoduis miraculum nutu ſolo potentiæ ſuæ edere.* Ioan. F*ateor, ſi miraculum tum illi in* C*œna exhibere libuiſſet.* S*ed nihil eiuſmodi id temporis decreuit facere: tantummodò id voluit, corporis & ſanguinis in cruce pro*

Sacramentum baptiſmi.

Sacramentum cœnę.

Omnipotentia.

peccatis atterendi communionem impendere.Cæterùm hoc vnum mihi reſpondeas velim ,vbinam Chriſtus tum erat, quum hæc diceret: Accipite,edite, *hoc eſt corpus meum . annon menſæ vnà cum ſuis accubuit vnus? necdum enim mortem ante alteram lucem oppetierat.* Age,*quid accepit ergo aliud niſi panem? quid fregit,niſi panem? quid porrò dedit,niſi panem? Quod itaque accepit, id fregit: quod fregit, dedit:quod dedit,id illi manducabant.* Atqui *interim toto hoc tempore vnà cum illis menſæ interfuit,præſénſque à diſcipulis cernebatur, aut ipſi egregiè profectò fallebantur.* Fek. *Fidem tu quidem collocas in eos authores, quorum leuis & inſtabilis doctrina nunc huc nunc illuc fluctuat. ex eodem ore, quod aiunt, ſimul & calidum & frigidum ſpirans:non autem in eccleſiam, cui ſoli fidere conueniebat.* Ioan. *Fides mea ſolidiſſimis diuinæ Scripturæ firmamentis, nequaquã eccleſiæ innititur.* Ea *enim ſi vera & genuina ſit* Eccleſia, *ſe ſuáque omnia ad certiſſimos verbi diuini gnomones exigit: non autem contrà,ad huius placita verbum* Dei *accommodandum eſt, nec fides mea.* An *ideo eccleſiæ fidam ſolùm antiquitatis cauſa?* Aut *illíne ego eccleſiæ fidem ſim habitura,quæ me bona magnáque cœnæ* Dominicæ *parte defraudauit,nec quenquam hominum ad vtramque* Sacramenti *ſpeciẽ præter ſacrificos admittit? Quod quũ nobis negant, partem nobis ſalutis negant.* Eam *igitur non veram eſſe eccleſiam, nec germanam* Chriſti *ſponſam, ſed ſponſam diaboli, liquidò dixerim: quæ ſic cœnam* Domini *partim auferendo,partim addendo polluit.* Dico *huic eccleſiæ* Deum *additurum plagas,partéſque eius à libro vitæ deleturum.* Hóccine *didicerunt à* Paulo, *qui* Corinthijs *ſuis vtramque* Sacramenti *partẽ tradidit? An huic eccleſiæ me credere poſtulatis? abſit.* Fek. Non *ſine graui cauſa id ab eccleſia factum eſt ad vitandam hæreſin,quæ tum emergere inceperat.* Ioan. Quid *audio? an eccleſia audebit* Chriſti *legem ac inſtituta antiquare, ob cauſæ quemcunque prætextum? quamobrem igitur* Dominus *in regem* Saulum *tantopere offenſus dicitur?* His *aliíſque id genus argumentis perſuadere nitebatur, vt eccleſiæ decretis acquieſcerem, ſed fruſtra. multa inter nos alia agitabantur: hæc autem præcipua erant capita.*

Eccleſia.

Finitis *his colloquijs*, Feknamus *quum valere me iuſſiſſet diſcedens,*

dens, dolere ſe aiebat, addens ſe certum ſcire, nos deinceps nunquam conuenturos. Tum ego, Verùm: inquam, nũquam nos conuenturos certiſsimum eſt, niſi Dominus cor tuum conuertat, ſcio cauſam tuam eſſe perditiſsimam: itaque rogo Dominum in viſceribus miſericordiæ Ieſu Chriſti vt tibi ſanctum Spiritum ſuum impertiat: video enim illum donaſſe te magna dicendi facultate. Atque ita tandem diſceſſum eſt.

Epiſtola parænetica Illuſtriſsimæ Heroinæ D. Ioannæ, quam in calce Teſtamenti noui inſcriptam, ſorori Katharinæ miſit, pridiana nocte ante decollationis ſuæ diem.

MITTO ad te Katharina ſoror librum, etſi foris quidem nullo auro bracteatum, intus tamen quouis auro & Margaritis infinitis modis ſuperiorem. Codicillus eſt Diuinæ legis, & nouiſsimi teſtamenti fœdus, quod nobiſcum miſerrimis peccatoribus pepigit Deus. Cuius ductu, ſi te ſequacẽ præbueris lectricem, perducéris non ad huius mundi omnibus momentis nutantia bona: ſed ad veræ felicitatis, atque æternæ vitæ immortalem poſſeſsionem. Docebit te & piè viuendi & benè moriẽdi rationem. Denique plus hinc tibi lucri acceſſurum eſt, quàm alioqui ex infelicis & captiui parentis tui, terris & latifundijs omnibus. Quemadmodum enim, ſi integræ illi res manſiſſent, & incolumis ſtatus, ad te, quæ iam proxima es, hæreditaria illius omnia bona obueniſſent: ita ſi nunc gnauiter & ſtudioſè feliciſsimum huius teſtamenti aruũ colueris, eam reperies margriatã, eas tibi opes parabis, quas nec rapaces auaritiæ manus eripient, nec fures deprædabuntur, nec corrumpent tineæ. Id vnicè ſit tibi ſtudio (chara ſoror) vt cum Dauide proficias & mediteris in lege Domini Dei tui. Sic viue vt quotidie diſcas mori: quò per mortem ad vitam contendas, nunquam deinde perituram. Nec te fallat teneræ ætatis tuæ flos, & iuuentæ fiducia: quaſi hoc nomine longiorem tibi vitam pollicens. æquè enim citò (ſi euocarit Deus) iuuenes & virgunculæ teneræ, atque decrepiti abripiũtur ſenes. Aſsiduè igitur in hoc incumbe, vt mori aſſueſcas. Hoc quidquid eſt mundi, abijce: Diabolo obſiſte, carnis reſpue cupiditates, teipſam totam exue, in Domino vnicè te oblecta. Sic deplores admiſſa tua, ne quid deſperes tamẽ. Ita in fide ſis alacris, ne interim immodica ruas confidentia. ſempérque cum beato Paulo diſſolui expete, vt ſis cum Chriſto: in quo quiſquis eſt, etiãſi mortuus fuerit, non poteſt tamen non viuere. Sic te compara, ac vitam inſtitue, vt cum fideli ſeruo omnibus horis aduigiles, etiam nocte media: nequum mors ingruerit, tanquãm fur nocturnus, te imparatam, ac cum ſeruis Sathanæ ſtertẽtem, aut cum fatuis virginibus oleo deſtitutam, aut inter eos quibus veſtis deeſt nuptialis, reperiat: atque ita è nuptijs excludaris. Te in Chriſto exhilara, quòd etiamnum facere te confido. Quoniámque profeſsione & titulo cenſeris inter Chriſtianos, huius ergo incede veſtigijs, cuius geſtas nomen, crucémque tol-

le tuam: peccata tua in eius impone humeros, atque eum perpetuò amplectere. Quódque ad mortem meam attinet, hortor te (adamata ſoror) mecum pariter lætari velis: quando à corruptione ad incorruptionem me mors iſta tranſferet. Perſuaſiſsimum enim hoc habeo, momentaneæ huius vitæ iacturam, mihi ceſſuram in vitæ nunquam deſituræ lucrum. quam tibi etiam, germana ſoror, opto mecum aliquando in Domino contingere. Interim cuſtodiat te pietas illius, vt viuens in timore ipſius, ita moriaris vt integram fidem Chriſtianam ad finem vſque tuearis. A qua nunquam te abduci patiaris neque ſpe vitæ, nec mortis minis. Nam ſi veritatem illius abnegabis vllis vitæ huius præmijs, ille te viciſsim abnegabit, & vitæ dies contrahet. Sin illi adhærebis, vitam tuam in longum producet in conſolationem animæ tuæ, & gloriam ipſius. Ad quam gloriam omnipotens Dominus me modò, te poſthac, quum illi videbitur, perducat. Vale, germana ſoror, ac fiduciam omnem in Domino conſtitue, in quo ſolo vniuerſum auxilium tuum ſitum eſt, Amen. Tua germana ſoror Ioanna.

Verba D. Ioannę quum ad ſupplicium produceretur.

Viri fratres Chriſtiani. Sub lege atque per legem ſum morti adiudicata, non equidem ob ſcelus aliquod aduerſus Reginæ *maieſtatem perpetratum, cuius nullius conſcia ſum, vt meam in hac re innocentiam apud vos profitear: verùm ob id quia conſenſeram illi rei ad quam inuita cogebar voluntate.* Fateor *tamen cõtra* Dominum *deliquiſſe me, tum quia carnis, tum quia mundi huius illecebris & cupiditatibus nimium indulſerim, nec vitam ad præſcriptum ſanctiſsimæ volũtatis ipſius, eámque normã quam è verbo eius edocta ſum, accommodarim. qua de cauſa,* Dominus *hoc mortis genere me nunc caſtigauit. ídque maximo merito meo. Quanquam ago gratias beneficentiæ ipſius ex intimo pectore, quod ſpacium mihi ad deploranda peccata in hoc mundo conceſserit. Quamobrem etiam atque etiam vos rogo,* Chriſtiani *commilitones, dum adhuc vitam ſpiro, vt iunctis ſimul precibus mecum, & pro me comprecemini, vt peccata mihi condonet diuina clementia. ſimúlque teſtes mihi adſitis precor, me fidem* Chriſtianam *conſtanter hîc ad mortem tueri, fiduciam omnem ſalutis collocantem non alia in re, niſi in ſanguine duntaxat* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti. *Itaque nunc vos rogo omnes, pro me & mecum precemini.* Conuerſáque *ad* Feknamum: Dicámne, *inquit, pace veſtra* Pſalmum *hunc?* Age, *inquit ille, ſi libet.* T*um illa explicato libro* Pſalmum

mũ LI. Miſerere mei: à principio ad finẽ ingenti cordis affectu recitat. Rurſúſque eo finito erecta vbi in pedes eſſet, chirothecas & ſudarium D. Tylneæ ancillæ ſuæ, librum D. Brugio fratri illius qui turri præficiebatur commendauit, móxque veſtes exutura, pallam primum enodare aggreditur. Ibi tum lictor opem ei laturus accurrit. Quem illa ſeſe vt ſineret pauxillulum rogat: atque ad duas vertens ancillas generoſas, quæ famulatum ei præſtabant, illis ſe exuendam præbuit. Exutæ demùm mundo, tiara, ac peplo, ſudarium illæ velandis oculis in manus præbẽt. Secundum hæc lictor flexus genibus ſupplex ab ea veniam ſtipulatur: cui illa toto condonauit pectore, rogátque ille vt cõcedat paululum eô vbi ſtramina ponerentur. Quod vbi feciſſet illa, per eum locum, truncum in quo auferendum erat ei caput, conſpicit. Tum illa ad lictorẽ: Quæſo, inquit, celeri manu rẽ velis cõficere. Quibus rebus ita præparatis, procumbit tum in genua adoleſcentula, rogans hoc modo lictorem, an caput ei prius præcideret, quàm ſe ſuper truncum reponeret. Non ait ille, ô Domina. Tum illa linteo velamine obductis oculis, ac obtecta facie, Quid, inquit, nũc agam, quid nunc faciam, vbinam illud eſt? Ibi tum ex aſtantibus quiſpiam, caudex vbi eſſet manu præmonſtrauit. Túmque illa humiliter reclinato capite, ſtratóque ac exporrecto in longum corpore: Domine, inquit, in manus tuas commendo ſpiritum meum. ad quam vocem imminens ceruici lictor, reducto confeſtim enſe, capite plexam humi proſtrauit, Anno Domini M.D.LIIII. Februarij XII.

Erat Ioanna hæc quam nos & Ianam populari cognomento dicimus, tum quum hoc modo moreretur, annorum XVII. adoleſcentula, non amplius. Cuius mors hoc mihi indignior fuiſſe videtur, non ſolùm ob cultiſsimi ingenij illius ſingulares dotes: quippe quæ cum Latinis, cúmque Hebraicis, ſic & Græca cõiunxit vt declamare etiam in ea lingua, eáque in ætate, ídque extẽpore potuiſſet: verùm & ob hoc ipſũ multò magis quòd nulla culpa, nullo merito ſuo, hoc ei ſupplicium inflictum fuit: tantùm quòd infelici fato parentes ipſam cum ea copulaſſent familia.

Rogata à D. Ioanne Brugio turris Londinenſis toparcho, vt libro ipſius aliquid ſua manu inſcriberet, quod tanquam gratum ſui mne-

Verba in libro Brugiano inſcripta.

moſynon ſeruare poſſet:hanc illi paucis,lineis delineauit gnomographiam. Quoniam ita à me, D.*præfecte,poſtulas,vt nonnullum in tam nobili libro tuo calami mei relinquam monumentum : obſequens igitur voluntati tuæ,primùm te hortor,próque* Chriſtiano *etiam officio moneo,velis inuocare* Dominum, *quò cor tuum in* Legis *ipſius obſeruantiam inclinet,téque in vijs adammet,vegetétque ipſius:ne quando verbum veritatis auferat ab ore tuo .* Viue,*quaſi quotidie moriturus. ſicque morere, vt viuas perpetuò,moriturus nunquam .* Ne *te fallat vitæ incertæ vitrea fiducia.* Mathuſalem, *ſicut te ſacræ docent literæ quanlibet in longiſſimos vitæ numeros exceſſit, deceſſit tamen , habuítque & ipſe ſuum exitum.* Et *verò,vt ſapiens ille concionatur* Eccleſiaſtes, Tempus *eſt naſcendi,tempus moriendi: meliórque eſt dies mortis die natiuitatis. Sua manu* Ioanna,*in* Domino *tua.*

ANTONIVS MAGNEVS.

M.D.LIIII ANtonius Magneus *Orleaci natus in montibus* Aruerniæ,*nũtiũ captiuitatis* Lugdunẽſiũ *qui ſuprà memorati ſũt,eccleſiæ* Geneuẽſi *attulit.aliorum etiam qui eodem tempore* Lutetiæ *nomine* Euangelij *comprehenſi fuerunt , vt vnumquenque eorum precibus eccleſiæ commendaret.* Aliquanto *pòſt quum propter quædam ſua negotia in* Galliam *reuerteretur,*Biturigibus *captus eſt,proditus à quibuſdam ſacerdotibus , qui eum in manus* Officialis *tradiderunt , tribus horis poſtquam in eam* Biturigenſium *vrbẽ veniſſet,* XVIII.Martij,M.D.LIIII. Poſt *aliquot dies è iuriſdictione ac poteſtate* Officialis *à iudicibus regijs ereptus fuit,*Lutetiámque *poſtea deductus,vbi capitis damnatus eſt,poſteaquam fidei ſuæ confeſſionem edidiſſet , atque in carcere omnia opprobria & tormenta ſumma virtute & conſtantia pertuliſſet.* Is *igitur lingua ei primùm præciſa, viuus in platea* Malberti *crematus eſt,*XIII.Iunij,*anno eo qui ſuprà notatus eſt.*

GVILIELMVS D'ALENÇON.

AD *doctrinam* Euangelij *noſtris temporibus promulgandam atque illuſtrandam,inſignis extat opera eorum,qui libros eos quibus ſacra* Scriptura *purè piéque eſt explicata, in* Papatum *deportarunt,atque ita illos qui in tam miſeranda diſperſione omni pietatis*

doctrina

doctrina & conſolatione ſunt priuati, adiuuerunt. In eorum numero *egregia fides & opera* Eccleſiæ *Chriſti maximè opportuna extitit* Gulielmi *Alençonij, patria* Monſalbani, *cuius memoria nobis perdigna eſt viſa quæ literis mandaretur.* Nam quum *is ſæpe in varias regni Galliæ prouincias profectus eſſet, tandem* Monſpeſſuli *in Gallia* Narbonenſi *captus eſt, à falſis fratribus proditus, atque coniectus in carcerem ab ijs qui in ea vrbe iuriſdictionem habēt. Qui quum eum de fide ac religione quam profiteretur, interrogaſſent, videréntque in pura* Euangelij *confeſſione firmum & conſtantem eſſe, die Sabbathi, qui fuit* VII. *dies* Ianuarij, M.D.LIIII. *capitis eum damnauerunt.* Fuit autem *alius arte ſua panni tonſor pro eadem veritatis cauſa captus atque in carcerem incluſus, quem infirmitate carnis debilitatum, atque à vera* Filij Dei *confeſſione auocatum, iudices ea condemnarunt pœna, vt honorariam, quam vocant, emendationem ſubiret, atque in morte* Alençonij *ſpectator adeſſet.* Sed *eo ipſo die, qui ad eas pœnas irrogandas erat conſtitutus,* Deus *eam* Alençonio *gratiam largitus eſt, vt eum ita territum ac fractum, quum verbo* Dei, *tum ſuo exemplo vehementer confirmauerit, atque ad conſtantiam verè* Chriſtianam *reuocauerit.* Itaque *quum nouam animi virtutem recepiſſet, à iudicibus poſtulauit, vt aut reduceretur in carcerem, aut vnà cum ipſo* Alençonio *cremaretur: dixítque ſe nullam erroris emendationem aliam facturum, quàm eam confeſſionem, qua moriens tandem* Euangelij *doctrinam, quam* Alençonius *confiteretur, confirmaret.* Hac *fidei firmitate & conſtantia duo præſtantes* Ieſu Chriſti *martyres,* Monſpeſſuli *combuſti fuerunt.* Librarius Alençonius *die* VII. Ianuarij: *alter verò die* Martis *ſequenti, qui fuit dies decima eiuſdem menſis, anno* M.D.LIIII.

Guli. proditus à falſis fratrib⁹.

Fractus tonſor animū recipit

PETRVS DV VAL.

EOdem *anno* M.D.LIIII. Petrus Vallenſis *ex oppido* Pantillaco, *quinque ab vrbe* Toloſa *milliaribus, artem profitēs ſutoriam,* Nemauſi *in Gallia* Narbonenſi, *nomine* Euangelij *comprehenſus eſt.* Is *quum puriſſimam religionis* Chriſtianæ *doctrinam conſtantiſſimè confeſſus eſſet: vt conſcios eiuſdem doctrinæ homines fideles indicaret, grauiſſima tormenta & cruciamenta corporis perpeſſus eſt. qui-*

bus tamen mutilatus, fractus, oppreſſúſque, neminem vnquam nominauit. Poſtremò in ea vrbe viuus pœnam ignis vſitatam ſenſit, ac maximo fortiſſimóque animo ſuſtinuit, anno M.D.LIIII.

RICHARDVS LE FEVRE.

MAXIMA *ac iuſtiſſima eſt cauſa, cur Deum omni gloria celebrare debeamus, quòd non ita pridem Richardũ Feurum profeſſione aurifabrũ, patriáque Rothomagẽſem pro nomine Filij ſui Ieſu Chriſti confitendo ac tuendo in extremum certamẽ produxerit. Nam is antea eãdem ob cauſam Lugduni comprehenſus, in carcere diu fuerat, anno* M.D.LI. *vbi veritatem Euangelij ita conſtanter defendit, vt capitis à iudicibus eius vrbis damnatus fuerit. A qua tamen ſententia Lutetiam ad Curiam ſupremam quorũdam hominum impulſu appellauit. Cùm autem iam eſſet in itinere vt Lutetiam duceretur, ereptus fuit è manibus eorum, qui eum ad illud parlamentum deducebant. ac quanuis multa ſint & ſcripta & dicta præclarè in eius prima captiuitate ac confeſſione, monumẽtis literarum digna: quia tamen mors, quæ iure optimo eſt grauiſſimum quoddam ſigillum eorum omnium dictorum atque ſcriptorum, eo tempore non eſt conſequuta, nos in hac hiſtoria ea prætermiſimus, ac pro omnibus quæ tum acta ſunt, vnam tantùm epiſtolam inſeruimus, quam Ioannes Caluinus ei reſcripſit, reſpondens ad ea quæ Richardus per literas ab illo quæſiuerat, vt quemadmodum ſcribebat, his ſubleuatus, inſtructus ac munitus, melius ſuſtinere poſſet ea quæ inimici, tum aſpectabiles, tum etiam ſpirituales ei obijcerent. Itaque, cùm ea epiſtola ſummam tum eruditionem, tum conſolationem complectatur, nos eam hoc loco adſcripſimus, quemadmodum cæteras omnes eius viri literas ad afflictos conſolandos miſſas, vt temporis atque ordinis ratio poſtulabat, quò aliquis conſolationis fructus ad homines fideles peruenire poſſet.*

Richardus morti ereptus.

Epiſtola Ioannis Caluini Geneua ad Richardum Feurum miſſa, grauiſsimique tum conſilii, tum ſolatii pleniſsima.

Quemadmodum, frater chariſſime, Deus te vocauit, vt Euangelio ſuo teſtimonium dares, ita minimè debes dubitare, quin virtute Spi-

Spiritus ſui te confirmet, ac quod iam in te inſtituit perficiat, ſéque in te victorem aduerſus omnes inimicos ſuos oſtendat. Quanquam triumphi quidem Ieſu Chriſti, iudicio mundi contemnantur. Cùm nos quidem in ſummo verſemur opprobrio, impij verò ſuperbia ſua gloriáque extollantur. id tamen non impedit, quò minus & illi confundantur potentia veritatis eius, quam Deus nobis in ore poſuit: & nos in cordibus noſtris ſuſtentemur, atque ita confirmemur, vt aduerſus ſathanam omnéſque eius miniſtros gloriari verè poſſimus, expectantes illum diem illuſtrem, in quo gloria Dei cum impiorum atque incredulorum confuſione pleniſſimè reuelabitur. Quod tu ad hunc vſque diem de ſingulari eius bonitate es expertus, id in optimam ſpem debet te inducere, atque in ea fiducia confirmare, eum in poſterum tibi nunquam defuturum. Interea eum ora vt ipſius gratia magis ac magis intelligas & ſentias quantus theſaurus ſit eius doctrinæ, pro qua tu hanc dimicationem ſuſcepiſti: cui quidem vita tua comparata, tibi minimè chara aut pretioſa eſſe debet. Tuos etiam attolle oculos in cælum ad optimum ac fideliſſimum Dominũ Ieſum, qui tuus certiſſimus vindex futurus eſt, cùm tu nullã aliam ob cauſam, quàm propter ſanctiſſimum eius nomen vincula iſta patiaris. Cogitatione complectere eam immortalem gloriam, quam ipſe nobis acquiſiuit, quò maiore animi æquitate & patientia afflictiones, in quibus hoc tempore verſaris, ferre poſſis. Optimum ac benigniſſimum Deum ſine vlla intermiſſione ora, vt pro ea examinis ratione ad quod fidem tuam adduxit, eam quoque gratiam tibi impertiat, vt vſu virtutem promiſſionum ſuarum ſentire poſſis: ac cùm ipſe omnis lucis ſit Pater, ita mentem tuam illuminet, vt omnes fumi, quos impij homines tibi offundere poterunt, oculos tuos non obfuſcent & obſcurent, neque fallaciæ captionéſque eorum mentem tuam perſtringant atque impediant, quò minus tu ſemper clariſſimum illum ac ſalutarẽ ſolem Ieſum Chriſtum, verum Dei Filium contueri poſſis.

> Triumphi Chriſti mũdo contemptibiles.
>
> Gloria nobis à Chriſto parta.
>
> Sol iuſtitiæ Chriſtus.

De ratione verò ac moderatione, qua aduerſariorum argumentis reſpondendum eſt, tu quidem prudenter facis cum ſimplicitate & modeſtia illis reſpondens pro modo fidei tuæ, quemadmodum ſcriptum eſt, Credidi, idcirco loquar. Quanquam omnia quidem eo-

> Pſalm.115.

rum acuta argumenta, quæ ad oppugnandam veritatem afferunt, nihil aliud ſunt quàm ſtolida & ridicula hominum commenta: tu tamen acquieſcas in eà cognitione, quam Deus tibi impertiuit, eáque contentus, teſtimonium eius veritati ſine vlla ſimulatione da. Nam *quanuis illi irrideant quod abs te dicetur, illud tamen ad eos perturbãdos & confundendos vim cuiuſdam fulminis habebit, quum in* Deo *eiúſque verbo fundatum atque conſtitutum erit.* Neque *verò tu ignoras eum qui promiſit ſe os ſuis & huiuſmodi ſapientiam largiturum,* Lucę 21. *cui omnes aduerſarij reſiſtere non poterunt. pete igitur ab eo vt te ita regat & gubernet, ſicut opus eſſe cognoſcet.* Quanquam *id quidem eos minimè impediet, quò minus, qua ſunt audacia & temeritate, te hæreſeos condemnent: tamen id æquiore animo ferendum eſt, quòd non eſt nouum atque inuſitatum: ſed ita ſemper cum* Apoſtolis, Pro*phetis,* Martyribúſq; *factitatum.* A*ctuarius quidẽ, quæ ei videbuntur, tantùm in acta referet: ſed id non impediet quò minus confeſſio tua corã* Deo *eiúſque* Angelis *perſcripta extet, eámque vim ei dabit, quam communis* Eccleſiæ *ædificatio poſtulare videbitur.*

Ego *paucis aliquot capita attingam, in quibus conati ſunt te conturbare, moleſtiáque afficere.* Vt *demonſtrarent tibi nos non ſola* Dei *gratia iuſtificari, allegarunt* Zachariam *alióſque multos in* Scriptu*ra* Iuſtos *fuiſſe appellatos.* In *eo autem conſiderare conuenit, quemadmodum eos* Deus *tales acceperit, iuſtóſque habuerit.* Quòd *ſi reperiatur id gratuita eius bonitate fieri, ea ipſis ignoſcentis quæ in eis requiruntur, nec eis vitia peccatáque attribuentis, omne iam meritum excluſum eſt.* Etenim *quum dicitur nos ſola fide per* Chriſtum *iuſtificari, primùm intelligimus nos planè eſſe maledictos, neque quicquam aliud in nobis quàm peccatum eſſe, neque poſſe quicquam boni facere, niſi quatenus* Spiritu Dei *ſancto, vt membra* Filij *eius regimur ac gubernamur.* Præterea, *quanuis* Deus *eam nobis gratiam impertiat, vt in timore ipſius ambulemus, longiſſimè tamen ab eo abſumus, vt officio noſtro ſatisfaciamus, præſtemúſque eam iuſtitiam, quam is in ſua* Lege *à nobis requirit.* Eſt *autẽ ſcriptũ, eũ eſſe maledictum, qui non omnia quæ ſcripta ſunt præſtiterit.* Itaque *nullum aliud iuſtitiæ ſalutíſque perfugium habemus, quàm ad puriſſimum* Ieſu Chriſti

Iuſti quomodo dicãtur quidam in Scriptura.

Iuſtificari per Chriſtũ quid ſit.

Chriſti ſanguinem, cuius ſacrificio, quod in eius morte ad ſanctificationem noſtram factum eſt, omnia vitia noſtra & peccata eluuntur. *Hoc eodem modo Deus opera quæ nos ipſius virtute facimus, grata & accepta habet: quamuis ea ſemper aliquibus vitiorum maculis affecta ſint. Ita qui voluerit niti ſuis meritis, is quaſi in aere ſuſpenſus erit: itaque de ſua ſalute incertus, vt quaſi omni vento agitari videatur. Deniq; qui aliquid ſe mereri arbitrantur, ij Deum ſibi deuinctum atque obligatũ huiuſmodi opinione faciunt, cùm nos omnia eius bonitati planè debeamus. Nos quidẽ meritis diuites & abũdãtes erimus, ſi in Ieſu Chriſto ſumus ac viuimus. Eius verò gratia priuati, ſtatuamus ne guttã quidẽ boni nos habituros. Neque verò debes cõturbari ſi inimici nomen Mercedis tibi allegant. nam Deus mercedem reddit ſuis, non quòd illi ea digni ſunt, ſed quòd ea opera quæ in ipſis poſuit, pro ſua gratia accipit, cùm ea in ſanguine Filij ſui conſecrauit, vt inde omnem æſtimationem dignitatémque accipiant. Itaque merces, quam Deus ſuis fidelibus promittit, habet antea conſtitutam remiſſionem peccatorum, eámque gratiam, qua eos vt filios ſuos in ipſorum infirmitatibus proſequitur ac tuetur, non acerbè omnia exigens, ſed clementer multa ignoſcens. Et certè hoc iuſtitiæ nomen eam vim habet, vt cùm Deus nos pro iuſtis accepit, gratos quoque & charos habeat: id quod ſola fide in Chriſtũ, in quo vno cauſa ſalutis noſtræ eſt conſtituta, conſequimur. Diuus quidem Iacobus id nomen alia ſignificatione accipit, cùm ait operibus ipſam fidem adiuuari, vt nos iuſtificemur. Intelligit enim tum approbari, ac re ipſa declarari nos iuſtos eſſe, cùm in bonis operibus illuſtria extant teſtimonia. Neque verò Iacobus diſputat in quo ſalus noſtra eſt fundata, & quo noſtra fiducia niti debeat: ſed tantummodò quemadmodum vera fides cognoſcatur & cernatur, vt nullus ea abutatur, ſolo eius nomine leuiter ſe efferens. Si illi ad te redeant, vt importunè tibi negotium faceſſant, ſpero Deum os tibi daturum, quo poſſis eos vincere.*

Quę opera Deo accepta.

Merces quo modo à Deo reddi dicatur.

Iacobi loc' de operibus expoſitus.

De interceſſione virginis Mariæ, eorúmque Sanctorum, qui iam vita defuncti ſunt, redeundum ſemper eſt ad hoc principium, non eſſe noſtrum aduocatos conſtituere in paradiſo: ſed eam authoritatem ad Deum pertinere, qui Ieſum Chriſtum vnum pro omnibus ad-

Dei eſt nobis aduocatum conſtituere.

uocatum patronúmque conſtituit. Item *preces noſtras debere fieri in fide, atque ex verbo* Dei *inſtitui & adhiberi, ſicut* x. R*om.*P*aulus monet.* A*t in toto* D*ei verbo nulla reperitur ſyllaba eius quam perhibẽt aduocationis.omnes igitur eorum orationes ſunt profanæ,ac* D*eo ingratæ.*Q*uòd ſi obijciant nobis non eſſe interdictum,quò minus illud* S*anctorum patrocinium imploremus atque adhibeamus, facilis reſponſio eſt,nihil nobis tentandum aut inſtituẽdum eſſe ex ingenio noſtro ac ſenſu proprio,ne in re quidem minori:minimè verò in oratione,quæ multò eſt maior ac ſanctior,quàm vt in ea inſtituenda atque adhibenda leuitatem opinionis noſtræ ſequi debeamus.* Q*uin & iam negare nullo modo poſſunt,quod perfugium ſuum in aduocatione* S*anctorum conſtitutum habeant,id ex mera diffidentia exiſtere,quaſi vnus* I*eſus* C*hriſtus ipſis non ſufficiat.*Q*uod verò excipiunt,charitatem* S*anctorum non eſſe diminutam,facile eſt reſpondere,charitatem conformare ſe atque accommodare ad eam* D*ei voluntatem,qua certa ac definita vnicuique officia præſcribuntur.* I*s autem vult, vt qui remanent in hac vita ſe in ijs precibus exerceãt,quibus alij alios* D*eo commendent:mortuorum verò nulla vnquam mentio facta eſt.* A*tque in his quidẽ rebus nihil ex noſtro ingenio cogitare debemus: ſed in eo ſolùm acquieſcere,quod in* S*criptura propoſitũ eſt atq; præſcriptum.*

Preces ad Sanctos ex mera diffidentia.

Ad Sciptura amuſſim omnia exigenda.

Q*uod autem afferunt ex* G*eneſi, nomen* A*brahæ &* I*ſaac inuocandum eſſe poſt ipſorum mortem,textus quidem ita habet:ſed perridiculum eſt eum locum ad hoc propoſitum adducere.* I*d autem ſcriptum eſt* XLVIII.G*eneſ. vbi memoratur,*I*acobum quum* E*phraim &* M*anaſſe filios* I*oſephi benediceret,* D*eũ oraſſe vt nomen patrum ſuorum* A*braham &* I*ſaac, & ſuum ipſius ſuper eos duos* I*oſephi filios inuocaretur,velut ſuper duo capita earum tribuũ quæ ex ipſo orirentur.* H*oc autem perinde eſt acſi diceret,vt illi cenſeãtur atque ita habeantur in numero duodecim tribuum, vt duo capita efficiant, quaſi primo gradu filij ipſius eſſent.*P*ræterea,quum illi nati eſſent in* AE*gypto, eos ſua precatione ad eam progeniem adiungit, quam* D*eus benedixerat ac ſanctificauerat: quoniam eo quidem tempore externa quadã ſpecie ab illo ſancto ſemine ac genere quaſi ſegregati eſſe videbantur.*I*ta hæc loquendi forma nihil aliud ſignificat, quàm nomine*

Nomẽ defuncti inuocari ſuper aliquẽ.

NB

Abrahæ

Abrahæ appellari,atque ex illius progenie cenſeri,quemadmodum 4. Eſaiæ etiam dictũ eſt,nomen viri ſuper mulierem coniugem inuocari, propterea quòd ea eſt ὕπανδρος,*atque in poteſtate gubernationéque mariti conſtituta. De ſancto* Ignatio,*quem tibi proferunt,non neceſſe eſt multis eis verbis reſpondere.* Extat *in eius libro huiuſmodi ſententia, in qua dicit* Ieſum Chriſtum *vnum ſibi eſſe pro omni antiquitate.*Hoc *igitur te vno verbo arma,vt eos ad puram* Euangelij *doctrinam reuoces.Quoniam autem ego ea ſententia contra* Papiſtas *vſus ſum, inde illi colorem quendam accipiunt,vt dicant me approbare eum librum ac magnifacere.*Ne *verò id te conturbet,ego tibi affirmo eo in libro huiuſmodi aceruum nugamentorum eſſe adeò abſurdorum , vt monachi hodie ineptiora ac magis nugatoria ſcribere non poſſent.Sed quoniam tu nullam habes linguæ* Latinæ *cognitionẽ, multò etiã minus* Græcæ, *in qua ſanctus* Ignatius *ſcripſit(ſiquidem ea illius ſunt quæ nomine ipſius inſcribuntur) nihil opus eſt te in huiuſmodi diſputationẽ ingredi.Satis quidem ſit tibi ita illis reſpondere, vt ſequendo* Ieſum Chriſtũ *mũdi lucem,errare nullo modo poſsis. Quòd ad veteres* Doctores *attinet,ij qui in huiuſmodi rebus magis ſunt exercitati,ea poterũt dicere,quibus os illorum obſtruatur.* Tu *verò tantùm fidem tuam in verbo* Ieſu Chriſti,*qui fallere aut mentiri non poteſt,fundatã & planè conſtitutam habeas.*Nam *illud vnum eſt,quô veteres* Doctores *referunt omnia, aduerſarióſque remittunt cum huiuſmodi teſtificatione quòd eatenus fidem ſibi volũt haberi, quatenus ipſorum ratio cum ijs conſentire videbitur quæ* Deus *nos docuit, atque in eius verbo continentur.* Porrò *in quæſtione de ſacramento* Cœnæ,*quũ de ſua tranſſubſtantiatione tibi loquentur,reſpondere aptè potes,omnes eas ſententias quas adducũt, etiamſi ita eſſent intelligendæ vt ipſi arbitrantur,eas tamen non poſſe ad* Miſſam *accõmodari.*Nam *ſicut eſt dictum,* Hoc *eſt corpus meum,& ſanguis meus,ita ſtatim adiunctum eſt,* Accipite,*edite,bibitéque omnes de hoc calice. At inter eos vnus tãtummodò eſt qui comedit:populo verò dimidia pars ſacramẽti impertitur, ídque in feſto* Paſchæ.*Quinetiã in hoc ipſorum abuſu maius ineſt malũ,quòd pro eo quod* Ieſus Chriſtus *dicit,* Accipite: *illi hac opinione adducũtur,quaſi* Deo *ſacrificium vnicum perpetuúmq; offerant.* Ita-

Chriſtus Ignatio pro omni antiquitate.

Doctores veteres quatenus admittendi.

Cœnę abuſus.

que vt his ſacramenti verbis iuuarentur, oporteret eos habere verum Cœnæ vſum, quem non habent. Cæterùm tu debes ſemper teſtificari te nullo modo negare quin Ieſus Chriſtus nobis ſuũ corpus det, modò illud in cælo quæramꝰ. In omnibus autẽ argutis cauillationibus quibus tecum poſſunt agere, tibi quidem nihil præter id quod vidiſti, declarãdum eſt, cùm optimè ſcias perſuaſúmque habeas, Deum eſſe à quo id acceperis ac didiceris. Nam fides quidem noſtra valde eſſet tenuis ac ieiuna, ſi in hominũ doctrina atque opinione fundata eſſet. nihil igitur melius eſt, quam perpetuò meditari eam doctrinam, in qua tota vis noſtræ fidei religioníſque Chriſtianæ conſiſtit, vt in tẽpore & loco demonſtrare poßis, te non temerè credidiſſe. Ac quemadmodum initiò dixi, ſi inimici veritatis pro honore ſuo ambitioſè pugnant, tui eſt officij ac muneris in hac dimicatione ita modeſtè verſari, vt contra omnes ipſorum aſtutias captionéſque Deo gloriam tribuas: neque verò aliud requiras, quàm clypeũ veræ ac ſynceræ confeßionis, qua id quod Deus in animo tuo impreßit, ingenuè teſtari poßis. Multò verò minus debet id te perturbare atque angere, ſi me aut alios impudenter criminantur & calumniantur, cùm eam iam licentiam ſunt adepti, vt ſine vlla ratione maledicant. Feramus patienter omnia probra & crimina, quæ illi in nos conijcient, nec enim meliores ſumus diuo Paulo, qui dicebat, nobis per huiuſmodi infamias & contumelias eundum eße. Agamus id modò quod rectum eſt: cùm de nobis maledicetur, id erit huiuſmodi, vt in eo conſcientiam noſtram ſubleuare ſuſtentaréque poßimus. Atque etiam cùm illi in nos huiuſmodi calumnias conferunt, nos magnam habemus cauſam, cur Deo gratias agamus, cùm ita coram eo atque hominibus conſcientiam noſtram puram habemus, longéque ab omni prauitatis ſuſpicione abſumus: Deinde quamuis ſumus peccatores miſeri, multorúmque malorum ita pleni, vt ea gemere perpetuò debeamus: orandus tamen Deus eſt, ne permittat impios homines maledicere de nobis, niſi mentiendo, vt ipſi hoc modo ſuo ore condemnentur, quod de nobis ea impudenter confingant, quæ verè in ſeipſis deprehendere poterant, niſi amentia ac furore occæcati impedirentur. Lætemur igitur ac gloriemur cum omni humilitate in gratia Dei noſtri, cum huiuſmodi miſeros homines videmus, quaſi quoſdam temulẽ-

tos

tos in ſua turpitudine gloriari. Si tibi moleſtum eſt, cùm audis eos de nobis calũnioſè detrahere: multò certè moleſtius eſſe debet, cùm audis eos de ipſo Domino *gloriæ ac ſaluatore* Chriſto *contumelioſè indignéque loquentes.* Nam *nos quidem tota cum noſtra innocentia digni ſumus vt omni confuſione opprimamur. Interea autem conſolare te in optimo* Deo *noſtro, qui pro ſua gratia ita nos cum* Filio *ſuo coniunxit, vt omnes inferorũ diaboli, atque omnes mundi iniqui & impij, ab eius coniunctione atq; amore nos nunquam diuellere poßint.* Lætare *porrò in eo, quòd optima conſcientia cauſam illius tueris, ſperéſque eum virtutem tibi daturum qua id quod ipſe te ferre voluerit, fortiter & conſtanter ferre poſſis.* Nos *quidem in precibus noſtris eam memoriam & charitatem tibi præſtamus, quam debemus.* Denique *ſupplices oramus, vt qui pro ſua gratia ad veritatem ſuam tuendã te delegit, iſtúmque in locum deduxit, idem tibi omnia* Spiritus *ſui dona adiumentáque impertiat, quæ in hoc officio tam honorifico ac teſtimonio requiruntur, ſummámque præſtet perſeuerantiã, eámque prudentiam ſpiritualẽ, vt incrementum regni eius ac nominis tantummodò propoſitum habeas, illúdque vitæ tuæ anteponas: idémque ſe tuum defenſorẽ, protectorémque ita oſtẽdat, vt id & tu ad conſolationẽ tuã ſentire poßis, & cæteri etiã animaduertere, conſolationémque accipere.* Omnes *fratres, qui hìc ſunt, tibi in* Domino *plurimum ſalutis dicunt, gaudéntque quòd ipſe tantam in te potẽtiam exhibuerit: eámque miſericordiam ex iſtis tuis vinculis capiunt, quam fraternus amor poſtulat: à* Deóque *optimo petunt, vt te ſumma bonitate ſua & miſericordia complectatur & tueatur.* Geneuæ, XIX. Ianuarij. *Tuus frater in* Domino Ioan. *Caluinus.*

Epiſtola Richardi Feuri, in qua exponit totam rationem quemadmodum captus fuit Gratianopoli, ſimul quę ab aduerſariis ſunt propoſita quęſitáque, & ab ipſo reſponſa.

SI vos chariſſimi fratres, me videtis in hanc captiuitatem reuocatum, minimè vobis mirum videri debet, ſi paulùm conſideretis Dominum Ieſũ nihil adhuc quietis in hoc mũdo mihi cõſtituiſſe, quod maximè expertus ſum ex eo tempore, quo me è periculo mortis liberauit, è manũque inimicorum, quos cognoſcitis, eripuit, atque hanc vitæ meæ conditionem ea experientia cognoui, in qua ſathã me ſæpe ac variè aggreſſ⁹ eſt, vt ego inde nihil aliud quàm noua certamina expectare potuerim. Neque verò Ieſus Chriſtus in hac quidem vita, multam nobis pacem promittit, aut certè longas inducias, tametſi ego

magnopere eas optarem. Quinetiam per me non ſtetit, quò minus quæſiuerim omnes rationes, quibus quiete ac tranquille viuere poſſem. Sed quemadmodũ ait Dauid, cùm eas optarem ac quærerem, bellum mihi obijciebatur. atque etiã in his tentationibus ita fui excuſſus, vt ſæpius in terram deiectus fuerim, & ita attonitus & conſternatus, vt quò me verterem planè neſcirem. Quibus in periculis, ſi Dominus mei miſertus non fuiſſet, planè oppreſſus perijſſem. Ego autem ſpero Dominum, ſi hæc conſideraueritis, præſertim cum eo Spiritus iudicio, quod vobis dedit, non permiſſurum, vt in vanas ſpeculationes & cogitationes incidatis, quibus perturbati omnem eius prouidentiam ignoretis, eiúſque conſilium æternum, quo vno tota hæc mea cauſa vſque ad hunc diem fuit gubernata. Qua quidem in re ſpero eum exitum futurum, qui ad gloriam nominis eius & eccleſiæ ædificationem atque ad meam conſolationẽ redũdabit. Quemadmodum quidem iam initium huiuſmodi fuit, vt complures qui in eo examine adfuerunt, tum ex magiſtratibus, tum etiam ex cæteris hominibus, qui vel in carcere ſunt vel expertes huius miſeriæ Deum tamen reuerentur, magnopere ædificati & confirmati in fide fuerint, qui omnes teſtes eſſe poterunt eorũ quæ in hac controuerſia agitata & acta fuerũt. Ego autem, quoniam eſſet prolixum omnia commemorare quæ tum acta ſunt, perſcribam quæ vos velle ſcire arbitror, exiſtimans vos ea non tam curioſitate quadam, quàm ad ædificationem eccleſiæ requirere.

Non ignoratis, fratres chariſſimi, nos ſæpe incidere in huiuſmodi & tempus & locum, vt ea videamus, atque audiamus, quibus honos Dei contumelioſe læditur ac violatur, quæ fuit cauſa, vt meipſum excitarim ad veritatẽ Dei defendendam pro ea facultate quam Deus mihi dederat, eòque magis, quòd omnibus modis eò me inducere volebant vt conſentirem cum eorum ſuperſtitionibus, quibus me à vera religione & fide Chriſtiana ad impios cultus ſuos traducerent: cùm optimè ſcirent me Geneuæ in eccleſia commoratum fuiſſe. Itaque illi Latrunculatorem in Delphinatu conſtitutũ inſtigarũt, vt ad me cùm eſſem in diuerſorio, prehendendum veniret. Is autem circiter horam noctis decimam aut vndecimam eò venit, méque comprehenſum, ac funibus vinctum (quoniam nox erat) duxit in cubiculum cuiuſdam comitis ſui aut ſatellitis Branchæ appellati, vt poſtridie in carcerem includeret. id quod factum fuit. Eo autem die productus fui ad iudicem Latrunculatorem, qui ſtatim me in infima & obſcura carceris loco deducẽdum curauit, vbi duodecim propè dies ſum commoratus cum duobus latronibus, qui veſperi eum in locum demiſſi, improbiſſimis verbis mihi plurimum moleſtiæ exhibebant. Qua quidẽ re multi honeſti ac probi viri, qui captiui erant, cùm meam afflictionem intelligerent, egerunt cum Præfecto carceris, vt audientia mihi concederetur, quò poſtea aliqua aeris commoditate frui poſſem. Itaque Præfectus carceris qui porta Troena appellatur, cum iudice Latrunculatore diligenter egit, vt me audiret. Sed quum is atque Epiſcopus totum hoc negotium recuſarent, ad Suppræfectum

remiſſus

remiſſus fui,atque ita primo die captiuitatis meæ,per vrbem circunductus,atque de carcere in carcerem traductus fui.Tandem Suppræf. miſit ad me in carcerem Portam Troenam,vnum ex aduocatis conſiliariiſque ſuis cũ actuario,vt me examinaret,vbi corã multis fratribus interrogatus ſum, cùm de nomine meo,tum de loco natali,& vnde venirem, quónam irem, quid in vrbe quærerem,ſimul etiam quæ cauſa eſſet cur captus fuiſſem,& quos libros,quóſque ſermones in diuerſorio habuiſſem. Cùm autem ad ea multis verbis reſpondiſſem. Num,inquit aduocatus,tu credis eccleſiam Romanam? Minimè, inquam,ſed credo Eccleſiam catholicam & vniuerſam.Quænam, inquit, eſt, catholica Eccleſia?Congregatio,inquam,Chriſtianorum & communio. Quæ, inquit,iſta congregatio eſt & quomodo exiſtit? Ea,inquã,conſtat numero eorũ quos Deus elegit,vt ſint membra Filij ſui Ieſu Chriſti, qui etiam illorum caput eſt.Vbinam,inquit,illa eſt & quomodo cognoſcitur? Ea,inquam, per vniuerſum mundum eſt diffuſa in diuerſis locis ac regionibus: cognoſcitur verò ea rectione ſpirituali,qua tum verbo Dei gubernatur, tum etiam ijs ſacramentis,quæ Dominus Ieſus Chriſtus à ſe inſtituta ei tradidit:ſicut videmus multas ciuitates ac nationes hoc modo atque ordine gubernari. Num,inquit,credis eã, quæ Geneuæ,Lauſannæ,Bernæ, in cæteríſque huiuſmodi ciuitatibus habetur, magis eſſe veram Dei eccleſiam, quàm ſanctam eccleſiam Romanam? Sanè inquam:quoniam illæ certas veræ eccleſiæ notas habent. Quid,inquit,intereſt inter eccleſiam Romanam,& eas quas modò memorauimus? Permultum, inquam:quod Romana traditionibus humanis regitur: aliæ verò, ſolo Dei verbo ac mandato gubernantur. Vbinam,inquit,primùm iſtam doctrinam didiciſti? In Anglia,inquam,Londini,atque ab ineunte ætate mea in ſanctis Scripturis fui inſtitutus. Quandiu,inquit,Geneuæ es commoratus? Decem, inquam, aut certè nouem annos.Crediſne,inquit,virginem Mariam peccatorum eſſe aduocatam & patronam? Ego, verò, inquam, credo id quod verbo Dei nobis teſtatũ eſt,Ieſum Chriſtum vnum eſſe Mediatorem & peccatorum aduocatum:virginem autem Mariam,eſſe illam quidem perbeatam, ſed huiuſmodi aduocationis officium non vſurpare. Quid,inquit, Sancti qui ſunt in paradiſo, nullámne habent pro nobis orandi poteſtatem? Non,inquam:ſed credo illos beatos eſſe,contentóſque ea gratia & gloria,qua ſummo Dei beneficio perfruũtur,vt ſint membra eius Filij Ieſu Chriſti, quo quidem nunc cum gratiarum actione ita fruuntur,vt hoc tam ſanctum officium ac patrocinium,quod Deus vni Filio ſuo chariſſimo commiſit, nullo modo occupent. Ecquid, inquit, tu de ijs ſentis, qui religionem eccleſiæ Romanæ amplectuntur, num eos Chriſtianos iudicas? Minimè, inquam, ſed infideles. Cur ita? inquit ille. Quoniam,inquam, vt antea dixi, ea eccleſia non gubernatur verbo Dei:ſed potius hoſtiliter cum eo belligeratur. An, inquit, credis eos omnes,qui recedũt ab eccleſia Romana Chriſtianos eſſe? Ego,inquam,non debeo reſpondere,niſi de mea fide,de eóque quod mihi impoſitum eſt. Itaque mihi quidem ſatis eſt, ſi pro meipſo ac non pro aliis reſpondeam. Suum enim quiſque,quemadmodum

monet Paulus, onus feret. Tum aduocatus me iterum ſolicitans, ac vehemēter vrgens, minatus eſt mihi, niſi ipſi reſponderem, ſe me ad reſponſionem coacturum. Non igitur, inquam, hoc quidem modo fiet cum iuſtitia atque æquitate. Cæterùm quod quæſitum eſt ex me de ijs, qui Geneuæ, Lauſannæ, Bernæ, cæteríſque in locis veram religionem amplectuntur, reſpondi, eos me credere Chriſtianos eſſe. Ex his verò qui à Romana eccleſia diſcedūt, permultos eſſe ſpurios, omnis religionis expertes, Anabaptiſtas, alioſque Epicureos ac voluptarios homines. qui etſi è Babylone exierunt, non propterea tamen in vera Ieſu Chriſti Eccleſia ſunt, quemadmodum ij qui in ſolo Chriſti verbo acquieſcunt, ſéque eo placidè ac modeſtè gubernari ſinunt. Tum aduocatus, cùm illud genus hominum memoraſſem, dixit me eos optimè cognoſcere. Ego verò inquam, illos quidem Dei benignitate cognoſco, non vt cum illis aliquam rationem habeam & communionem, ſed potius vt ab eis me maximè diſiungam & caueam. mihi enim propoſitum eſt ac conſtitutum in vera Eccleſiæ Ieſu Chriſti doctrina permanere. Imò verò, inquit ille, Antichriſti. Deinde quæſiuit, num vellem in hac doctrina ita reprobata & damnata permanere. Ego verò, inquam, ſtatuo eam quam profiteor, non eſſe huiuſmodi, ſed planè Chriſtianam & ſanctam. Itaque quoad Deus mihi eam gratiam conceſſerit, qua in hac vita poſſim eum inuocare, nihil aliud cupio, quàm vſque ad vltimū vitæ meæ diem extremúmque ſpiritum in hac vna doctrina acquieſcere conſtantérque perſeuerare. Tu quidem, inquit ille, magnoperè in tua opinione es obfirmatus. Ac quum videret tempus prandendi appropinquare, iuſſit reliqua in tempus pomeridianum reſeruari, eáque mihi recitari quæ & ab ipſo interrogata eſſent & à me reſponſa: quæ notarius ad verbum ſingula exceperat. Ea autem cùm ego ipſorum mandato ſignaſſem, poſtulatum eſt ab aduocato, vt aliquam aeris perfruitionem mihi concederet, quod ille fecit. multíque qui in carcere erant, maximopere ea re lætati ſunt. Ego autem à Præfecto carceris cum huiuſmodi fratribus ſum relictus, qui me omni cōſolatione refecerunt ac recrearunt. Hora prima poſt meridiem, Suppræfectus me in auditorium accerſiuit, quò cùm veniſſem, à Præfecto carceris deductus, coram Suppræfecto multíſque aliis aduocatis, cum quibus erat quidam Franciſcanus, productus fui. Ibi iterum interrogatus ſum, quæ in diuerſorio meo fueram locutus, præcipuéque de eo, quòd hoſpitem & hoſpitam reprehenderam, quia liberi eorum in ea precatione, quæ in menſa adhibetur, melius non eſſent inſtituti: me autem quod in Eccleſia Dei piorúmque virorum conſuetudine & videram & audiueram, maximè mouerat vt eos admonerem, docerémque quid & quomodo in huiuſmodi refectione capienda orandum eſſet. Itaque hac re illi offenſi me calumnioſè detulerunt, multáque ſecus quàm dicta erant in me contulerunt. Quæ quidem cauſa fuit, vt ego ea nec agnoſcere, nec accipere voluerim, eo quidem modo, quo Suppræfectus à me dicta eſſe demonſtrabat: ſed ei expoſui quibus de cauſis ac rationibus ego eos admonuiſſem, nimirū

Perſeuerantia in doctrina Chriſti.

Richardus modicam aeris perfruitionem poſcit.

mirum Chriſtianos omnes debere ex corde atque in ſpiritu orare, & ea lingua quæ ab omnibus intelligatur, quemadmodum apertè verbo Dei admonemur: idque eò fieri, vt proximus aliquem ædificationis fructum percipiat. Præterea huiuſmodi conſuetudinem, qua lingua incognita oratur, profectam eſſe à ſuperſtitione atque introductam, quæ adhuc in mundo maximam vim cum ſumma ignoratione obtineret. Tum Franciſcanus, cùm ea quæ à me dicerentur audiuiſſet, poteſtatem loquendi poſtulauit, & pluribus mihi verbis demonſtrauit, ſuum ipſorum Benedicite, Agimus tibi gratias, Laus Deo, pax viuis requies defunctis: & alias neſcio quas precationes, atque adeò omnes linguas Deū intelligere, eccleſiámque Romanam hanc orandi formam retinuiſſe, traditam à vetere eccleſia antiquíſque Doctoribus, qui ea Latinè vſi fuiſſent. illud præterea incommodum conſequi ſi ita ſit, vt non liceret niſi ſermone Gallico orare: multáque alia dixit, quæ commemorare longum eſſet. Ego autem cùm ea audiuiſſem, audiri poſtulaui, atque ea quæ à me dicerentur ſcribi. Quod cùm mihi conceſſum eſſet: reſpondi me non ita dicere quaſi nefas eſſet lingua Latina, Hebraica, Græca, aut alia orare: ſed in conſuetudine vitæ, conuictu ac ſocietate eam precationem eſſe adhibendam, quæ cognita ab omnibus & intellecta fructum pietatis omnibus afferat, ſicut Paulus eccleſiam Corinth. inſtituens præcipit. Omnibus linguis cū fructu pietatis orare poſſumus. 1. Cor. 14. *Tum Franciſcanus commotus, cœpit de huiuſmodi re concionem integram habere, afferens neſcio quas ſubtiles acutáſque ex philoſophia rationes de ordine precum faciendarum & laudum, accommodans ea quæ Euangeliſtæ memorant dicta eſſe ab ijs qui in introitu Ieſu Chriſti in vrbem Hieroſolymitanam acclamarunt, Oſianna Filio Dauid, affirmans eos qui huiuſmodi laudibus Ieſum Chriſtum afficiebant, genus ſermonis non intellexiſſe, quemadmodum Diuus Hieronymus interpretaretur.* Franciſcanus obiicit puerorum acclamationem Oſianua. *Cui ego reſpondi, Hieronymum quidem potuiſſe ſcribere, eos qui huiuſmodi laudes Ieſu Chriſto in ipſius introitu tribuiſſent, ſignificationem ac vim earum & laudum & precum non intellexiſſe: cùm præſertim ea eſſet Dauidis prophetia, in qua aduentus Domini atque introitus ab eo Pſalm. CXVIII. prædictus fuerat. Euangeliſtas verò qui illud vaticinium à Chriſto Ieſu completum fuiſſe demonſtrarūt, nullam mētionē feciſſe an illi ſermonis genus intellexerint. Sed Paulus certā precum regulam communémque doctrinam omnibus Chriſtianis dedit, cùm ait eas debere adhiberi ea lingua quæ ab omnibus intelligatur, & ad omniū ædificationē inſtitui: quod apud me quidem tantum valet vt ſubtiles ac philoſophicas diſputationes non magnopere requiram.* Preces ea lingua debent concipi quæ ab omnibus intelligitur *Tum Franciſcanus dixit, me minimè eſſe idoneum ad ſanctas Scripturas interpretandas, cùm præſertim linguæ Latinæ ignarus eſſem. Nam cùm is Latinè mihi multa narraret, poſtulaui ab eo, ne alia mecum, quàm mea lingua vteretur: nec enim opus eſſe Latinam eum adhibere, cùm Gallicam communem haberemus. Iterum ille mihi aliam concionem inſtituit, authoritates Conciliorum & Doctorum proferens, atque alia quædam hominum teſtimonia, quæ apud Suppræfectum plurimum valere vi-*

debantur. Itaque quum ille iudex conſtituiſſet proſequi quæſtionem eorum criminum quæ accuſatores in me conflauerant, quæ ad Regis infamiam & ſeditionem, contemptúmque virginis Mariæ & Sanctorum, atque ad rebellionem contra Principes Regéſque ſuſceptam: ego de omnibus huiuſmodi rebus interrogatus, reſpondi, eáque ſingula quemadmodum dixeram, expoſui, & quomodo aduerſarij conati eſſent me adducere in opinionem earum ſuperſtitionum ac traditionum humanarum, quibus nullo modo aſſentiri poteram. Poſtea Suppræfectus quæſiuit ex me, num crederem ſacroſanctam hoſtiam, quam ſacerdos in Miſſa conſecrat. Ego verò, inquam, nec eam hoſtiam credo, nec vllam huiuſmodi conſecrationem. Cur, inquit ille, non credis ſanctum altaris ſacramentum quod à Ieſu Chriſto eſt inſtitutum? Ego verò, inquam, credo ſanctiſſima Sacramenta, quæ Chriſtus Dominus inſtituit, eáque vſque ad mortem conſtanter tueri conſtitui. Num, inquit, Miſſam vnquam fide tua es complexus? Nunquam, inquam, in ea ſuperſtitione fui inſtitutus, neque quid ſit Miſſa atque huiuſmodi conſecratio, ſcio. De Sacramento verò Cœnæ Domini noſtri credo, quum eo quidem ita vtimur, quemadmodum Paulus præſcribit, 1. Cor. xi. nos ali ac refici ſpiritualiter corpore ac ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui verus paſtus ſpiritualis animarum noſtrarum & potus eſt. Ille eſt verum altare, in quo vno conquieſco, quemadmodum ait Apoſtolus Hebr. xiii. neque aliud altare Sacramētúmque agnoſco. Tum Franciſcanus allegauit mihi xi. cap. 1. Corint. adducénſque ea quæ vi. Ioannis ſunt ſcripta, vbi dicitur, Caro mea verus eſt cibus, &c. dixit veteres eccleſiæ Doctores de ijs in Concilijs decidiſſe, Miſſámque mortis & paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti memoriam eſſe ſanctam. Cui ego reſpondi, me ita credere atque ſtatuere, ſacramentum Cœnæ ad memoriam mortis Chriſti celebrandam piámque gratiarum actionem inſtitutum, quemadmodum Paulus docet eo allegato capite. neque aliam probationem dignitatémque requiri, quàm vt vnuſquiſque videat, num ipſum peccatorum ſuorum pœniteat, verámque is fidem & certam fiduciam in miſericordia Dei habeat, fretus merito illius, qui ſeipſum morti pro peccatis noſtris expoſuit, & certiſſimæ ſalutis noſtræ illuſtre reliquit monumentum in Cœna conſtitutum, & quaſi quoddam pignus earum promiſſionum quæ in Euangelio continentur. Hoc verò ita eſſe mihi planè perſuaſi, quod à Chriſto inſtitutum ac traditum, & ab Apoſtolis memoratum & celebratum eſt, vt in hoc Sacramento nihil ipſi offeramus: ſed beneficia à Deo nobis in Chriſto Ieſu liberaliſſimè oblata cum omni pietate atque animi gratitudine accipiamus. Ea autem omnia vt à Notario ſcriberentur, poſtulaui cum meis reſponſis, quæ Supræfectus me obſignare iuſſit. Et quoniam iam valde adueſperaſcebat, à carceris Præfecto ad portam Troenam remiſſus fui.

De hoſtia quæ in Miſſa cõſecratur.

Vſus Cœnę Dominicę.

Memoria paſsionis Domini in Cœna.

Diebus octo pòſt Supræfectus me in ædes accerſiuit, vbi certi homines conuenerant cum alijs monachis Dominicanis, & illo Franciſcano, cuius ſu-

prà

prà mentio facta eſt. Eo in conuentu conſeſſúque Suppræfectus inſtitutum examen repetens, denuo me interrogare cœpit, num purgatorium crederem. Ego verò, inquam, credo Ieſum Chriſtum ſanguine ſuo purgationem peccatorum noſtrorum perfeciſſe. An, inquit, non credis vllam aliã purgandi rationem, & poſt hãc vitam locum alium, in quo animæ commorentur tandiu, quoad pro peccatis commiſsis ſatisfiat? Minimè, inquam, ſed credo vnam, quæ pro omnibus ſufficit, eam ſatisfactionem, quæ in ſacrificio à Ieſu Chriſto oblato, eiuſque ſanguine effuſo peracta eſt. in quo quidem vno ablutio peccatorum noſtrorum & purgatio. Tum vnus ex iis monachis, qui ibi aderant Latinis verbis mihi protulit eam ſimilitudinem, quæ extat apud Matthæum decimo octauo capite, de eo qui debitum noluit ſocio ſuo remittere. Sed Supræfectus eum monuit, ne vllo modo mecum Latinè loqueretur, quoniam ita loquenti ego reſponſurus non eſſem. Franciſcanus autem tum mihi ſimilitudinem expoſuit multáque alia dixit, in quibus hoc demonſtrabat, Ieſum Chriſtum aliquando huiuſmodi ſimilitudinibus vſum fuiſſe, in quibus certa rei ſignificatio contineretur. Cuius generis eã dicebat eſſe, in qua dictum eſt, Eum inde nunquam diſceſſurum, quoad extremum quadrantem perſolueret: atque intelligi certum quendam ac medium eſſe locum, in quo ſatisfactio pro peccatis relinquatur. Ad id autem reſpondi, me quidem amplecti vnam, quæ maximam vim habeat ſatisfactionem, eam in qua Chriſtus morte ſua peccata noſtra expiauit, eáſque promiſsiones Euangelij, quibus plenam nobis quietẽ offert: quemadmodũ xi. Matth. vbi nos ſuauiſsimè ad ſe inuitat: Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos, & requiem animarum veſtrarum inuenietis. Et Ioan. x. Ego ſum oſtium: qui intrat per me, ſaluus erit. Item, xiii. Ioan. Ego ſum via, veritas, & vita. Idem etiam Ioannes de mortuis dicit, Apoc. xiii. beatos illos eſſe, qui in Domino moriuntur, eóſque tum denique à laboribus ſuis requieſcere. Latroni verò qui prope Dominum Ieſum fuit crucifixus, promiſſum eſt regnum cæleſte in paradiſo, ſine vlla alia ratione, eo ipſo die quo è vita exceſſurus erat. Quòd verò ad ſimile quod tu adduxiſti attinet, illud quidem nullam aliam habet demonſtrationem, quàm communionem noſtri officij, vt ſi velimus nobis à Deo ignoſci, proximis quoque noſtris ignoſcamus: niſi hanc præſtemus humanitatem & miſericordiam, nullam nobis veniam à Deo eſſe ſperandam. Porrò cùm Franciſcanus nullum mihi loquendi locum dare vellet, ac me impediret: Supræfectus eum monuit vt me reſpondere pateretur, & ea quæ vellem dicere: ſe enim planè auditurum. Tum Dominicanus ait, ſi mea reſponſa eſſent vera, nullum fore purgatorium aut limbum. Id autem cum fide Chriſtiana planè pugnare, ac ſymbolo Apoſtolorum, vbi Chriſtus dicitur deſcendiſſe ad inferos. Tum Supræfectus, Credíſne, inquit limbum eſſe? Ego ſanè inquam neſcio quidnam id ſit, neque Scriptura ſancta vllam limbi mentionem facit: ita ne ego quidẽ eum credo. Dominicanus ſermonem excipiens, Vbinam, inquit, erãt veteres Patres antè mortem Ieſu Chri-

*ſti? In vita,inquam,æterna,quam propter ſemen Adæ,Abrahæ,Patriarchiſque promiſſum expectarunt. Deinde progreſſi ſunt ad quæſtionem de Papa: in qua Supplæfectus,Crediſne,inquit,Papam vllam habere poteſtatem? Maximè,inquam. An verò,inquit,credis eum,vt vicarium Ieſu Chriſti poſſe abſoluere? Minimè,inquam. Quomodo igitur,inquit,intelligis eã Papæ poteſtatẽ? Eam,inquam,intelligo,quam diuus Paulus declarat,2.ad Theſſal.epiſtola, vt quoniam mundus vt ſeruaretur,ſtudium & amorem veritatis non eſt amplexus,Deum dediſſe Sathanæ eiúſque adminiſtris efficaciam illuſionum ac errorum,vt homines mendacio crederent, haberéntque eos paſtores ac doctores quos merebantur.*Tum *Franciſcanus mihi oſtendit quomodo Ieſus-Chriſtus poteſtatem ligandi ſoluendíque diuo Petro dederit, Papámque illius eſſe ſucceſſorem atque Ieſu Chriſti vicarium,eccleſiámque hoc modo fuiſſe ſemper gubernatam, vt caput haberet vnum in hoc mundo,quemadmodum in cælo habet. Quòd ſi paſtores vitam ſuam non degerent ex verbo Dei quod annuntiãt, non tamen propterea doctrinam eſſe repudiandam,ſicut Chriſtus docet in Euangelio Matthæi, XXIII,capite: multáque alia in eandem ſententiam locutus eſt. Ego ei reſpondi, Si Papa & ij qui cum eo ſunt coniuncti,purè ac fideliter verbum Dei annuntiarent,vt nulla humana inuenta affingerent, legéſque pro arbitrio ſuo introducerẽt,me amplexurum eſſe puram Ieſu* Chri*ſti paſtorúmque eccleſiæ doctrinam,etiamſi vita eorum ab ea diſcreparet:quẽadmodum* Chri*ſtus monet Matth.XXIII.Scribas & Phariſæos ſedere in cathedra Moyſis,hortatúrque vt doctrinam eorum, non ipſam vitam ſequamur. Sed multum intereſt ſedeántne ij qui Eccleſiam tenent,in cathedra Moyſis,quæ eſt ſedes veritatis,an in cathedra mendacij ac ſede abominationis, omníſque iniquitatis: quemadmodum Daniel prædixit, atque etiam Paulus, futurum vt homo perditus ac ſceleratus ſederet in templo Dei, ſéque aduerſus omne numen inſolenter extolleret.* Q*uod autem* Chri*ſtus Petro ius ligandi & ſoluendi dedit,in eo certam etiam officij rationem ei præſcripſit, cùm eum ac cæteros diſcipulos monuit vt Euangelium annũtiarent,eóſque ad ſuum exemplum & miniſterium verbi reuocauit. quod quidem Petrus eiúſque ſocij optimè intellexerunt,cùm ij vt paſtores Eccleſiæ nullam proponunt aliam doctrinã quàm purum Dei verbum,in quo vno eſt tota vis poteſtáſque ligandi ac ſoluendi,clauéſque illæ,quibus regnum cælorum & aperitur & clauditur. Leges verò nouas conſtituere, eáſque imponere hominum conſcientijs,cum eo miniſterio pugnat & voluntate Dei,qui nihil vult ad verbum ſuum addi,aut de eo detrahi,quemadmodum Papa fecit,qui pro ſua libidine puram religionem verbo Dei præſcriptam atque in Eccleſia conſtitutam deprauauit & corrupit, planéque peruertit. Neque verò Eccleſia vllam aliam doctrinam,quàm verbi Dei amplectitur ac profitetur,neque authoritate hominum ac dignitate eorum vitæ nititur:ſed vt ait Paul.in æterno Dei cõſilio eiúſque verbo fundata eſt, in doctrina*

na Prophetarum atque Apoſtolorũ ædificata, cuius ædificij totius Chriſtus eſt lapis ἀκρογωνιαῖος in quo ipſa exædificatio nititur, quemadmodum idem Apoſtolus ſecundo Epheſ. oſtendit. Eccleſia etiam duo capita non habet, vnum in cælo, & alterum in terra: ſed vnum tantummodo Ieſum Chriſtum, & in cælo & in terra ſumma authoritate ac poteſtate præditum: ſicut Paulus multis locis epiſtolarum ſuarum docet. Ad ea Franciſcanus me admonuit ac docuit quemadmodum Paulus exponendus eſſet, me eum non intelligere: ſe verò Romæ vidiſſe Papam concionantem, méque quodam animi ſtudio incitatum hæc in eum dicere: veteres verò Doctores Scripturas ſanctas & ſacra Concilia interpretatos eſſe, pluribus verbis mihi demonſtrauit. Sed Suppræfectus, cùm id quod propoſuerat perſequi vellet, monuit me, ne ita eſſem in mea ſententia pertinax. cui ego dixi, me aliter nõ poſſe reſpondere. Cùm autem ex me quæſiuiſſet, num aliàs Lugduni captus fuiſſem: reſpondi, fuiſſe. atque interrogatus, quemadmodum & quam ob cauſam captus fuiſſem, de tota ratione atque informatione cauſæ, quæ ſententia pronuntiata fuiſſet, & quomodo ego dimiſſus, & per quos liberatus eſſem, & quænam res eos ad liberationẽ meam induxiſſet: reſpondi, me eam ob cauſam comprehenſum fuiſſe, quòd ad inuiſendum quendam, qui nomine Euangelij captiuus erat, ad carcerem acceßiſſem: & ea quæ tum mihi obiecta fuerunt propter fidem quam ego ex Euangelio ſuſceptam habeo, in me collata fuiſſe. Cùm autem à Iudicibus Lugdunenſibus appellaſſem, decem diebus poſt eam appellationem certis hominibus fui traditus, vt Lutetiam ad ſupremam Curiam deducerer: in ipſóque itinere, cùm fluuium Ligerim traijceremus, ereptum fuiſſe per quoſdam homines perſonatos & incognitos, qui cùm me in ſyluas proximas deduxiſſent, in viáque mea conſtituiſſent, me gratiæ Dei ita commendarunt, incolumémque dimiſerũt, vt ſua ipſorum nomina mihi nunquam indicarint. Tum autem Suppræfectus mecũ diligenter ac ſæpe egit, vt eos homines illi indicarem. In quo cùm conſtanter negarem me eos cognoſcere, ille nihil eorum credens, quæſiuit ex me, num ego vellem me referre ad ea quæ Lugduni in ea prima cauſa acta fuerant. Cui ego reſpondi, me id quidem non recuſare, ſed libenter velle. Poſtea quæſiuerunt de confeßione auriculari, num crederem ſacerdoti confitendum eſſe. De quo reſpondi, me aliam confeßionem non intelligere, niſi eam quam quotidie debemus ad Deum adhibere, & reconciliationem fraternam, quam Ieſus Chriſtus eiúſque Apoſtoli magnoperè nobis commendarunt. Tum Franciſcanus ex me quæſiuit, an non legiſſem id quod Chriſtus docet in Euangelio de confeßione apud ſacerdotem deponenda, cùm iuſſit Leproſum qui ab ipſo ſanatus fuerat, vt ſe ſacerdoti oſtenderet. Illud autem Doctores veteres Conciliáque de auriculari confeßione intellexiſſe atque expoſuiſſe. Ego autem cùm eius longam ea de re inſtitutam orationem audiuiſſem, dixi Eccleſiam Domini noſtri Ieſu Chriſti nunquã huiuſmodi genus confeßionis obſeruaſſe, vt homines peccata ſua deferrent ad aurem ſacerdo-

Prioris incarcerationis cauſa.

Ereptus vinculis Richardus per homines perſonatos.

tis,atque ſummiſſa voce inſuſurrarent. Quod ſi eccleſia Romana eam confitendi rationem introduxit & obſeruauit,non tamen propterea rectam eſſe & vtilem.nec enim Eccleſiam Ieſu Chriſti in ea vnquam fuiſſe inſtitutam. De Leproſo verò quem Dominus ſanauit,ei nõ mandatũ fuiſſe vt peccata ſua in aurem ſacerdotis exponeret:ſed ſeipſum illi oſtenderet,teſtimoniúmque daret ſanitatis per ſũmum Sacerdotem recuperatæ ac reſtitutæ.cæterùm quomodo peccata noſtra vni Deo ſint confitenda, Dauid ſatis ſuo & exẽplo & teſtimonio nos monuit, Pſalmo xxxii, & li, & cvi, vbi oſtendit quemadmodũ Deo peccata ſua confeſſus,veniam ab eo impetrarit, Deúmque dolorem animi ex ſenſu peccatorum ſuſceptum,ita accipere, vt eum omnibus ſacrificijs anteponat.

Mandatum Leproſo,vt ſe ſacerdoti oſtenderet.

Suppræfectus autẽ, cùm videret tempus veſpertinum iam adeſſe,remiſit me per eum qui Portæ Troenæ præfectus erat. quo in loco ſatis diu cum fratribus ſum commoratus:qui vt requieſcerem cum ipſis,ab eius carceris cuſtode petierunt,vt me cum aliquo ipſorum cubare nocte pateretur.id quod ille interpoſita eorum fide & cautione mihi conceſſit. Sed quoniã complures homines ex vrbe,atque ex eo carcere cupiebant audire eam doctrinam, quæ ibi annuntiabatur:ea re ad parlamentum,quod ea in vrbe eſt,perlata, Supræfecto mandatum eſt,vt ego ab illis ſegregarer,atque alium in locum traducerer.itaque ille me in domum Epiſcopi tranſtulit:qui quidem cum ab eo parlamento & ab eo Supræfecto mandatum haberet,me in carcerem incluſit, tametſi me nullo modo domi ſuæ habere vellet.quæ fuit cauſa,vt aliquantò pòſt iterum à Supræfecto eiúſque conſilio fuerim accerſitus,quò Franciſcanus & Dominicanus, quorũ ſuprà meminimus,multíque alij ordinis ſacerdotalis homines conuenerant. Ibi tum mecum ſummo ſtudio egerunt,& magnoperè à me contenderunt, vt ad Papalem redirem religionem,omnémque mihi miſericordiam obtulerunt.

Pietatis fructum impii non ferunt.

Sed ego reſpondi eis,me nullam miſericordiam expectare niſi à Deo meo & Domino Ieſu Chriſto,in cuius gratia omnem ſpem meam repoſui. Franciſcanus igitur longa oratione demonſtrauit quantum intereſſet inter eccleſiam Romanam,atque eam quæ Geneuæ eſt conſtituta. Ille autem ad eam comparationẽ eò adductus eſt,non licere Papæ abſque vllo Dei verbo leges conſcientijs imponere. Itaque adduxit mihi illud quod Ioan. cap. vlt. ſcriptum eſt,multa eſſe alia,quæ in eo libro non extarent perſcripta. Item ea quæ Chriſtus dicit in eodem Euangelio,xv,& xvi,capite,vbi Dominus diſcipulos ſuos admonet vt conſolatorem expectent, Spiritum ſanctum, qui eos in omnem veritatem induceret. Doctores autem Eccleſiæ Conciliáque omnia conſtituiſſe ac deciſiſſe. Præterea Geneuæ certas leges eſſe conſtitutas, ſine certa verbi Dei præſcriptione ac declaratione: ídque probabat ex libro quodam Pſalmorum, quem apud me habebã: atque ex eo ordine, quo preces publicæ die Mercurij ſunt inſtitutæ, quaſi ille dies à cæteris ſanctitate differret. Itaque poſtulaui à Supræfecto, vt mihi poteſtatem reſpondendi faceret, tum ad eam calumniam refellendam, quam in Eccleſiam Geneuenſem conferebat, tum etiam ad cætera, quæ ab eo prauè dicta fuerant: aut vt ipſi inter ſe loquentes ac diſpu-

Richardus hominũ miſericordiã reſpuit.

Quid nõ calumniantur veritatis hoſtes.

tantes, me quietum eſſe paterentur. Eam autem cùm mihi conceßiſſet, ego commonitionem inſpexi, quæ in eo Pſalmorum libro, quem Franciſcanus in manu tenebat, poſita erat, eique oſtendi diẽ Mercurij in ea eccleſia fuiſſe conſtitutũ, vt ordinis cauſa & cõmoditatis alicuius ad audiendum Dei verbum, precéſque ſolennes & communes adhibendas homines conuenirent, ſine aliqua conſcientiæ obligatione, aut ſuperſtitioſa obſeruatione, quæ mutari nullo modo poßit. Reges etiam veteres Deúmque timentes, huiuſmodi ordinem, ac rationem ciuilẽ ſemper cõſeruaſſe, vt populum in cognitione & reuerentia Dei, veráque religione retinerent, conſcientiáſque hoc modo ſubleuarent potius, quàm vlla neceßitate obligarent. De ijs verò quæ ille diceret à doctoribus eccleſiæ conciliíſque deciſa, & cõſtituta ſine expreſſa verbi Dei authoritate, dixi non ita eſſe: ſed verbo Dei omnia præſcripta & tradita, quæ ad gubernationẽ Eccleſiæ atque hominum ſalutem ſunt neceßaria: vt nulla poſtea deciſione vel præſcriptione opus ſit. Paulus quidem ait ſe nihil audere dicere quod Chriſtus per ipſum non fecerit, vt gentes ad obedientiam Euangelij tum verbo tum opere adduceret. Ioannes etiam in ſecunda ſua Canonica loquens de doctrina IeſuChriſti, monet non eſſe excipiendum ſi quis veniat neque eam doctrinam afferat. Paulus verò Gal. grauißimè admonet, vt ſi Angelus etiam veniret, aliam doctrinam quàm Euangelij à ſe prædicati annuntiãs, vt eum quaſi anathema quoddam habeant. Chriſtus etiam in Euangelio Ioannis, oſtendit ſe verum ac bonum eſſe paſtorem, ſuáſque oues vocem alienorum non audire: ſed qui ex Deo eſt audire verbum Dei: ſéque ad vitam æternam oſtium eſſe. Item, ſe ſicut miſſus fuerat à Patre, Apoſtolos quoque ſuos mittere: qui quidem nunquam aliam doctrinam tradiderunt, niſi eam quam ab eo acceperant, in qua vna poſtea à Spiritu ſancto illuminati, inſtituti, confirmatique fuerunt. Et diuus Petrus in prima ſua Canonica cap. iiii. paſtores Eccleſiæ monet, eíſque illud officium præſcribit, vt verbum Dei tantummodo proponant ſine vllo dominatu, quo gregem Chriſti opprimant. Ab hac autẽ moderatione longißimè abeſſe eos paſtores, qui in Papatu ſunt: quorũ tyrãnis ſatis oſtẽdit quam eccleſiæ rectionẽ habeãt.

Precces publicæ die Mercurii Geneuę inſtitutæ.

Rom. 15.

Gal. 1.

Tyrannis paſtorum papalium.

Tum Franciſcanus excipiens, mihi demonſtrauit in vetere eccleſia preſbyteros ac Eccleſiæ miniſtros ſolitos fuiſſe conuenire, vt de ijs rebus, quæ ad eã conſtituendam pertinerent communi conſilio deciderent, quorum nihil in eccleſia Geneuenſi fuiſſe factum ſe oſtenſurum eſſe dixit ex eo libro meo, Teſtamenti nomine inſcripto, quem in manibus tenebat, vt apertius ego veram eccleſiæ formam cognoſcerem. Ego autem me id quidem maximè velle dixi, ab eóque petii, vt eam rationem qua Apoſtoli in eccleſia conſtituẽda fuiſſent vſi, conſideraret, neque exiſtimaret reformationem Geneuenſis eccleſiæ temerè ſuſceptam factámque fuiſſe ſine conſilio Magiſtratuum, ac ſenum, miniſtrorúmque eccleſiæ, eáque diligentia, ordine & cura quam Apoſtoli Paulus & Silas in eccleſia Theſſalonicæ ac Berrhœæ inſtituenda atque ordinanda adhibuiſſent. In qua quidem nihil niſi ex authoritate verbi Dei eſt inſti-

Eccleſię Geneuenſis reformatio in calumniã adducitur.

tutum,ſicut ex XVII. Act. facilè cognoſci poteſt. Quòd ſi miniſtri magnæ eccleſiæ Romanæ ad eam inſtitutionem non ſunt vocati, ciúſque ſponſus Papa: non tamen propterea exiſtimandum eſt ordinem cæteris eccleſiis ordinandis prætermiſſum fuiſſe. Ac ex eo quidem Concilio quod Hieroſolymis ad confirmandam eccleſiam Antiochenam coactum eſt, ſatis conſtat Act. XV, Apoſtolos nullam legem aut doctrinam niſi verbi Dei in Eccleſiam introduxiſſe, quemadmodum Petrus aperté oſtendit, obiurgans eos, qui conabãtur Eccleſiæ huiuſmodi iugum imponere, quod nec ipſis, nec patribus eorum fuerat tolerabile. Quinetiam reſcripſerunt fidelibus, qui Antiochiæ erant, vt ab idolis abſtinerent, aliiſque huiuſmodi pollutionibus atque abominationibus, quæ in Papatu magnam vim habent. Tum Franciſcanus mihi obiecit, me in eccleſia Papæ baptizatũ fuiſſe. quod ego quidẽ nõ negaui: ſed id non impedire gratiam Dei, quò minus me in numero ſuorum, quemadmodum iniquitas hominum & prauitas, eius miſericordiam non impedit, quam declarat in iis quos per Spiritum ſuum ad vitam regenerat, ſanguine Filij ſui eorum animas aſpergẽs, ſicut Paul. VI Roma. de Baptiſmo loquens docet. Poſtea alius, qui ibi aderat, méque de Miſſa parum honorificè loquentem audiuerat, impetrata loquendi poteſtate, dixit me de ſacrificio Miſſæ cum contemptu & contumelia locutum eſſe: longáque oratione diſtinxit vetera ſacrificia ab eo quod in Miſſa offerretur. Ad id autem probandum & confirmandum tandem adduxit Pſal. Dauidis CX. Tu es ſacerdos in æternũ ſecundum ordinem Melchiſedec: eum verſum ad perpetuum Miſſæ ſacrificium accommodans, méque admonens, ne diuinis Scripturis contradicerem: ac quærenti quid ego ſuper ea re vellem, dixi Apoſt. ad Hebræos ſatis pro me reſpondere, totámque eccleſiam monere, ne vlla alia ſacrificia aut expectet, aut adhibeat. nam illum Pſalmi verſum ab Spiritu ſancto de nullo alio ſacrificio editum fuiſſe quàm de vno & æterno Ieſu Chriſti qui ſemel ſe Deo pro omnibus obtulit: quemadmodum ex iis quæ ab Apoſtolo accuratè diſputantur facilè poteſt intelligi. Alia quædam ſunt piorum ſacrificia Deo non ingrata, contritio cordis & pœnitentia, de qua in Pſalmo LI. & ſacrificium laudis, quod Apoſtolus ad Hebr. XIII, fructum labiorum eſſe dicit. cæterùm cum illi multa mihi demonſtraſſent, quamobrem ego ad eccleſiam Romanam reuocari deberem, Suppræfectus quæſiuit, num ego vellem me ad ea referre quæ Lugduni in prima mea cauſa & confeſſione acta fuiſſent. Cui cùm ego me velle & libenter quidem reſpondiſſem: mihi partem quandam eorum actorum, quæ à me ſignata fuerant, oſtenderunt: ſimul etiam ſententiam in membrana perſcriptam, quæ pœnam meam complectebatur, vt in crate poſitus traherer ad eum locum, quem Territorium appellant, ibíque ad poſtem alligatus, poſtquam ſtrangulatus eſſem, igne cremarer. Ea autem cùm mihi lecta fuiſſent, Suppræfectúſque quæſiuiſſet, num hæc ſcripta conſentirent cum ijs quæ Lugduni demonſtrata mihi pronuntiatáque fuiſſent. reſpondi ea quidẽ

dem acta, quæ à me ſignata eſſent, partem quandam illius cauſæ meæ continere: ſententiam verò nunquam mihi fuiſſe pronuntiatam: neque tamẽ eam me defugere, ſed accipere libenter cum appellatione qua vſus fuerã, paratum ſemper meo ſanguine obſignare ea religionis ac fidei meæ capita, quæ tum Lugduni, tum Gratianopoli atramento ſubſignaſſem. Poſtea aliud ſcriptum mihi fuit propoſitum & lectum, in quo regius Procurator concludebat, vt quoniam nolebam eos indicare per quos ad Ligerim ereptus fueram, in ſummam darer quæſtionem: ac propter iniuriam, & contumeliam, qua Regem eccleſiámque Romanam dicebar affeciſſe, ſimul etiam propter hæreſim quæ mihi imponitur, ad plateam Franciſcanorum ducerer, ibíque lingua primùm præciſa, exiguo ac lento igni vſtularer, &c. Quæ quidem cùm mihi eſſent recitata, & Suppræfectus quæſiuiſſet, quid ad ea vellem dicere: reſpondi me nunquam potuiſſe cognoſcere nomina eorum, à quibus liberatus fuiſſem, quoniam nunquam qui eſſent, aut quæ res ipſos ad eam opem mihi ferendam adduxiſſet, declarare voluerunt, niſi ſolo ſtudio doctrinæ eius ac religionis quam ego amplecterer, quam illi ex me Lugduni audiuiſſent. Iis de cauſis me non poſſe eos nominare. neque verò de Rege quicquam contumelioſè dixiſſe, neque hæreticum eſſe, ſed Chriſtianum. Quæ omnia, vt à me reſponſa perſcriberẽtur in concluſionibus Procuratoris regij poſtulaui. Tum Supræfectus me in cuſtodiam remiſit, vſque ad illud tempus, quo denuò coram eo ſum productus, atque teſtibus duobus comparatus, qui calumnioſè & iniquè in me conferebant ea quæ ſuprà fuerunt memorata. Sed cùm illi adeſſent, Supræfecto demonſtraui eas omnes cauſas, quibus illi ad falſum teſtimonium in me dicendum adducti eſſent. Itaque Deus, qui eſt pater pupillorum, peregrinorúmque protector ac defenſor, ſua prouidentia eò rem deduxit, vt accuſatores ac teſtes, tum apertè iniqua & improba accuſandi ratione, tum etiam propria confeſſione, ſtudium ſuum & voluntatem inimicam declararint. Cùm autem Supræfectus mecum egiſſet vt reſponderem ad ea quæ Procurator regius de me ſtatuerat, dixi me amplecti eam ſententiã, quæ Lugduni de me antè pronuntiata fuerat: cũ qua appellatio mea erat coniuncta. Poſtea cauſa inter ipſos multũ & ſæpe diſceptata, Supræfectus me ad ſe, cæteróſq; omnes qui ibi iuriſdictionem habent accerſiuit. mecúmque diligenter egit, conſuluit, ſuaſit vt ad ipſorum eccleſiam me referrem. Sed ego ei reſpõdi, mihi planè conſtitutum eſſe in Eccleſia Ieſu Chriſti, eiúſque verbo permanere, neque aliam religionem quàm eam agnoſcere. Quòd ſi alia melior ex verbo Dei mihi oſtendatur, me non eſſe ita pertinacem vt id non ſequar, quod Deus ſuo mihi verbo declararit. Tum quidam ex conſiliariis me monuit, ne ita prudentiæ meæ atque opinioni adhærerem, cùm præſertim eccleſiæ, quæ eſſent in Germania, aliæ ab ab aliis diſſentirent ac diſcreparent: ac niſi iudicium meum authoritati conciliorum ſubmitterem, futurum hoc modo, vt nouus quotidie Chriſtianiſmus

exoriatur. Huic ego reſpondi, me quidem meam opinionem ſequi nolle, neque niti velle alia ſapiētia, quæ ſumma in Chriſto Ieſu eſſet, tametſi eam mundus ſtultitiam exiſtimet. Quòd verò diceret eccleſias Germanorum alias ab aliis in religione diſiunctas eſſe, oſtendi eas quidem quæ Euangelium eſſent amplexæ, maximè inter ſe coniunctas eſſe ſine vlla diſſenſione, quòd ad fundamentum fidei Chriſtianæ ac religionis attineret. Neque verò verendum eſſe vt nouus quotidie exiſtat Chriſtianiſmus, niſi authoritati Conciliorum pareatur. nam dictum eſſe à Dauide Pſalm. xxxiii. aliíſque Scripturæ locis, Concilia Gentium ac populorum à Domino diſsipari atque euerti. Quare conſilium Dei eiúſque verbum ſequendum eſſe, atque eius authoritatem omnibus Conciliis atque iudiciis præferendam, méque ita malle in paruo Chriſtianiſmo, quàm in maximo & copioſiſsimo Papatu permanere. Poſt hæc autē Suppræfectus me in carcerem Epiſcopi remiſit. vbi cùm intellexiſſem me Lugdunum reiectum eſſe, quoniam quidem nullā aliam cauſam quare plecterer, niſi eam religionem & fidem quam in confeſsione mea declaraſſem, reperiebant: magnoperè cupiebam loqui cum Suppræfecto: idque ſæpe per lictorē Epiſcopi quæſiui. ac cùm id mihi recuſaretur, ad Iudices Gratianopolitanos multas literas ſcripſi, in quibus vna eſt hæc epiſtola quæ ſequitur.

D. Suppræfecto Griſuodano, eiuſque conſilio Richardus Feurus captíuus.

EGo ſæpe, domine, interrogatus ſum coram te de ea religione ac fide, quam in Deo ac Domino noſtro Ieſu Chriſto, eiúſque Euangelio fundatam planè & conſtitutam habeo. Atque apud teipſum tuúmque conſilium, vbi multi affuerunt qui communem tecum habent religionem, edidi eam fidei meæ confeſsionem, quæ cum veritate verbi Dei, Euangelio Ieſu Chriſti & doctrina Apoſtolorum, ac denique tota cum vera Eccleſia planè conſentit, pro ea mediocri cognitione quam Deus mihi impertiuit. quæ tamen ſatis magnam vim habet ad ſapientiam humanā refutandam & confundendā. Neque verò quenquam in Curia veſtra reperi, qui cauſam meam vnquam ſuſcipere ac defendere voluerit: tantúmque abeſt vt quiſquam mihi aliquid ſtudij auxiliíque ferat, vt potius omnes ſitis mihi & iudices & aduerſarij conſtituti: quod quidem ſatis oſtendit vaticiniū Dauidis de Ieſu Chriſto eiúſque membris editum in oculis veſtris verè præſtari, quemadmodum Pſal. 2. extat ſcriptum, Cur fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? &c. Itaq; mihi quidē pro iuſtiſsima cauſa, mortis pœna crudeliter ferēda eſt. ſed ego ſpero per eam me ad Deū & Dominum meum Ieſum Chriſtum iturum, ad ſummum iudicem in illo re-

gno æterno & curia ſuprema, vbi nos omnes aliquando ſiſti oportet ad tribunal maieſtatis eius, vt ius cauſæ, quæ non ſolùm mea, ſed etiam illius eſt, obtineatur: quam vos nunc vehementiſſimè oppugnatis. in qua quidem Dominus *nihil referet ad ſumma* Concilia, *maximámque multitudinem mundi, neque ad eius fallacem ſpeciem ac opinionem: ſed ad ſuum tantùm verbum, ſicut ait* Dauid, *eum iudicaturum mundum in veritate, ac populos in iuſtitia: &* Diuus Ioannes *in Apocalypſi dicit, omnem oculum viſurum, eóſque qui illum vulnerarunt.* Neque *verò ea ignorationis integumenta, quæ obtenditis, vobis aliquid proderunt, non magis quàm illa aqua, qua* Pilatus *ſuam innocentiã in ſanguine* Ieſu Chriſti *effundendo teſtatã eſſe volebat:* Chriſtus *enim de omnibus ſuis membris, fidelibúſque dicit, ſe in eorum deſpiciẽtia & iniuria deſpici ac violari, in ſeipſúmque conferri quicquid officij ac beneficij in aliquẽ eorum minimum collatum eſt.* Itaque Dominum *oro vt* Spiritu *ſuo vos illuminet, atque in veſtris rebus gubernet, vobis gratias agens pro ea humanitate, qua in me vſi fuiſtis, vóſque orans per nomen* Dei, *vt quoniã declarare quæ cupiebã vobis non potui, pro veſtra humanitate me certiorẽ de eo faciatis, quod de me & cauſa mea cõſtituiſtis.* Valete. Ex *carcere* Epiſcopi Gratianopolitani, *quarto die* Ianuarij M.D.LIIII. Veſter *captiuus* Richardus Feurus.

Quemadmodum Richardus Feurus Gratianopoli Lugdunum reiectus fuerit.

C*Vm autem ego cum Supp̃ræfecto nullo modo loqui poſſem, circiter decimam horam aut vndecimam quum eſſem in carcere,* Latrunculator *cum ſuo ſatellitio & notario criminum ad me venit, mihíque ſignificauit mandato Suppræfecti* Lugdunum *eundum eſſe.* Itaque *me ſtatim in cubiculum ſuum duxit catenis ferreis conſtrictũ, vt ibi tandiu eſſem donec illuceſceret: deinde tribus horis pòſt media nocte celeriter diſceſſimus, ego equo impoſitus catenísque ferreis vinctus.* Itinere *autem quo* Lugdunum *itur relicto,* Viennam *deflexîmus metu inſidiarum, quas* Latrunculator *ex rumore quodam ſuſpicabatur.* Lugdunum *quum veniſſemus, ille me ad carcerẽ* Roanæ *deduxit, ac cuſtodi commendauit: deinde* Præfecto Lugdunenſi *meum aduentum nuntiauit.* Duodecim *diebus pòſt is* Præfectus *quum ad me veniſſet, me interrogauit, ac quæſiuit quiſnam eſſem, à quo*

ductus fuiſſe, quo nomine appellarer, etiam de illa mea liberatione, atque de quibuſdam capitibus religionis. Ad quæ omnia reſpõdi pro ea gratia ac facultate, quam Dominus mihi impertiuit. Ignarus planè quid illi de me conſtituerint, expecto felicem illum diem liberationis meæ, Deúmque oro vt mihi cum patientia eam ferat opem, quam intelligit eſſe neceſſariam: fidémque in me ita augeat atque confirmet, vt ea toto hoc mundo ſuperato, ſupra cælos penetret ad illam vitam beatam regnúmque cæleſte, in quo cum optimo Deo noſtro & Patre miſericordiæ, ac Saluatore Ieſu Chriſto perpetuò victurus ſum.

Poſtea Richardus ſæpius interrogatus eſt à iudice Tignaco, atque doctore Sorbonenſi, quem Fumoſum appellant, de ijs religionis ac fidei Chriſtianæ capitibus, de quibus Gratianopoli reſponderat, vt de Eccleſiæ authoritate, ac poteſtate Papæ, de ſacramento Cœnæ, de confeſſione, de verbo Dei eiúſque doctrina & intelligentia, cæteríſque huiuſmodi articulis, in quibus acriter illis reſtitit, veritatémque ſemper defendit, nec vllis vnquam eorum argumentis ac rationibus, nec minis aut promiſſis adduci potuit, vt ſententiam fidei ſuſceptam deponeret, ipſámque veritatem proderet. Diligenter etiam ab eodem eſt queſitum de ijs, per quos in itenere quum Lutetiam duceretur, ereptus fuerat ac liberatus. Sed is neminem vnquam nominauit: quum ſe eos planè ignorare ſemper diceret. Itaque inuictus in optima cauſa & confeſſione Euangelij permanſit, aduerſarios ſuos appellans vocánſque ad eum diem, in quo Dominus ſumma æquitate & iuſtitia totius mundi iudicium facturus eſt. Is igitur poſt ſententiam iudicialem, in qua capitis fuit condemnatus, ad ſupplicium ductus eſt, in quo lingua primùm ei fuit amputata: deinde corpus viuo vſtulatum, die Sabbathi VII. Iulij, anno ſuprà notato, M.D.LIIII.

PARIS PANIER.

Paris Panerius è Salinis oppido in Burgundiæ comitatu Iuriſconſultus, vt puram & homine Chriſtiano dignam Euangelij confeſſionem tueretur, mortem conſtanter pertulit, cui caput Dolæ eſt amputatum die Sabbathi VII. menſis Aprilis, anno M.D.LIIII.

FRANCISCVS

FRANCISCVS GAMBA *Italus*.

F*Ranciſcus Gamba* Italus,*ex ea vrbe* Longobardiæ *quæ* Brixia *appellatur,cognitionẽ* Euangelij *adeptus*,Geneuã *venit vt cõſiliũ de quibuſdã rebus neceſſarijs à viris pijs ac prudẽtibus qui ea in eccleſia ſunt peteret.* Eo *autẽ tẽpore in ea vrbe fuit,quo Cœna in feſto* Pẽteco*ſtes celebratur,ibíq; cũ fidelib⁹ cõmunicauit.* Poſtea *in reditu cùm lacũ* Comẽſẽ *traiiceret, capt⁹ eſt,atq; ad oppidũ* Comũ *deduct⁹. vbi cũ veritatẽ* Dei *conſtãtiſsima confeſsione tutatus eſſet,damnatus eſt,vt igni cremaretur.* XII.*die* Iulij, M.D.LIIII. *quemadmodum conſtat ex ijs literis,quas quidam nobilis* Comenſis *amicus* Gambæ *, ad quendam fratrem eius ſcripſit,quibus tum ſingularem illius in religionem animum ſtudiúmque exponit,tum etiam felicem exitum,in quo pro cauſa* Euangelij *ea in vrbe combuſtus fuit.* Earum *literarum nos hîc exẽplum ſubſcripſimus:*

AMantiſſime ac chariſſime frater, Deus *quidem mihi teſtis eſſe poteſt eius mœroris,quo nunc animus meus vehementer premitur,cùm de beata morte fratris tui ac mei,mihi ad te eſt ſcribendũ: neque dubito,quin conſobrinus tuus, qui hîc fuit, tibi iam ea omnia narrauerit,quæ ex me in hac vrbe audiuerat.ſed quoniam hinc redire ad vos cogebatur,quemadmodum ei conſulebam, non potui tum quidem omnia ei accuratè ac diligenter declarare,quemadmodum cupiebam,& fratri tuo me facturum receperam, vt tu, res quemadmodũ geſta eſſet & frater tuus vſque ad mortem ſe geſſiſſet,cognoſceres, cauſámque potius* Dei *laudandi,quàm dolendi habere poſſes.* Itaque *nactus iſtam ſummam ſcribendi opportunitatem,prætermittere nolui quin ad te de tota re,ſicut hîc geſta eſt,ſcriberem: tum vt materiam lætitiæ potius,quàm moleſtiæ in* Domino *tibi darem:qui pro ſua gratia & miſericordia fratrem tuum delegit, ac dignum iudicauit, qui veritatem ipſius ſanguine ſuo conſignaret: tum etiam, vt id præſtarem,quod me facturum ei promiſeram, eiúſque mandato ad te de re tota ſcriberem.* Quod *quidem facio non ita copioſè,vt res ipſa merebatur:ſed tamen breuiter exponam ea præcipua,quæ ego ipſe & vidi & audiui.* Hoc *modo igitur res habet.*

Ex *eo tempore quo frater tuus in carcerem coniectus eſt, quan-*

diu in eo fuit, non credibile eſt quot homines huius vrbis ex omni genere atque ordine, in primíſque Doctores, *ac nobiles cum vehementer rogauerint, ne pertinaciter huiuſmodi vanas opiniones, vt illi arbitrantur, tueretur: ad quas ita putabant eum adductum eſſe, vt mente ac ratione omni alienatum eſſe exiſtimarent.* Itaque *magnoperè eum hortabantur, vt aliquam rei ſuæ ſalutíſque cogitationem & curam ſuſciperet, atque omnia huiuſmodi deliria abijceret, quibus illum affici ac teneri arbitrabantur. Sed vir pius conſtanter ſemper eis reſpondit, id quod ipſe protuliſſet conſtantérque defenderet, non eſſe inanes aliquas ſpeculationes aut vanas opiniones: neque ſe mente perturbatum eſſe, vllóque humore fantaſtico correptum, vt inſaniret: ſed puram* Dei *veritatem, ſanctúmque* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti *verbũ & doctrinam ſalutarẽ. de qua quidem quum ſingula capita proponeret, ſimul etiã ſtatim grauiſſima Scripturæ teſtimonia afferebat, quibus orationem ſuam probabat & confirmabat, teſtificans inuicta quadam conſtantia ſe multò malle mortẽ ſubire, quàm* Ieſum Chriſtũ *vnũ Saluatorem noſtrum atque* Redemptorem *mundi, cuius cauſam & doctrinam tueretur, quàm denique perfidia ſua veritatem* Euãgelij *prodere, & cauſam eam quam* Deus *ipſi commiſerat, & commendarat vt eam vſque ad mortem tutaretur.* Poſtremò *quum is diu cum* Doctoribus *huius vrbis, monachis ac ſacerdotibus diſputaſſet, cæteríſque multis qui ad eum accedebant: alij vt illum ab ea ſententia deducerent: alij verò miſericordia quadam permoti, quòd eum hominem planè bonum atque integrum cognouerant, omnes ſummo conſenſu ſimul eum adierunt: quem quum rogaſſent vt eam opinionem deponeret, ciuitatem etiam ei promiſerunt ac detulerunt cum huiuſmodi commodorũ prouiſione quam ille poſſet expetere. Sed quum viderent ſe nihil poſſe ab eo obtinere, paulò pòſt aliud nuntium miſerunt, eum niſi ſuſceptam opinionem & ſententiam deponeret, pœnã mortis perpeſſurum.* Ad *quod nuntium ille lætiſſimo animo reſpondit, id quidem vnum eſſe quod omnium maximè expeteret, neque aliud eo iucũdius nuntium afferri poſſe.* Interea *dum hæc aguntur, literæ veniunt à ſenatu* Mediolanenſi, *cum huiuſmodi mandato, vt* Franciſcus *Gamba moreretur, ignéq; viuus cremaretur. Sed quũ* Iudices *iam in eo eſſent*

vt

vt conficerẽt illud mandatum, eáque pœna Franciſcũ afficerent, aliæ literæ Genua *ſunt allatæ commendatitiæ, quas* Legatus *Imperatoris multíque nobiles* Mediolanenſes *ſcripſerant.* Itaque *conſtitutio executióque ſupplicij in aliquot dies dilata eſt.* Quo *quidem toto tempore optimus frater tuus, in propoſito ſuo firmus permanſit.* Neque *diu pòſt aliæ literæ mortis eius nuntiæ, allatæ fuerunt.* Itaque, *ex ea arce, in qua, vt tu ſcis, captiuus tenebatur, eductus eſt, productúſq; ad eum* Magiſtratum *quẽ* Potentatum *vocant: qui in ea vrbe eſt* Iudex *cauſarum tum ciuilium tum capitalium: ibíque huiuſmodi ſententia lata eſt, eum niſi ad ſe rediret, opinionémque deponeret, iam condemnatum eſſe, vt ſummo ſupplicio afficeretur.* Tum *ille oſtendens ſe magnoperè lætum, & mirifica quadam conſolatione affectum, modeſtiſsimè gratias egit* Potentatui, *pro eo nuntio quod ei allatum fuerat.* Is *tamen* Magiſtratus, *tum mea cauſa, tum etiam quòd à quibuſdam alijs nobilibus rogatus eſſet,* Franciſcum *in carcere incolumẽ ea adhuc hebdomade conſeruauit.* Quo *quidẽ tempore is ſumma libertate & audacia cum omnibus diſputabat, permultas afferens ſemper rationes atque authoritates ex* Scriptura *ſancta, quibus quod tuebatur confirmaret. ita vt animus eius magis ac magis augeretur, eiúſque conſtantia eo maior in dies perſpiceretur, quo longior ei vita concedebatur.* Poſtremò Iudex *eum accerſiuit, eíque dixit ipſum poſtridie aut certè perendie mori oportere, ex eo mãdato, quod à ſenatu* Mediolanenſi *acceperat.* Ille *verò idem quod antea reſpondit, ſibi quidem id nuntium gratiſsimum ac iucundiſsimum accidere.* At *cùm* Iudex *illum iterum rogaſſet, pluribúſque monuiſſet, ſi ea quæ dixerat retractare vellet, id quidem certè quod de* Sacramento Miſſæ *dicere auſus fuerat, id quod ei eſſet delatum ac promiſſum planè futurum: ille huiuſmodi promiſſa nihil curabat, nec pluris ea quàm leuiſsimum venti flatum faciebat. ſæpe etiam dicebat ea commoda, quæ ſibi ab illis proponerentur, nullo modo eſſe comparanda cum ijs bonis, quæ certus erat à* Domino *ſe accepturũ, cuiuſmodi eſt corona immortalitatis vitáque æterna, omnibus piè* Deum *colentibus promiſſa & conſtituta.* Neque *verò animi magnitudinẽ ſuſceptam vnquam abiecit aut infregit, tametſi ab hoſtibus veritatis ad eum labefactandum ac planè*

debilitandum multa ei grauia proponerentur: quin potius cernere quiſque poterat conſtantiam illius ac virtutém in horas ſingulas maiorem fieri, eáque ab illo dici, quæ omnes qui audiebant magnopere admirarentur. Itaque magiſtratus quum videret eum ita affectum & confirmatum, conſtituit vt poſtridie moreretur. Quod ille quum intellexiſſet, finémque vitæ ſuæ iam appropinquare cognouiſſet, me ad ſe accerſiuit, vt ipſe mecum loqueretur. Inter multa alia magno ſtudio rogauit me, vt de tota ſua re & cauſa, quis exitus eius fuiſſet, ad te ſcriberem, téque rogarem tum honoris Dei cauſa, tum etiam eius amoris ac beneuolẽtiæ quam erga ſe haberes, vt nullam moleſtiam dolorémque ex morte ſua caperes, quum eam quidem propter Ieſum Chriſtum perlubenter pateretur, incredibilem quandam in animo ſuo ſentiens conſolationem & lætitiam, recognoſcénſque tantam Dei gratiam, qua ab eo electus fuiſſet & vocatus ad opprobria mundi, crudelémque mortem perferendam, vt cauſam Filij eius Ieſu Chriſti tueretur, qui vitæ propriæ non pepercit, vt ſalutem omnibus fidelibus afferret. Poſtremò ſe tibi ſorores ſuas & tuas, nepotes, neptéſque commendare, ac Deum orare vt vos in optima pace amicitiáque conſeruet, eámque gratiam impertiat, vt totam vitam veſtram ad ipſius cultum conſecrare ac conferre poßitis. Poſtero die manè carnifex, qui natione erat Germanus, ad eum acceßit, vt eum admoneret de ſupplicio, quod ipſe eo die erat executurus, vtque ſibi ob eam rem ignoſceret. Cui frater tuus reſpondit, ne vereretur audacter facere quod ipſi iniunctum erat. ſe quidem non ſolùm ei ex animo ignoſcere, verumetiam Deum orare vt pro ſua gratia ipſum illuminaret, atque ad cognitionem ſalutis ſuæ adduceret. Addidit etiam, ſe ſi pecuniam habuiſſet, illi daturum fuiſſe. Deinde ad Potentatum adductus eſt, ab eóque iterum rogatus vt quæ dixerat retractaret atque opinionem deponeret. ſed ille non plus quàm antea quicquam eorum voluit facere. Itaque iudex quũ eum oraſſet, ne id quod faceret, alienum ei videretur, declarauit ei ſe ſumma neceßitate atque authoritate dominorum adduci, vt eum morte mulctaret. Tum Franciſcus modeſtißimis verbis ei gratias egit, ac dixit ſe animo magnoperè dolere quòd illi quid facerent planè neſcirent, Deúmque orare vt ſuã eis miſericordiam

ſericordiam

ſericordiam impertiret. Simulatque campana ſignificationem ſupplicij futuri dedit, duo paria monachorum prodierunt, ex eorum genere ac ordine qui Capucini appellantur. Veniebant autem eo animo vt eius confeſsionem audirent: ac prima fronte eum monuerunt ne moleſtiam aliquã mœrorémque animo acciperet. Sed eis ille planè reſpondit, ſibi eorum comitatum nullo modo eſſe neceſſarium, monuítque vt ſe reciperent. Cæterùm fraterculi, vt mos ipſorum eſt, habebant crucem in manu, eámque oſtendebant vt memoriam crucis Chriſti illi renouarent. Sed Franciſcus aiebat Ieſum Chriſtum optimè in corde ſuo eſſe impreſſum, eiúſque mortis memoriam planè infixam, cuius virtutem ſentiebat. Quúmque illi iterum dixiſſent, eum niſi ad crucem reſpiceret in deſperationem delapſurum quum tormenta ignis ſentiret: reſpondit cor ſuum ea conſolatione ac lætitia perfuſum eſſe, vt iam gaudio quodam, quod omnem ſenſum intellectúmque humanum ſuperaret, frueretur. Quod verò ad cruciatum attinet, quẽ in corpore ſuo ſenſurus eſſet, eũ ſubitò tranſiturum: animã verò ſuam participem futuram beatitudinis cæleſtis, in illa ſocietate beatorũ ſpirituum atque Angelorum, cum quibus perfrueretur in perpetuũ ijs bonis quæ Deus filijs ſuis comparauit, quæ neque oculi hominum vnquam viderunt, nec aures eorum audierunt. Poſtea quum hæc & alia huiuſmodi, ſingularis cõſolationis pleniſsima dixiſſet, vt ei adimeretur omnis loquendi facultas, neque amplius ab ijs qui aderant intelligeretur, lingua ei eſt perforata. Ipſe deinde ductus ad locũ ſupplicio conſtitutũ: ibi poſitis in terram genibus, oculíſque in cælum ſublatis, Deum orabat tanto animi ardore vt omnes admirarentur. Deinde quum ſurrexiſſet, ita ſe ad ſupplicium compoſuit atque accinxit, vt carnifex poſtulabat: ſtatímque laqueo vitam finiuit. Nam quanuis condemnatus eſſet vt viuus cõbureretur, ei tamen ea gratia impertita fuit, vt ſine magno languore doloréque moreretur. Nemo quidem eorum qui ibi affuerunt, eiúſque conſtantiam ſummámque animi æquitatem ſpectarunt, fuit, qui non ita admiraretur, vt attonitus planè incertúſque quid ageret, exiſteret. neque aliud dicere poterant, quàm optimum innocentiſsimúmque hominem, ac verum Ieſu Chriſti martyrem ac teſtem ab illis necatum eſſe. Atque ille quidem pius vir multa alia ſanctiſsimè eſt

debilitandum multa ei grauia proponerentur: quin potius cernere quiſque poterat conſtantiam illius ac virtutem in horas ſingulas maiorem fieri, eáque ab illo dici, quæ omnes qui audiebant magnopere admirarentur. Itaque magiſtratus quum videret eum ita affectum & confirmatum, conſtituit vt poſtridie moreretur. Quod ille quum intellexiſſet, finémque vitæ ſuæ iam appropinquare cognouiſſet, me ad ſe accerſiuit, vt ipſe mecum loqueretur. Inter multa alia magno ſtudio rogauit me, vt de tota ſua re & cauſa, quis exitus eius fuiſſet, ad te ſcriberem, téque rogarem tum honoris Dei cauſa, tum etiam eius amoris ac beneuolētiæ quam erga ſe haberes, vt nullam moleſtiam dolorémque ex morte ſua caperes, quum eam quidem propter Ieſum Chriſtum perlubenter pateretur, incredibilem quandam in animo ſuo ſentiens conſolationem & lætitiam, recognoſcénſque tantam Dei gratiam, qua ab eo electus fuiſſet & vocatus ad opprobria mundi, crudelémque mortem perferendam, vt cauſam Filij eius Ieſu Chriſti tueretur, qui vitæ propriæ non pepercit, vt ſalutem omnibus fidelibus afferret. Poſtremò ſe tibi ſorores ſuas & tuas, nepotes, neptéſque commendare, ac Deum orare vt vos in optima pace amicitiáque conſeruet, eámque gratiam impertiat, vt totam vitam veſtram ad ipſius cultum conſecrare ac conferre poßitis. Poſtero die manè carnifex, qui natione erat Germanus, ad eum acceßit, vt eum admoneret de ſupplicio, quod ipſe eo die erat executurus, vtque ſibi ob eam rem ignoſceret. Cui frater tuus reſpondit, ne vereretur audacter facere quod ipſi iniunctum erat. ſe quidem non ſolùm ei ex animo ignoſcere, verumetiam Deum orare vt pro ſua gratia ipſum illuminaret, atque ad cognitionem ſalutis ſuæ adduceret. Addidit etiam, ſe ſi pecuniam habuiſſet, illi daturum fuiſſe. Deinde ad Potentatum adductus eſt, ab eóque iterum rogatus vt quæ dixerat retractaret atque opinionem deponeret. ſed ille non plus quàm antea quicquam eorum voluit facere. Itaque iudex quū eum oraſſet, ne id quod faceret, alienum ei videretur, declarauit ei ſe ſumma neceßitate atque authoritate dominorum adduci, vt eum morte mulctaret. Tum Franciſcus modeſtißimis verbis ei gratias egit, ac dixit ſe animo magnoperè dolere quòd illi quid facerent planè neſcirent, Deúmque orare vt ſuā eis miſericordiam

ſericordiam impertiret. Simulatque campana ſignificationem ſupplicij futuri dedit, duo paria monachorum prodierunt, ex eorum genere ac ordine qui Capucini appellantur. Veniebant autem eo animo vt eius confeßionem audirent: ac prima fronte eum monuerunt ne moleſtiam aliquā mœrorémque animo acciperet. Sed eis ille planè reſpondit, ſibi eorum comitatum nullo modo eſſe neceſſarium, monuítque vt ſe reciperent. Cæterùm fraterculi, vt mos ipſorum eſt, habebant crucem in manu, eámque oſtendebant vt memoriam crucis Chriſti illi renouarent. Sed Franciſcus *aiebat* Ieſum *Chriſtum optimè in corde ſuo eſſe impreſſum, eiúſque mortis memoriam planè infixam, cuius virtutem ſentiebat. Quúmque illi iterum dixiſſent, eum niſi ad crucem reſpiceret in deſperationem delapſurum quum tormenta ignis ſentiret: reſpondit cor ſuum ea conſolatione ac lætitia perfuſum eſſe, vt iam gaudio quodam, quod omnem ſenſum intellectúmque humanum ſuperaret, frueretur. Quod verò ad cruciatum attinet, quē in corpore ſuo ſenſurus eſſet, eū ſubitò tranſiturum: animā verò ſuam participem futuram beatitudinis cæleſtis, in illa ſocietate beatorū ſpirituum atque* Angelorum, *cum quibus perfrueretur in perpetuū ijs bonis quæ* Deus *filijs ſuis comparauit, quæ neque oculi hominum vnquam viderunt, nec aures eorum audierunt. Poſtea quum hæc & alia huiuſmodi, ſingularis coſolationis pleniſsima dixiſſet, vt ei adimeretur omnis loquendi facultas, neque amplius ab ijs qui aderant intelligeretur, lingua ei eſt perforata. Ipſe deinde ductus ad locū ſupplicio conſtitutū: ibi poſitis in terram genibus, oculiſque in cælum ſublatis,* Deum *orabat tanto animi ardore vt omnes admirarentur.* Deinde *quum ſurrexiſſet, ita ſe ad ſupplicium compoſuit atque accinxit, vt carnifex poſtulabat: ſtatímque laqueo vitam finiuit.* Nam *quanuis condemnatus eſſet vt viuus cōbureretur, ei tamen ea gratia impertita fuit, vt ſine magno languore doloréque moreretur.* Nemo *quidem eorum qui ibi affuerunt, eiúſque conſtantiam ſummámque animi æquitatem ſpectarunt, fuit, qui non ita admiraretur, vt attonitus planè incertúſque quid ageret, exiſteret. neque aliud dicere poterant, quàm optimum innocentiſsimúmque hominem, ac verum* Ieſu *Chriſti martyrem ac teſtem ab illis necatum eſſe.* Atque *ille quidem pius vir multa alia ſanctiſsimè eſt*

loquutus cum eo toto tempore quo fuit in carcere, tum etiam quum iam ei moriendum eſſet. quæ quidem digna ſunt, quæ ad omnium cognitionem peruenirent: ſed ego ea non poſſum ad te hoc tempore ſcribere: ac vereor ne paulò longior fuerim. Hoc *ſolùm addam, quod ille fecit quum iam ſpiritum redditurus eſſet. nam quũ ego ſeorſum eſſem poſt multitudinem quatuor millium hominum, oculos ſatis procul in me coniecit, manúque dextra quæ non erat ligata ſignum dedit, quo ego admonitus ad te ſcriberem, & ea quæ promiſeram præſtarem.* Et *mox caput inclinans,* Deo *ſpiritum reddidit, die* XXI. *menſis* Iulij, M.D.LIIII. *Scriptum* Comi, XXIX. *Iulij,* M.D.LIIII.

OTTHO CATELINA.

OTtho *Catelina, natus* Gandaui, Flandriæ *metropoli, eximius artifex cælando vario opere vel etiam inaurando ſuperficiem armorum & cultrorum, à prima ætate in* Angliam *ſe contulerat, vt in ea regione ſub magiſtro opificium ſuum exerceret.* Anno *autem* M.D.L. *regnante* Edouardo VI. *quum* Flandri *eius regionis incolæ permiſſu* Regis *eccleſiam* Londini *inſtituiſſent ex verbo* Dei *emendatiorem: hic noſter* Ottho *ſedulò conciones frequentabat, vt doctrinam* Euangelij *audiret. Sed quia imbuta ac præpedita* Papiſtarum *ſuperſtitionibus mens eius non ſatis initiò capiebat ſcientiam illam ſalutis:* Catelina *ſe totum lectioni ſacræ* Scripturæ *dedit, in qua breui tempore tantos fecerat progreſſus, vt* Eccleſiæ Chriſti *perutilis opera ipſius acciderit.* Poſtquã *quatuor annis aut eo amplius in piorum cœtu non ſine magno fructu vixiſſet, decreuit ob quædam negotia* Gandaum *reuerti.* Amici *ipſius antequam ſe itineri commiſiſſet, monuerunt beneuolè hominem, vt ſiquando inter lupos verſaretur, conſideratè omnia ac modeſtè ageret, ne ſponte in diſcrimen capitis ſe coniiceret: quibus ille reſpondit, nihil ſe quidem temere aut inconſideratè acturũ: ſed ſi, inquit, incidero in eos qui ſuis blaſphemijs* Deum *eiúſque* Filium Ieſum Chriſtum *contumelia afficiunt: abſit vt tale quid audiens, vlla ratione taceam. neque enim lampas vaſi ſupponenda eſt.* (Matth. 5. Luc. 11.) In *traiectu ipſius maris quod* Angliam *ſeiũgit à* Flandria, *non ſine magno periculo cum multis alijs nauigans, comites ſuos ex verbo* Dei *conſolabatur.*

conſolabatur. quúmq; iã ſalui portũ ingreſsi eſſent, hortatus eſt omnes ad agendum Deo *gratias, atque in timore eius permanendum: fieri enim poſſe, vt qui illos maris periculo liberaſſet, is fidẽ illorũ poſtmodò per ignem probaret atque ita ex hac vita eriperet. quod quidem verè eſt de ſe locutus. nã feruor ac zelus quo veritatis ſtudiũ amplexus erat, haud paſſus eſt ipſum diu in his mũdi miſeriis viuere: qui hoc pietatis amore flagrãs, omni planè metu remoto, nõ deſtitit etiã publicè idololatriã deteſtari.* Res *autem ſic ſe habet:* Gandau*ũ quũ perueniſſet, certior factus eſt ea in vrbe* Dominican*ũ quendã, cui* P*iſtorius cognomen erat, veritatis habere cognitionem, verámque doctrinam populo annuntiare, ac propterea ingentẽ hominũ frequentiã ad eius cõciones audiẽdas cõcurrere.* Hoc *rumore incitatus* Catelina *die* Iouis *ante feſtum* P*aſchæ ingreſſus eſt tẽplũ* S. Michaelis *(in quo ferè ſemper monachꝰ ille cõcionari ſolitus erat) ſibiq; locũ delegit è regione ſuggeſti, quò melius quæ dicerentur audire poſſet. Sed ecce monachus conſcẽſo ſuggeſto pro theſauro carbones affert, loco ſalubris pabuli dira venena proponit populo.* Etenim *multis verbis in ea cõcione tranſſubſtãtiationẽ ſuã cõfirmabat, magnoperè cupiẽs perſuadere populo, virtute verborum* Sacramentalium *(vt aiunt) panẽ conuerti in ſubſtantiã corporis* Chriſti. *Hæc verba adeò* Catelinam *pupugerunt, quum tam apertè populo illudi cerneret, vt vultus eius præ animi perturbatione planè immutaretur: atque ægrè admodum ſe continuit dum finem concioni impoſuiſſet monachus, quem ex ſuggeſto deſcendentem,* Ottho *nudato capite his verbis excepit:* He*us, amice, tota oratio tua manifeſtè pugnat cum* Sacris *literis, per quas (ſiquidẽ mihi fiat audientia) clarè demõſtrabo falſam te populo annuntiaſſe doctrinã.* Cucullat*ꝰ verò animo perturbatus, hunc auſcultare noluit, ſed ei fecit indiciũ vt recederet.* Ottho *cõtrà propiꝰ ipſum acceſsit magnóq;* Spiritus *ardore flagrãs,* O P*ſeudopropheta, inquit, qui falſò perſuades populo panẽ verè eſſe corpus* Chriſti, *quũ* Sacrament*ũ tantummodo ſit* Chriſti *pro nobis paſsi ac mortui! Dũ hæc fiũt, ingẽs populi tumultus oritur, multíq; vtriuſque ſexus homines ad illum,* Heu, *inquiunt, amice, quid agis?* Quibus *ille reſpondit,* P*ſeudoprophetæ ſunt iſti, qui vos ſpecie veri decipiunt: ne credite.* His *dictis, impetu turbæ è templo egredientis*

vnà quoque ipſe abreptus egredi coactus fuit, ac quamuis plurimi cũ hortarentur, vt ſe in pedes conijceret: negauit tamen facturũ ſe, quin potius eos monebat, vt quæ palàm & publicè dixiſſet apud ſe quiſq; diligenter expenderet: ac tum moderato inceſſu abiẽs, quum vixdum ad Portam quæ ferè in meditullio vrbis non procul à prædicto templo Michaelis ſita eſt, perueniſſet, interceptus fuit à Procuratore fiſci Iacobo Heſſelio, qui hominem iuſsit deduci ad vetus Comitis caſtrum circiter horam decimam antemeridianam XI. Apr. M.D.LIIII. *Pomeridianis horis Procurator ille cum Piſtorio eiúſque collega Ioanne Bunderio, aliíſque eiuſdem farinæ hominibus ad carcerem ſe contulit, qui cum Otthone tribus ad minimum horis diſputarunt de præcipuis religionis papiſticæ capitibus, quæ illi cauillis & multis logomachijs, tueri & aſſerere conabantur: tranſubſtantiationem videlicet, inuocationem Sanctorum, Purgatoriũ, ac cæteras eiuſmodi nugas, quæ tãtùm* περὶ τὰ ἄλφιτα *faciunt: Ottho ea omnia verbi Diuini trutina examinari, atque ex doctrina Filij Dei, velut Lydio lapide probari cupiebat. Illi verò metuentes ne cauſa caderent, ab eo examine abhorrebant: tandémque conſtitutum eſt inter ipſos vt ſententiam ſuã ſcripto declararet Catelina, cui Procurator papyrum & alia ad ſcriptionem neceſſaria tradi curauit. Nos autem hîc adijciemus quandã veluti ſummam diſquiſitionis. Ac primùm de cœna Domini, dicebat ſubeſſe tropum verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum: neque enim id craſſè intelligendum eſſe ac ſi panis ſit ipſa ſubſtantia naturalis corporis Chriſti, quod varijs exemplis ac teſtimoniis Scripturæ oſtẽdebat ſic nec poſſe nec debere intelligi. Aduerſarii interrupto eius ſermone venerunt ad quæſtionẽ de inuocatione Sanctorũ. reſpondit ille, vnũ tantummodò Deum adorandum eſſe in Spiritu & veritate. nam quũ is, inquit, ad ſe vocet omnes qui ſub onere gemunt, vt iis alleuationem afferat: quum hortetur vt pulſemus, quæramus ac petamus, addita promiſsione nequaquam fruſtratum iri ſpe ſua quenquam: deniq; quũ certò ſciamus Deũ ſummè bonũ, haud dubiè daturũ quidquid in nomine Chriſti petierimus, ſumma profectò ipſius maieſtatẽ iniuria afficimus, ſi in precibus noſtris ad Deum, alium mediatorẽ vel aduocatum adhibeamus quàm Chriſtũ: quocirca impudẽter ac ſceleratè*

Hãc portã vocãt Flãdri *de Bruſche Walporte*

tè illos facere dicebat qui Chriſtũ iure ſuo priuantes perſuadent plebi Sanctos nobis apud Deũ patrocinari ac pro peccatoribus intercedere: quod officiũ vni Chriſto cõmiſſum eſt, qui in cruce pependit & noſtrũ reatum ſubijt. neque enim ad quenquam maiori cum fiducia ac ſpe ſalutis obtinẽdæ accedere poſſumus quàm ad eũ qui communis omnium noſtrûm frater eſt, Filius æternus Dei viuentis: qui ſolus & vult & poteſt bene facere generi humano. Ad quæſtionem illam friuolam de igne Purgatorij, duas ſe tantùm noſſe vias aiebat, alteram quæ ducit ad cælum vbi quietis beatorum ſedes eſt, alteram quæ ducit ad inferos, reproborum omnium triſte domicilium. Hæ viæ nobis proponuntur Scripturæ exemplis de malè Diuite ac Lazaro, atque Latrone altero cui Chriſtus in cruce dixit, Hodie eris mecum in paradiſo: nõ autem, Hodie cõijcieris in ignẽ Purgatorij vt ibi pro peccatis tuis pœnitentiam agas. Rogatus etiam à monachis an Papam agnoſceret, quippe qui caput ſit ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ: reſpondit, Chriſto Redemptori eum tantũmodò honorem tribuendum, vt ſummũ ſit & vnicum Eccleſiæ caput: Papam verò ſe habere pro Præſule eccleſiæ Antichriſti, eundémque deteſtari vt filium perditionis ſedentem in loco ſancto. Deinde rediens ad ſermonẽ de cœna, quẽ interruperant Cucullati, negauit planè, Chriſtum in ea corporaliter, ac realiter, vt loquuntur, contineri, manibúſque ſacrificorum attrectari: dictúmque ſuum aut potius Chriſti, confirmabat Scripturæ locis tam cõmodis atque dilucidis, vt patroni dignitatis papiſticæ & tranſſubſtantiationis defenſores prorſus obmuteſcerent, ſuámque infantiam cum ſumma impietate ac nequitia coniunctam in cauillis & tergiuerſationibus friuolis facilè auditoribus proderẽt. Præſes autẽ Flandriæ Helwegh quum videret hominem coram ſe & nonnullis conſiliariis, tam præſenti animo, magna ingenii dexteritate, ſermoníſque mirabili ſuauitate interrogatis reſpõdere: Otthonẽ affatus, Nõ licet, inquit, mihi per edictũ Principis diſputare de fide cũ hæretico cuiuſcunq; ſectæ, ſed mittã ad te monachũ aut ſi mauis ſacerdotẽ laicum (vt vocant) qui cœptã diſputationem perſequatur. Ottho autem reſpõdit ſe paratũ eſſe fidei ſuæ rationẽ reddere nõ ſolùm illis, ſed etiã ex plebe infima abiectiſſimo cuiq;. Præſidi verò & cõſiliariis qui aderãt bene precabatur, optabát-

que vt diu officio ſuo fungi poſſent ad gloriã Dei *atq; animarũ ſuarũ ſalutẽ. Scripſit autem pòſt ad vxorem ſuã* Chriſtinã *quã reliquerat* E-

Emedavrbs & comitatus Friſiæ Orientalis.

medæ, cõſolans illã atq; exhortans vt omnẽ curã vitæ huius caducæ Domino *commẽdaret, qui viduas & pupillos in tutelã ſuã recipit, vt ipſe in Scripturis teſtatur: monebat præterea eã vt quæ cõiugii pignora habebãt Samuelẽ ſcilicet & Sarã diligẽter in Chriſtiana inſtitueret fide, quam quidẽ quinque annis ſimul coluerãt, ꝑ qua breui mortẽ ſubiturũ ſe ſignificabat: poſtremò iubebat vt ductu Spiritus ſancti, certũ aliquod vitæ genus amplecteretur.* Die Sabbathi *qui* 27. *erat* Ap. *anni ſupra nominati,* Ottho, *natus annos circiter triginta, capitis dãnatus, ſecũda pomeridiana in forũ duct⁹ eſt, vbi faſces ad eũ exurẽdũ diſpoſiti erant. Quum autẽ populũ qui tã triſtis ſupplicii ſpectator aderat, hortari vellet* Catelina, *interpellat⁹ fuit ab* Heſſelio, *qui carnificẽ ſæpius monebat, vt expediret ſuum negotium. Quo viſo, reus ægerrimè tulit ſibi nullam fieri poteſtatem loquendi ad populum. proinde* Heſſelium *compellans,* Video, *inquit, te ſolicitum eſſe & anxiè laborare ad effundẽdũ ſanguinẽ innoxiũ, ſed precor* Deũ *vt tibi ignoſcat.* Ad *quæ verba* Procurator *ille reſpõdit,* Amẽ, *amẽ.* Deinde Ottho *ſe cõuertẽs ad plebẽ, multa, inquit, decreuerã vobis declarare, ſed imperatur mihi ſilẽtiũ, quæ res admodũ me malè habet.* Tum *carnifex, vt moris eſt in ijs locis, procũbẽs in genua ante ipſum, rogauit vt ſibi ignoſceret quòd per eum plectendus eſſet:* Ottho *autem tortorẽ oſculatus,* Ego, *verò, inquit, tibi cõdono ac lubẽs: peccata tibi tua condonet* Dominus *opto. Ac protinus ſe in genua proſternẽs, in hanc rationẽ precatus eſt,* Pater *cæleſtis qui ſecũdum ꝓmiſſiones tuas miſiſti* Filium *tuum vnigenitum vt ſe offerret in ſacrificium ꝑ peccatorũ noſtrorum reatu: ſupplico tibi vnus è ſeruis tuis etiã minimus, vt me quoque gratiæ tuæ ac miſericordiæ participẽ facias.* Vos *autẽ fratres chariſſimi, obſecro & obteſtor vt concorditer omnes* Deum *pro me precemini, vt quẽadmodum pollicitus eſt ſuis, in extrema hac vitæ meæ hora mihi adſit, nec deſerat vnquam.* Hic *rurſus* Procurator, *ad carnificẽ vt ſuppliciũ maturaret clamauit. ac tũ placidè velut ouis ſe* Catelina *ad palũ deligari paſſ⁹ eſt. dúmq; catenis circũcirca vinciretur, ad populũ hæc verba habuit,* Cauete *à pſeudoprophetis, qui dicũt*

Ecce

Ecce, hîc eſt, aut illic Chriſtus: ne erretis, quoniam in cælis eſt ad dexteram Dei Patris. Ad extremum ſublata voce, Pater, inquit, cæleſtis in manus tuas commendo Spiritum meum, téque oro vt pro gratia tua, puerulos meos in timore nominis tui cõſerues. His dictis primùm laqueo ſuffocatus, flammíſque aduſtus, deinde in patibulo extra vrbem ſuſpenſus inter fures & latrones fuit: ſed haud dubiè anima ipſius in cælum ſublata eſt, propter Saluatorẽ noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui corpus etiam eiuſdem in vltimo die excitabit, vt beata immortalitate cum omnibus Sanctis fruatur.

IOAN. FILIEVL, & IVLIANVS LEVEILLE.

Horum duorum exemplo intelligere licet, cùm quatenus in optima cauſa fidendum ſit vel ſuſpectis ac perditis hominibus: tum verò etiam, quãta vis ſit diuini numinis, cuius afflatu conſequamur vt neque caſu aliquo grauiore perturbemur: O, vel capti mẽbris omnibus, ſublime ſuſpirantes tamen corporis officio perinde fungamur.

ANNO Domini M.D.LIIII.XVII.Cal.Maij.Ioannes Filiolius faber lignarius, & Iulianus Leuelhæus ligularius, Sanſerræ Burgundionum oppido natus, comprehenſi fuerunt à Gillio Perſio Latrunculatore prouinciæ Borbonienſis, auſpicio D. Sanctandreani, Tribuni celerũ: idque, duobus circiter à Niuerno milliaribus quà Deſiram itur. Comprehenſurus autẽ eos Gillius, Sat ſcio, inquit, ô fratres, quô pergatis. cedite amabo, nobíſque vos aperire ne dubitate. nos enim ij profectò ſumus, ô fratres, qui quidem vos vniuerſos omni ſceleratorum hominum contumelia, nedum iniuria, prohibere maximè velimus. His blanditijs eos paulatim allicere veterator ille nitebatur, aſsimulatæ veritatis ſpecie, falſáq; animi erga illos ſui prædicatione tectus, ac fidem etiã ſuam, ſi egerent, vltro pollicitus. Quin vt callidi⁹ exciperet incautos, præmiſit ſagittarios ſuos his verbis, Ite præ, inquit, ite, equóſque admittite: nihil enim hic ad vos locus. Poſtmodum autem inſequens vndique, Eia, inquit, fratres, quónam pergitis, inquam? Pergimus, inquiunt, Deſiram. Nec longiùs? Sanè quidem. Num, inquit, Geneuam? eodémque & infantulum hunc & filiam deducitis? Illi ingenuè fateri. Et vxores, inquit, veſtræ illíc ne ſunt? Illi fateri rurſum. Mox ad os admoto pugno ſibilans Gillius aduocat ſagittarios, atque vt Niuernum in cuſtodiam adducantur iubet: id quod actutum eſt factum. Illò deducti,

pluribus ab codẽ verbis ſuper eo quod paulò antè cõfeßi fuißẽt, interrogantur: eo ſe nimirum conſilio proficiſci Geneuã, vt in rem diuinã, quam paßim in Gallia tum blaſphemijs, idololatria, pſeudoprophetia, tum abuſu Sacramentorum inexpiabili contaminari quotidie cernerẽt, incumbere rectius poſſent: Geneuam autem eſſe ciuitatem, in quam re diuina iam Euangelicæ diſciplinæ veritas quaſi poſtliminij iure quodam reuerſa eſſe videretur. Quoniam autẽ Sacramenta nonnihil attigerãt, rogabat primùm quem Sacramentorũ vſum optimũ eſſe arbitrarentur: quam item Euangelicam doctrinam, quam quidem auſpicatæ maximè ciuitatum omnium Geneuæ conſediſſe dicerent. Ac primùm quidem, num Chriſtum ipſum hoſtia ſacerdotali ſic incluſum crederent, vt & panem & vinum pronuntiatis nonnullis à ſacrificulo verbis id quod ſunt protinus eſſe deſinere, ac repentè verum Christi corpus & ſanguinem effici conflaríque iudicarent. Illi tum Ieſum Christum (vt ſcriptum eſt) in cælum aſcendiſſe, ſe credere, ad dexteram ſedere Dei Patris, indéque venturum iudicatum viuos ac mortuos: eóque modo & panem & vinum naturæ ſuæ proprietatem vtique retinere. Nec verò panem ipſum & vinum aliud eſſe quicquam in hoc genere putandum, niſi ſignum ac indicium veri corporis & ſanguinis Ieſu Christi: quoniã ſicut pane cor humanũ vegetaretur, vino delectaretur, ſic animus pretioſo Ieſu Christi corpore quaſi ſuſtentaretur, ſanguine relaxaretur: per illum enim receptum habuiſſe nos ad Patrem. Hæc ſe omnia ſine controuerſia veriſsima & fateri eſſe, & vitæ periculo profiteri cupere. Interrogati deinde quid de Communicatione ſtatuerent, aiebant adminiſtrari panẽ & vinũ in cõmemorationẽ mortis paßionísque Ieſu Christi: ac tũ quidẽ non accipi tantùm panẽ & vinũ, ſed planè etiã fidei beneficio verũ ipſum corpus & ſanguinẽ eiuſdẽ Christi, qui animũ interpoſito fidei velut inſtrumẽto purgaret atq; reficeret. Quòd ad Miſſam, de qua quoque interrogarentur, pertineret, merã ſuperſtitionẽ & idololatriã aiebant eſſe, merum hominũ inuentũ, meram condemnationẽ. Quòd autẽ diuũ Petrũ Papã, Miſſæque potißimum authorem exiſtimaret, opinione lõgè falſum illũ. nihil enim de Miſſa ne cogitaſſe quidẽ diuũ Petrũ vnquã, tantùm Euangelio nuntiãdo interpretandóq; præfectum, atque eo nomine vocatũ & ſelectum fuiſſe. Itaque ſi quam

ſalutis

ſalutis partem in illa Miſſa poneremus, inanem ac ieiunam Domini noſtri Ieſu Chriſti paſsionem eſſe oportere: quòd nemo mortalium, Chriſtianorum præſertim hominum, non modò non vſurpare ſermone, ſed ne cogitatione quidem vlla comprehendere velle debeat. atque hinc effici quidem id quod eſt, nihili planè rem eſſe Miſſam iſtam: meram, inquam, idololatriam eſſe Miſſam iſtam, quæ (nefandam ſanè rē ac morte piandam) paſsionem Domini noſtri Ieſu Chriſti poſt hominum memoriam improbiſsimè flagitioſiſsiméque conuellens & obliterans, ſeipſam ingerat impudētiſsimè: ſéque aliquid eſſe ac planè iam etiam mordicus oportere retineri tranſuerſis quibuſdam, ſed alienis & exoticis hominibus indigniſsimè perſuadeat. Interrogati præterea num ſacrificus panem in corpus Chriſti reuera conuertendi facultatem haberet, Deum ipſum neque ſubditum hominibus, neque eorum linguis & exorciſmis obnoxium aiunt eſſe. quin contrà Deo ſubiecta & obſequioſa dicunt omnia: delirúmque & errorem inſanum eſſe quendam, attribuere virtutem aliquam eis verbis, quæ ſacris in rebus hominum inuentione & artificio proferuntur. Vtrum autem ea quæ poſuimus, aliquid ad manes è Purgatorio detrahendos conducere putarent: num Purgatorium etiam ipſum conſtituerent. reſpondēt, tantum abeſſe vt conducerent vt etiam condemnationem illis accerſerent, Deíque indignationem aduerſum ſe prouocarent. Porrò Purgatorium nec eſſe vllum præterquam ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſcriptum eſt, neque purgari cuiuſquam poſſe peccata niſi per effuſionem illius ſanguinis. Interpellationem igitur Sanctorum eiurantes, ait latrunculator, nullo nec honore, nec veneratione proſequendos cenſetis. Honorē depeculari Sanctorum, inquiunt, minimè volumus: at debitā vni Deo gloriam auferre & Sanctis aſcribere, id quidem ſit vel ipſorum voluntati Sanctorum intemperanter obſiſtere. Scitum enim ſcriptúmque eſt, ad Deum honorem & gloriam vnum referri ſemper oportere. Quòd vt adeſſe Sancti nobis & opitulari poſsint: tamen honorem qui ſoli Deo debetur, vndéque vis omnis ac poteſtas proficiſcitur, impudenter ad ſe rapere profectò nolint. Quòd ad poſtulationis aduocationíſque ſpectaret naturā, hanc ſolius Chriſti propriam agnoſcere & fateri ſeſe, qui Chriſtus petitione nulla ex-

trinſec⁹ adhibita, tantùm motu quodã proprio ſuo ac officio nobis adſit præſtóq; ſit apud Patrẽ. Apud quẽ igitur exomologeſin facere oporteret, quis ille tandẽ eſſet qui peccata condonaret, an non ſacerdoti cõfitendũ, an ab eodẽ nõ expectanda remiſsio peccatorũ, interrogati: Aiunt, conſcientiæ cauſam non ad ſacerdotẽ, quẽ in eadẽ offenſa nobiſcum eſſe videamus: ſed ad Deum vnicũ humanarũ offenſionũ expiatorem, ſolum iuſtum, vt ſcriptum eſt, tantùm eſſe deferendã. Poteſtatem igitur ligandi & ſoluendi nõ habebunt? Mandatum, inquiunt, illis eſt, Euangelium verè profiteri, veritatémque qua huiuſcemodi ligatio ſolutióque tam hîc apud nos, quã ſuperius in cælo conficitur, enuntiare. Ad extremum autem interrogati an res omnes quas aſſeruiſſent, ſibí cõſtarent, veræque eſſent. veriſsimas dixerunt eſſe, in eíſque ſitã fidem atque perſuaſionẽ ſuam. Itaque chirographum eis ſuum appoſuerunt: teſtificatíq; ſunt ſe valde ſibi fortunatos videri, quos Deus dignos cenſuiſſet, qui in hanc cauſam deducerentur. Paulò pòſt ad Sampetrũ monaſterianũ à Latrunculatore ducuntur: oppidíque ſuppræfecto cũ elogijs & interrogationibus ſuperioribus traduntur. quo in loco eiſdem de rebus interrogati, ſibi conſenſerunt. Quocirca re ad forenſes homines delata, inque deliberationẽ cum quibuſdã accitis Patronis deducta, tanta varietate ſentẽtiarum, vt cui potiſsimũ adiudicari ſupplicio deberent, exputare nullo modo poſſent: frequentes in eam ibant ſententiam, vt adnotatis illorum bonis ipſi proſcriberẽtur. Cui ſententiæ cum à Ioan. Bergeronio quæſitore ſuppræfecto reclamaretur, ipſe decreuit vt tædiferorũ habitu per ora vulgi traducti, nudi Miſſæ operã darẽt primùm, deinde cõburerẽtur. Prouocatur ad curiã Pariſienſem: quo in loco quantò rogantur diligẽtius, tantò ſe gerunt cõſtantius. quanquã enim & amicorũ gratia valerent, & diplomatibus quibus ſeries ipſa tota cauſæ de integro inſpici iubebatur, vti poſſent: tamen in ſententia permanſerunt. Dum Lutetiæ ſunt, Latrunculator fanaticus & inſanus moritur. cuius viri morte perculſi quidam, animus conſternantur: alij verò iuſtiſsimum Dei iudicium admirati, ſibi inuicem gratulantur. Tandem autem reiecti martyres Sampetrum monaſterianum Lutetia reuerſi XVIII. Calendas Febr. In Concilium venire iubentur, vt quid animi tum demùm habeant, oſtendant. Perſeueraturos

ad ex-

ad extremũ ſe dicunt eſſe: præuaricatores ſe rati fore, ſi quod veriſſimum eſſe cognouerint, abiurent. Tum actuarius Pariſienſis curiæ decretum recitat: quo decreto continebatur, viuos ambos exuri oportere, ſiquidem ſibi perpetuò conſentientes peruicaciam iſtiuſmodi non abijcerent: profert item decretum alterum memoria tantùm hominum, non ſcripto conſignatum: quo conſtabat præcidi quoque eis linguas oportere, ſi pergerent: ſin veterem iſtam opinionem excuti ſibi paterentur, ſanè fore vt & laquei præfocatione flammam anteuerterent, & linguæ ſectione liberati iucundius vitam cum morte commutarent. Velletis ipſi quidem, inquiunt, vt reiecta veritatis optima cauſa Deum noſtrum abiuraremus: at fruſtra vos vniuerſi conficitis. Vix abſoluerant, quum decreti capita tria recitari deſierunt: quorum primum illud erat, perperam ac peruerſè ambos de ſancto ſacramento loquutos. Imò verò, inquiunt, optimè veriſſiméque. Secundum, falſò Baptiſmum eoſdem abiuraſſe. Imò conſtanter aſſeruiſſe, ſed informaſſe, inquiunt. Tertium, Deum ac diuos ipſos immortales acerbitate contumelioſa verborum inſectatos fuiſſe. Quin contrà, inquiunt, & Dei cauſam ſtrenuè ſuſcepiſſe, & diuos in honore ſemper habuiſſe. Mox ſe ipſi contuentes ambo, inuicem hortari ſe, paratóſque eſſe dicere nõ tãtùm vnius alteriúſue membri facere iacturã, verumetiã totius corporis naufragiũ, dũ ea ſuſtineant quæ cùm ad ſalutẽ ſuam, tum verò Dei opt. max. decus & ornamentum pertinere arbitrentur. genus enim hoc totum ſuppliciorum & animaduerſionũ momentaneum, vel potius etiam optabile & ſuaue, ſi cum tanti boni quantum ipſi iam ſpe atque animo conſecuti ſint, præſtãtia & diuturnitate cõparetur. Suppræfectus grauiſſima poſt homines natos illis genera tormẽtorũ indicere, niſi dicta reuocarent: illi contrà (pergeret audacter) eis enim ſe tormẽtis perterrefieri nullo modo, quibus hæreditatem adituri eſſent, quam ampliſſimam & expeditiſſimam ſibi propoſitã eſſe minimè dubitarent. Exuũtur, vinciuntur, ídque à meridie ad tertiam. Nihilominus oratione perpetua Dei bonitatẽ ac miſericordiã dilaudãtes, præclariſſimè ſecũ agi teſtãtur, quos in cauſam ſuã demiſiſſet, quos honore tãto dignatꝰ eſſet. Itaq; ſupplicij genꝰ acerbiſſimum expectãtes, vnà canũt Pſal. 6, Domine ne in, &c. & deinceps cant. Symeonis, Nunc

dimittis ſeruum tuum Domine. Mox *ſuppræfectus inſania & furore præceps,* Dominicanum *præmittit ad illos quendam, captioſum hominem in diſputatione, & in comprimenda veritate veteratorẽ eximium ac propè ſingularem. qui cùm multiplicem ac variam cum martyribus diſputationem inſtituiſſet, exceptus ille quidem initiò fuit: poſtea verò fractus atque fuſus.* Abite, *inquit, in malam crucem ô intemperiæ, ô agitatæ furiæ. Succedit Suppræfectus: ligneam crucem in vtriuſque colligatas manus imponit: arripitur dentibus crux, víque ſumma proijcitur, gerendam enim aliam ambobus crucẽ longè pretioſiorẽ & excellentiorem eſſe.* Hoc *facto concitatus Suppræfectus linguas edere ambobus iubet: faciunt incredibili conſtantia. quódque maiorem in re noua mirationem facit, exectæ iam eædem illæ linguæ poſtridie in ipſa* Concilij *publici claſſe reperiuntur.* Itaque *horum martyrum exemplo duorum liquidò oſtendit* Dominus *ſe loquẽdi facultatem non alligaſſe linguæ. præciſa enim ea conceſſit vtrique bonus ac miſericors* Deus *vt loquerentur. nam ad ſupplicij locum progreſſi,* Nos, *inquiũt, aliquando tandem & peccato & carni & mundo & diabolo poſtremum vale dicimus: nunquam cũ illis commune quicquam habituri ſumus.* Alia *præterea quædam à ſummis illis ſanè viris intelligenter excipiebantur.* Quin *etiam lictore eos ſulphureo & tormentario puluere conſpergente & ſuccuſſante:* Agè, *inquit* Filiolius, *ſalle, ſalle ſeriò putridas & carioſas haſce carnes.* Mox *prorupta in faciem flamma, immoto corpore conſiſtentes, feliciter ſpiritum ediderunt.*

DIONYSIVS VAYRVS.

DIonyſius Vayrus, Fontenij *ortus, diœceſis* Baiocenſis, *in inferiori* Northmaniæ *parte, valeiuſſo preſbyteratu* Papali, Geneuam *eſt profectus, vbi artem librariam didicit, atque inde libros ſæpenumero in* Galliam *aſportauit.* Tandem *in inſulis* Gerzæis *&* Guernezæis *domicilium delegit: in quibus, quòd* Anglorum *eſſent ditionis, haud ita pridem iuſſu ac voluntate* Illuſtriſſimi *ac* Chriſtianiſſimi Edouardi *ſexti* Regis *ſyncerè* Euangelium *prædicari cœperat.* Ibi Dionyſius

nyſius artem ſuam exercuit: & aliquandiu verbi Dei *miniſter conſtitutus,Chriſtum annunciauit in quodam* Guerneʒæ *viculo.Sed quoniam anno* M.D.LIIII.*defunƈto* Edouardo,*ſucceſſerant* Mariana *tempora,quæ impios cultus ac* P*apiſticas ſuperſtitiones in totũ regnum inuexerunt, adeò vt in illis inſulis impia religio priſtina receperit ornamenta:* V*ayrus comitatus quibuſdam, per* Northmaniani *iterfecit eo animo vt ſe Geneuã reciperet: atque in vicum qui appellatur* Fullium *peruenit,adferens multos ſacræ Scripturæ libros.* Et *quum abijſſet rhedam rebus ſuis vehendis conduƈturus,* Gulielmus Anglus *vicecomitis ſuppræfeƈtus,cum fratre ſuo* Ioanne Anglo *procuratore regio aduenit, ac libros ſibi ac reliquam ſuppelleƈtilem exhiberi præcipit:cui obtemperatum eſt, atque omnia interdiƈto retenta ſunt, ipſe etiã qui ea aſſeruabat.Dum hæc gerũtur, interuenit* V*ayrus,qui licet omnia intellexiſſet quæ euenerant, ipſóſque ſatellites ob oculos haberet, tamen repentè abſque vlla diſsimulatione rationem cauſámque interdiƈti ac retentionis ex ipſis quæſiuit.cui reſponſum eſt,libros eſſe hæreſi refertos:ipſe contrà, nihil niſi vera in eis contineri: ſuóſque eſſe,non eius quem ceperũt.* P*roinde qui eos aſſeruauerat mox dimiſſus fuit: ipſe verò* Vayrus *in cuſtodiã* Periesum *adduƈtus,vbi per duos menſes & dimidiùm arƈtiſsimis vinculis conſtriƈtus manſit.* In*terea à iudicibus eius loci multis de rebus fuit interrogatus, qui crimen proditionis ei obijciebant, quòd apud* Anglos *capitales* Gallo*rum hoſtes eſſet commoratus.* Ad *quæ reſpondit, ſe illuc veniſſe non ſtudio prodendi quenquam, ſed vt liberum ſibi eſſet ritè* Deum *inuocare,& ex eius præſcripto vitam degere.Porrò quum iudices* Perie*ſi,*V*ayri cauſam procraſtinarent,mandato* Cognitoris *regij apud* Ro*thomagum,adduƈtus eſt* Baioçum*, & decem dies ita conſtriƈtus in carcere* Epi*ſcopi remãſit,vt omnis aditus ad eũ fuerit interclusus.*In*de* Rothomagum *duƈtus eſt ,vbi ſenatuſconſulto ſancitum eſt,vt viuus combureretur,ac ter è rogo extraheretur.* Hac *ſententia pronũtiata,omnes ei inſtare vt ſuæ ſeƈtæ fautores patefaceret, alioqui omnia eius membra in quæſtione comminuta iri: quibus ille reſpondit, omnes veros Chriſtianos à ſe ſtare,ex quorũ numero eſſet ſanior pars*

Maria Edouardo ſuccesſit in regnum Angliæ.

Gallia,imò verò è Senatorũ numero pleróſq;: neque vllo cruciatus genere quidquã aliud à ſe eos extorſuros, nec coniecturũ quenquam in capitis aut fortunarum diſcrimen. Quòd ſi me tormentis enecaueritis ſi crudeles veſtros ignes non ſentiam. Hæc cùm audiſſent, *tanta anim conſtantia perſpecta in quæſtionem eum non coniecerunt: ſed ad ſupplicium protinus agi iuſſerunt. Cùm è carcere exiret, magna aderat hominum frequentia, quam* Vayrus *præſenti animo & ſingulari vultus alacritate hortari cœpit, vt doctrinam* Chriſti *amplecterentur, licet quidam monachus* Carmelitanus *qui cum eo in plauſtro erat, eum interturbaret.* Ibi *vnus ex lictorib⁹ acclamauit ad carnificẽ,* Reſeca, *reſeca ei linguam: quod ſine vlla mora factum eſt.* Tũc *monachus crucem quandam ligneam ei obtulit, ac manibus quæ arctiſſimè erant alligatæ, inſeri iuſſit. at pius ille vir quantum in ſe erat recuſabat, vultum à monacho auertens: hic verò beluino boatu exclamãs, Videte iam, videte execrandum hominem qui reſpuit crucem.* Adductus *eſt poſtea ante vaſtam ædem* Rothomagenſem, *quam vocant* Diuæ Mariæ, *vt ſignificationem aliquam daret populo venerationis eorum idolorum (quos* Sanctos *vocant) qui pro templi foribus locantur, atque ita honorariam quam dicunt emendationem admiſiſſe videretur.* At *ipſe manibus, oculis, vultu, toto denique corporis geſtu ſatis præ ſe ferebat, ſolum* Deum *eſſe adorandum: tergum obuertens eorum idolis, & apertè declarans ea deſpicere ac deteſtari. Cùm ad ſupplicij locum ventum eſt, protinus in ignem coniectus eſt, è quo, vt areſto pronuntiatum erat, ter erat educẽdus, quod tamẽ ad effectum non fuit perductum. nam vbi primùm ignis fuit accenſus, adeò flamma inualuit vt haſtæ altitudine ſupra corpus* Vayri *ſeſe extulerit: & ambo carnifices quantumuis adniterentur, eum in altũ erigere nequiuerint.* Interea *ſatellites baculis turbam quæ circunſtabat adigere conabantur vt ſubſidio eſſet carnificibus, nec tamen effecerũt vt vel vnus quidem manum admoueret.* Sanctus *igitur* Dei *martyr ad hunc modũ expirauit nono die* Auguſti *anno,* M.D.LIIII. *cuius rei laus, honor & gloria, ſoli* Deo *viuenti in perpetuum,* Amen.

BERTRANDVS BLASVS *Tornacenſis.*

BER-

BErtrandus Blaſus Tornaci Neruiorũ natus, ſericatorum è lana cõfectorum opifex, quum à Deo veritatis cognitionem accepiſſet, demigrauit weſaliam (quod oppidum ad imperium ac iuriſdictionem ducis Cleuẽſis, Iuliacenſiſque pertinet) eo animo, vt receptus ibi in eccleſiam Gallicam, excipienda concione diuini Verbi, ritúque Sacramentorum vſurpando, Deum piè religioſéque coleret: & ſi res facultatem habitura videretur, eódem vxorem ſuam atque familiam adduceret. Quo conſilio quum weſalia iam ter Tornacum profectus eſſet, nihil tamen cum vxore conficere, neque vt ſequi ſe quàm remanere Tornaci mallet, impetrare ab ea potuit. Poſtremùm autem quum weſalia decedens in iter iam eſſet ingreſſus, comitatus officij gratia fuiſſe fertur à multis, nominatim autem N. Ludouico eccleſiæ Gallicæ miniſtro: ab eodémque monitus vt idololatriam fugeret, & quam olim veri inueſtigandi rationem iniiſſet, in ea fortiter in poſterùm conſtantérque perſeueraret. cui Bertrandus, Vero ſe quodam ac tacito diuini Spiritus affectu ſenſúque commoueri: ſperare denique nihil commiſſurum ſe, quod quidem aut indignum eo ordine quem duxiſſet, aut alienum à fidei quam haberet, præiudicio videretur. Porrò ſimulac Tornacum attigit, quum vxori perſuadere non poſſet vt oppidum ſuperſtitioſum idololatriæque deditum relinqueret, in eodẽ eſt ipſe dies aliquot ante Natale ſilentiò commoratus. Quo ipſo die Natalis, anni M.D.LV. domo progrediens, ab vxore fratréque poſtulauit vtî precibus à Deo peterent, vt conſilium inſtitutúmque ſuum (cuius ipſe rationem incluſam animo contineret) ad felicem exitum adduci vellet. Itaque profectus in ædẽ diuæ Mariæ vulgò noſtræ Dominæ (quod templum cæterorum omniũ quæ Tornaci numerãtur, maximum ampliſſimúmque eſt) confectis tribus circa chorum ſpatijs, magnũ altare commodiſſimum duxit eſſe, in quo molitione ſua quàm optimè defungi poſſet. Quod quum ei non ſuccederet, eſſétque ſacellum ibi parœciæ, corripuit intrò ſeſe: quo in loco ſtetit tecto capite tantiſper, dum flamen curialis deum illum ſuum panaceũ ſolẽniter attollens, eodem veſtigio ſibi ereptum ſenſit à Bertrãdo: his verbis populũ qui aderat, inclamãte, Vt circunſcripti eſtis vniuerſi? quid? adeóne cæcutitis, ac dementi ruina ſeſe inflectunt mentes veſtræ, vt iſtud cruſtulũ, Ieſum Chriſtum

verum Deum ac ſeruatorem eſſe vobis perſuadeatis? Ecce, *& habitis alijs nonnullis ad admonitionem pertinẽtibus verbis, arreptam (quam vocant) hoſtiam comminuit: comminutam perculit atque conculcauit.* Ad *quod inuiſum eatenus inauditúmque ſpectaculum circunfuſa multitudo, die præſertim tam feſto ac religioſo, animo cõſtitit adeò pauido atque conſternato, vt* Bertrando *ipſi nihilo fuerit difficilius futurum expedire ſalutem ſuam, indéque ſe proripere, atque è medio de cælo tactorum hominum conſpectu.* Sed *illum* Dominus *ad facinoris ſui tam præclari probandam rationem exponendámque reſeruaſſe eò videtur, quòd comprehenſum & captiuum in arcem* Tornaci *munitiſſimam duci permiſerit.* Hæc *dum* Tornaci *geruntur, curator oppidi prouinciæque* Neruiorum, Hunnorum *præfectus,* Bieſi *tum quidem agens, domi ſedebat articularius: qui ad huius facti mentionem attonitus, & exclamans,* Dij *veſtram, inquit, fidem!* Siccine *tu tandem, ô bone* Deus, *hominis impuriſſimi pedibus opprimi te cõculcaríque ſuſtinuiſti? quin tantam impietatem, tantum ſcelus acriter, vt erat vindicari multò digniſſimũ, vltus ipſe es atque perſecutus?* Miſerum *me!* Tantúmne *te patientiæ præſtare potuiſſe? iſtáne tandem eſſe perpeſſum?* Polliceor *tibi, in méque recipio, ô* Deus, *ea ſeueritate tantum facinoris crimen accepturum eſſe me, eiuſmodi proditurum exemplum, vt defixum ad memoriam omnium hominum ſempiternã indicium eſſe poſſit.* Mox *ira furioſè percitus, tantum acerbitatis virus euomuit, verba quædam tam impotenter effudit, vt ab omnibus qui aderant hominibus, exijſſe planè de poteſtate, necnon impetu quodam animi veſano ferri raptaríque iudicaretur.* Haud *ita pòſt multò quum vtcunque morbus animi reſediſſet, deportari ſe in caſtrum* Tornaci *iuſſit: quo in loco decerni* Bertrãdo *quæſtionem natalitijs feriatis diebus, vt indicia profiteri cogeretur, poſtulauit.* Nec *enim curioſius facti confeſſionem exprimi oportere cenſebat, quum hoc toto de genere omnes antea longè plura iam ab illo quàm aut optarent, aut opinarentur, intellexiſſent.* Etenim *interrogatus primùm, nũ qua facti ſui pœnitentia duceretur: ac integrum ei ſi ſit, vtrum eò progredi vellet, ſingulari quadam animi conſtantia grauitatéque reſponderat,* Id *ipſum centies, ſi liceat, velle ſe facere: mori denique centies, ſi totidem ſibi*

vitæ

vitæ ſuppeterent: ſiquidē id ad Ieſu Chriſti ſeruatoris amplitudinem & gloriam pertinere exiſtimaret. Tum carnifices quum iudicē ex illo poſſent exprimere neminē, de-integro quæſtionem interminabātur: quibus ille, prōptum ac paratū ſe ad nouam perpeſſionē: indicaturum autē eſſe neminē. Quô factū fuit vti ter ei quæſtio repeteretur, quam idem tamen inuicta animi magnitudine ſuperarit. Poſtridie porrò feriarum, qui dies erat IIII. *Cal. Ian. quum ad cōdemnationem ventum eſſet, accidit vti mortis ei ſententia in hanc rationem pronunciaretur.*

VIſo proceſſu criminali facto coram nobis aduerſus te Bertrandum le Blas, per quem proceſſum ſimul & per tuas cōfeſſiones liberè factus nobis ſufficienter conſtat, quòd in die Natalis Domini nuper elapſo, hora magnæ Miſſæ cōparueris in eccleſia parochiali in tēplo cathedrali noſtræ Dominæ Tornacenſis: & ibi malo, peruerſo & felonia turgenti animo, propoſito deliberato propius acceſſiſti ad Curatū celebrantē prædictam magnā Miſſam parochialem, ac tenentem ſanctiſſimā ac ſacratiſſimam hoſtiam & ſanctū ſacramentum altaris inter ſuos digitos, paratū ad eleuandū & oſtendendū populo: quam quidem hoſtiā tu ab illius digitis violenter manu tua dextra arreptā maxima irreuerentia & contemptu proiectam in terrā, ac deſuper tuo pede dextro conculcatam verbis probroſis proſequutus es, dicens, Hoc facio ad oſtendendū gloriam iſtius Dei, & quòd nullam potentiam habeat. Et tum in promptu per eos qui circunſtabant quum fuiſſes apprehenſus vt captiuus conſtituereris, multa verba hæretica pronunciaſti, vt eos induceres in tuam damnabilem intentionem: imò in tuis interrogationibus reſpondiſti de ſacro ſacramēto Baptiſmatis prorſus hæreticè & contra ſanctam Scripturam. Item contraueniendo ordinationibus Imperatoris noſtri domini tu fuiſti pluries Weſaliæ, ibidem conuerſando commorando per aliquod tempus cum ijs qui illam vrbem inhabitāt. Pro quibus omnibus caſibus ſupradictis ex cōſilio & reſolutione domini Bailliui Tornacenſis & Torneſii ac ipſius Locūtenentis: ſimul & conſiliariorum Imperatoris noſtri domini in eodē Balliagio, magna & matura deliberatione habita, nos te condemnauimus & condemnamus vt ſuper cratem traharis à loco pronunciationis ſententiæ vſque ad magnū forum iſtius vrbis, vt ibi ſuper facto theatro manus dextera tibi forcipibus igne rubentibus vi euellatur, ſimiliter & pes dexter, ac deinde lingua præcidatur: ac corpus tuum viuum per medium ligatum ad ſummum trochleæ paulatim lento igne flammificetur: in eo denique igne ſæpius demittatur & attollatur ac finaliter in cineres conſumatur. Atque inſuper declaramus omnia tua bona confiſcata ad vtilitatē Imperatoris domini noſtri: aut eius aut eorum ad quos pertinebit per noſtram ſententiam diffinitiuam criminalē & pro iure. Actum & pronunciatum ianuis apertis per excelſum & potentem dominum Seneſcallum Hannoniæ, &c.

Die Sabbati xxix. Decembris, anni M. D. L V, præſentibus viris conſiliarijs ad hoc ordinatis & deputatis.

ILLO *igitur ipſo die dum ſententiæ executionē obeunt, miſerum, ſuper cratem aßidentem, à* Tornaci *caſtello ad forum vſq; nundinarium trahunt. ibi contabulationem extruunt: productum atque vinctum cedere manum qua ſacrificulo hoſtiam extorſerat, cogunt: quam cauterijs iũctus duobus, ignitiſque ferreis cuſpidibus arreptam eoúſque comprimunt, dum in totum manus ipſius ſpecies & forma detraheretur. Alia præterea ferramenta ſuperioribus ſimillima proponuntur ignis ardore & inflãmatione coruſcãtia: in quæ ipſe ſponte pedem, quo peßundaßet hoſtiam, inſerens, mirabile propoſuit exemplum animi grauitatis atque conſtantiæ ſuæ.* His *confectus rebus diſſoluitur. infra deſcēdere, globulúmq; ferreũ quē caſtro progrediens eatenus ore tenuerat, edere, & linguã abſcindendã proferre iubetur: paret. Inſeritur in os rurſum ei globulus, quòd ne tum quidē perpetuis clamoribus, eíſque quibus vniuerſa multitudo vehementer ſanè commoueretur,* Dominum *appellare deſineret.* Mox *contabulationem alteram depreßiore aliquanto ea, in qua candentibus forcipibus manu & pede fuerat inuſtus, eadem alacritate conſcendit, eodē animo, quo ſi neque captus aliquo mēbro, neque vllo propoſito vitæ periculo concitatus eſſet, planè facturus eſſe videretur.* Ibi *manibus atque pedibus à tergo circunducta per medium corpus ferrea catena reuinctus incumbebat rogo: ſurſum ac deorſum adductus & inclinatus miſerabile populo ſpectaculum præbebat:* Hannoniæ Præfecto *interim martyrem ipſum nunc attolli, nunc deprimi iubente, & oculos immanitatis ſuæ paſcente tantiſper ac ſatiante, dum viri ſanctißimi corpus illius in cinerem conuerſum, in profluentem inijcitur.* Hoc *confecto negotio tã præclaro, vt & ſacellũ in quo res inauſpicatò perpetrata fuiſſet, occluderetur, & lignũ quo ſacrificus ante arã poſito ſupergreßus eßet, exureretur, & marmoreus lapis quo pariter inceßißet, confringeretur, imperauit: interdixítque, quoniam* Bertrandus *ipſe quicquid eruditionis ac veræ religionis habuißet, eccleſiæ weſaliēſi totum referre ſe acceptũ dixißet: ne quis aut cõmercij, aut cuiuſquam alterius negotij nomine illo proficiſceretur: alioqui fore vt in mulctam* Imperatoris *(quam illi* Placardum *appellant) incurreret.*

Liber octauus Actionum

MARTYRVM.

Hiſtoria de actis quinque Martyrum, qui exuſti ſunt Cameriaci, vbi ſuprema eſt Curia Sabaudiæ, nempe

IOANNIS VERNVTII, Pictauienſis,
ANTONII LABORIERII, Cahortenſis in Quercyo,
IOANNIS TRIGALETI, Nemauſenſis,
GVYRAVDII TAVRANI, Cahortenſis,
BERTRANDI BATALLII, Vaſconis.

EX eo tempore quo Dominus pro ſingulari bonitate ſua Euangelium Geneuæ publicari voluit, quum ſuos circiter viginti annos in ea tutatus eſſet, tandem velut ex ſeptis ſuis & arena permultos emiſit athletas fortiſſimos, qui veritatē ſuam ſyncerè hominibus patefacerent. Ac non ita pridem quinque eximios teſtes doctrinæ ſuæ produxit, qui hanc coram ſenatu Cameriacenſi conſtanter aſſererēt: quorum tres nempe Ioannes Vernutius Pictauus, Antonius Laborierius Cahorti Quercianorum natus, ac legū peritus, quíque iudicij regij officio illic defunctus erat: & Ioannes Trigaletus Nemauſenſis, iuris etiam peritus, eccleſiæ Geneuenſis conſenſu delecti ad promulgādum Chriſti Euangeliū, munus hoc libenter & ſummiſsis animis ſuſceperunt, vt qui iam antea ſe Dei mandato & vocationi conſecrauerant. Etſi autem non ita ſtupidi nec hebetes erant, quin facilè perſpicerent quæ ſuis capitibus imminebant pericula, & ignes quaſi iam accenſos præuiderent: ſtudium tamen illud pium quo ſeruire Dei gloriæ cupiebant pro ſua vocatione ſanctiſsima, illos ſic perpulit, vt omnem hoſtium veritatis truculentiam pluſquam barbaram contempſerint: atque etiam licet quidā vir pius illos præmonuiſſet quū viam ingreſsi ſunt, periculū eſſe ne comprehenderentur in itinere, nullo tamen metu nec terrore percelli aut abſtrahi potuerunt quin pergerent quô erant vocati. Duo item alij, Guyraudus ſcilicet Tauranus Cahorti Quercianorum natus, ac mercator: & Bertrandus Batallius natione Vaſco & ſcho-

Oo.

laſticus itineris comites ſe illis tribus adiunxerunt, acſi ægrè tuliſſent eos ad coronam martyrij accipiendã ita properare, vt interim pedem non mouerent ipſi: nam Batallius *quum ſtatuiſſet illos tantùm comitari paulò vltra põtem* Aruæ *torrentis, qui* Geneuæ *eſt vicinus, quò ſubleuaret* Laborierum, *rogatus vt etiã vlteriùs pergeret, tam prompto & alacri animo conſenſit, vt quanuis ad iter minimè eſſet paratus, ad vltimum tamen vſque ſpiritum comes fuerit indiuiduus. Quinque igitur illi* Dei *ſerui cum alijs octo comitibus iter ſuſceptum, lætis animis proſequuntur. canunt enim* Deo *laudes, & gratias agunt vera fiducia inſtructi, paratíque ad profundendas animas pro tuenda eius gloria, cui operam ſuam impendebãt, ſicuti poſtea ſatis comprobarunt. Quum ita proficiſcerentur, vbi tandem ſimul omnes perueniſſent ad eum locum, cui vulgare nomen eſt* Collum Tamiſii *montis apud* Foſſinianos Sabaudiæ *populos: occurrit illis præfectus quidam rerũ capitalium qui paulò antè venerat* Geneuã, *vbi aſtutè ſimulãs ſe religioni fauere: quia nonnihil de ea profectione ſubolfecerat, eos illic expectabat, vt incautos velut ex inſidijs deprehenderet. Vt autem oſtenderet ſe palàm mancipatum eſſe furioſæ iſtorũ libidini, qui odio pluſquam belluino contra* Euangelium *rapiuntur, eos in vincula coniecit. Atque vbi multa percontatus eſſet, & quas ſecum ferebant literas & libros extorſiſſet, colligatos omnes rectà* Cameriacũ *duxit: ídque fecit vt illis gratus eſſet, qui velut leones famelici huic prædæ inhiabant. Vtcunque tamen ſæuierint truculentæ belluæ, ſingularis ouium* Chriſti *manſuetudo ac tolerantia, tantam rabiem aliquatenus mitigauit, effecítque vt non ita crudeliter tractati ſint, atque ſolẽt alij qui eandem cauſam tuentur. Sed lõgè ſatius fuerit ex ipſorum literis intelligere quid contra eos actũ ſit, qua prudentia reſpõderint ſuperbis* Iudicũ *interrogationibus, & quàm modeſtè ſe geſſerint in tota actione. quanta porrò conſtantia pertulerint mortem hominum opinione turpem & ignominiæ plenam, cui tandem adiudicati ſunt, relatum fuit ab his hominibus, quorum ea eſt fides vt abrogari nullo modo poſsit, queẽadmodum poſtea ſuo loco dicetur. Ac primò quidem ea propoſuimus ſcripta, quibus acta iudiciaria & cauſæ progreſſus continentur, ſicuti etiam ipſi conſcripſerunt.*

Gratia

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit vobiſcum perpetuò.

EA fuit Dei optimi maximi bonitas & amor erga nos, tantúmque honoris indulgentiſsimus Pater nobis detulit, fratres vnicè dilecti, vt catenis vincti ſigillatim ex carcere deducti ſimus in auditorium, quod vocant, vbi iam ſedebant: qui locum Prætoris tenebat, Præfectus rerũ capitalium, Cauſidicus regius, Officialis huius vrbis, & ditionis Tarenteſiæ fidei inquiſitor, Furbitus epiſcopum referens, aliquot etiam monachi & alij nonnulli coràm aderant. Illic rurſus quæſitũ eſt vellemúſne noſtras quas odioſè nominãt hæreſes pertinaciter tueri. nos verò Spiritus ſancti præſidio freti expoſuimus quũ iniectæ ſunt in nos manus, nihil aliud quàm viã placidè ingreſſos trãſiiſſe: cæterùm quod ad fidẽ noſtrã ſpectat, eandem eſſe quam Geneuenſis, Bernenſis, aliæque omnes eccleſiæ Euangelij lucem & verã prædicationem amplexæ, profitentur: ſicuti etiam edita iam à nobis fuerat aliqua confeſſio. nos autem iure non poſſe ab ipſis cogi ad eam deſerendã, vt quæ in Papatu obtinet vllo modo amplectamur, quũ præſertim nemo ob fidem ſuã vexari debeat, modò ne ſtatũ publicùm perturbet aut conuellat: atque ſi conſtaret eorum fidem eſſe veram, ad illam cogi non debere, quemadmodum Hilarius & Athanaſius contra Arrianos perſpicuè tradunt. Deinde quanuis, Dei gratia, de noſtra fide certi eſſemus, ſi tamen ex Scriptura doceamur nos errore labi, vel aliquod dogma falſum tueri, paratos eſſe ad præſtãdũ Deo noſtro obſequium, vt qui ſtudium hoc ſanctum, quo ad eius cultum ferimur, animis noſtris iam à longo tempore indiderit, etiam quum in tenebris adhuc cæcutientes illum temerè ac pro arbitrio noſtro coleremus: atque ita nos ab eo impulſos fuiſſe ad inueſtigandum paulò diligentius ab vtra parte ſtaret eius veritas, præſertim hoc tempore quo turbulenta de religione diſsidia & contentiones vbique feruent: & tandem iudicio eccleſiæ Geneuenſis nos aſſenſiſſe, vt quæ veram pietatẽ tueatur: non aliud poſtulare, niſi vt ſacra Biblia in mediũ proferantur, ex quibus tota controuerſia dirimatur. & quoniam liber inſtitutionis Chriſtianæ qui nobis abreptus fuerat, illic erat in promptu, nos quidquid obijcerẽt, ſolutiones certiſsimas in eo mõſtraturos: & quãuis librum illum reprobatũ eſſe conclamarent, & in concilio Tridẽtino

cautum fuiſſe ne vllo modo legatur, Doctoribus tamen id licere, præſertim verò quum agitur de reuocãdis in viam miſeris hæreticis, quo elogio nos inſigniebant. Quòd autem damnatum eſſe pronuntiant, ac ſingulis quibuſque hæreticis opus fore nouo Concilio: excepimus, ſi hæc ratio ad nos flectẽdos plus momenti haberet quàm omnes contrariæ rationes in eo libro expoſitæ ad nos in fide noſtra confirmandos & retinendos, fieri non poſſe quin laruati & hypocritæ cenſeamur, & quidem digni quos Deus & omnes creaturæ odio proſequantur: etiãſi lingua fateretur verum eſſe quod affirmant, conſcientiam nihilominus conuictam, adeóq; rationibus illis coactã reluctari, nec ſinere vt tã impudenter mẽtiamur. Adhæc minimè nũc agi de conuocando vniuerſali Concilio noſtra cauſa: ſed ſatis ac ſuper fore, modò Furbit⁹ Epiſcopi vices gerẽs, qui pro ſua liberalitate vltrò pollicebatur ſe effecturũ, vt ſimplici puróq; Dei verbo in rectã viam nos reduceret, in hanc rem incũberet ipſe, vel alij quos deſignare placuiſſet.

Quod attinet ad negotium noſtrũ, quod idem eſt ipſius Domini, ſiue cauſam, quã nos miſeri homunciones ac terræ vermiculi tuemur, ſciatis velim nos VI. Idus Iulij deductos fuiſſe ad eũ qui Proprætoris locũ tenebat, iudicẽ à ſuprema Curia delectum, & ſtipatum duobus vicarijs, vno quidẽ epiſcopi Tarenteſiaci, altero autem epiſcopi Gratianopolitani: præterea Inquiſitore fidei, itémque alijs monachis tũ Dominicanis tum Franciſcanis, epiſcopo Furbito, & alijs patronis qui noſtræ cauſæ iudices conſtituti fuerant vnà cum Procuratore regio. Quum perlecta eſſet à Præfecto fidei noſtræ confeſſio apud ipſũ prius edita, rogarunt an verũ contineret, ac vellemúſne in ea perſeuerare. quibus omnino ita eſſe Spiritus ſancti virtute & gratia freti reſpondimus, atq; adeò velle nos quicquid illa cõplectitur propugnare ad vltimũ vitæ ſpiritũ, & profuſam vltimã ſanguinis noſtri guttã, vt quæ nitatur puro Dei verbo, quod extat tũ in veteri, tũ nouo Teſtamẽto. Verum quidem eſt, nos quia Bernates obtulerant curiæ Parlamenti libellũ ſupplicem, ac nuntium miſerant vnà cum ſcholaſtico quodam Lauſannẽſi, quò ſtatim liberaremur, poſtulauiſſe vt hoc ſequuti ius nobis dicerent, nec pro legitimis iudicibus noſtris agnoſcere iſtos vicarios & fidei inquiſitorem, quos palàm conſtat eſſe profeſſos Euangelij

gelij & puriorum eccleſiarum hoſtes: denique coram ipſis nos minimè reſponſuros. quod certè profitebamur, non vt ſubterfugijs elaberemur, aut vllo modo declinaremus certamen, ſed ne tanquam veros iudices admittere videremur. nam ſi Curia nobis alios deſignet ac ſtatuat, nos eſſe paratos ad edendam fidei noſtræ & religionis Chriſtianæ confeßionem longè ampliorem, eámque ex Scripturis comprobaturos pro gratia quam Deus nobis largitus fuerit. Tunc Proprætor ille bis ac ter ſilentium imperauit, & nobis crociter minatus eſt. Sed in prouocatione noſtra perſtitimus: atque ita in carcerem reducti ſumus, excepto fratre noſtro, & commilitone ac ſocio in opere Domini Ioanne Vernutio, qui contra monachos diſputauit horas plus minus quinque tum manè, tum poſt meridiem. Ex eo autem quum idem Proprætor ſenatui noſtra reſponſa & prouocationem ſignificaſſet, proximo die Dominico, qui erat XIIII. eiuſdem menſis, in quoddam curiæ cœnaculūm cōuenerūt Senatores cum illis quorum iam mentio facta fuit, & cauſidicorum turba ad numerum circiter triginta. Eò quum ſinguli vnus poſt alium veniſſemus, nobis pronuntiatum eſt ſenatuſconſultum, quo iubebatur vt delecti illi de cauſa noſtra omnino cognoſcerent intra triduum, alioqui deiectū iri ſuo munere ad annum integrum: ac eodem ipſo decreto præcipitur vt quicquid quæratur à nobis, apertè reſpondeamus, ídque poſteaquam manibus ſublatis de more, & interpoſito iureiurando nos vera dicturos recepimus: ea tamen lege iurauimus, vt prouocationi noſtræ nihil hoc derogaret, vel cauſæ noceret. Interim verò quod ad ſupplicem illum libellum ſpectat, poſtulauimus vt aliquid ex iure decerneretur. Quum ergo recitata mihi eſſent quæ profeſſus fueram, & breuiter prius reſponderem de Miſſa, & præceptis ſanctæ matris eccleſiæ (ſicuti vocabant) & de ſacramentis quæ ipſa probat & tuetur, perſpicuè illis reſpondi vt antea: nempe Miſſam in locum ſacroſanctæ cœnæ Domini inuectã fuiſſe, cui non magis conuenit cum illa, quàm luci cum tenebris: & tantum abeſſe vt eadem illa ſit corporis Chriſti ſacramentum, vt potius mera ſit & turpis eiuſdē abnegatio: atq; adeò Miſſam eſſe execrandum nefandūq; ſacrilegiū quo ſanguis Chriſti pedibus calcatur, neque in eccleſia Romana vllā eſſe cœnā Domini. Cæterùm rogatus an crederē

corpus & ſanguinem Chriſti eſſe in pane & vino Cœnæ. minimè verò, inquã: ſed quum celebratur ſacra Cœna & adminiſtratur in eccleſiis ex Euangelio repurgatis, vbi Dei verbum purè annuntiatur, & Cœna diſtribuitur ex vera & ſimplici inſtitutione Chriſti, quemadmodum diſertè ſcribitur Matthæi 26. Lucæ 22. Marci 14, & Actorum 2. & prioris ad Corinth. 11. Dum fideles hoc modo illi communicant, & panem ac vinum accipiunt fide præditi, & vera pœnitentia tacti: iuncta ſimul charitate, vt tamen panis ſubſtantia & qualitate maneat panis, vinum etiam vinum: tunc eos ſigna accipere, veritatémque ipſam & rem ſignificatam, corpus ſcilicet & ſanguinem Chriſti, ídque ſpiritualiter ore fidei: qui verus eſt animarũ noſtrarum cibus ac potus, & perfectum integrúmque illarum alimentum. Quod autẽ attinet ad hæc verba, Hoc eſt corpus meũ, dixi tropum eſſe Scripturæ ſatis vſitatum, quem Synecdochen vel Metonymiam vocant, vbi nomen rei ſignificatæ ſigno tribuitur: ſicuti quum petra dicitur Chriſtus, & columba Spiritus ſanctus. atqui certum eſſe petram non fuiſſe Chriſtum, neque columbam Spiritum ſanctum: ac mihi perſuaſum eſſe, quam fingunt ipſi tranſſubſtãtiationem panis & vini in carnem & ſanguinem, vt ſubſtantiæ & qualitates panis & vini commutentur, commentum eſſe adeò craſſum & ridiculum, vt quiuis mediocri ſenſu præditus meritò ridere poſſit. Sed quia mundus veritatem Dei & Ieſu Chriſti poſtpoſuit Sathanæ mendaciis & antichriſti fraudibus & impoſturis, permiſit vt ſpiritus malignus in illis operatus ſit cum efficacia erroris, & eò amentiæ traxerit, vt quum Cœnam Domini accipere deberent, panis buccellam proſtrati adorauerint, & pro Deo ſuo agnouerint. Deinde Spiritu Dei propulſus expoſui breuiter, ex quo in Eccleſiã Domini collectus ſum, me nouos quoſdã motus interiores ſenſiſſe, tum ex verbi prædicatione, tum ex adminiſtratione Sacramentorum. quæ quidem accepi velut ab ore Dei, qui miniſtrorum ſuorum lingua vtitur tanquam inſtrumento: atque ſi res iſtæ, vt mihi, compertæ ipſis eſſent, longè aliter iudicaturos. Tunc ex monachis vnus aliquis rogauit, quî ſcirem vetus ac nouum Teſtamentum Dei verbum eſſe: neque hoc credi debere, niſi quatenus Eccleſia admittit ac probat. Quod ad me ſpectat, non credo, inquam,

verbum

Confeſsio de sacra cena optima.

verbum Dei ſacris Scripturis comprehenſum ob eam cauſam eſſe Dei *verbum: ſed quia ſtylus Scripturarum ſermo* Dei *eſt, quem Spiritus ſanctus* Prophetis, *Apoſtolis & Euangeliſtis dictauit*. Nam Petrus *quum palàm eſſet profeſſus* Chriſtum *eſſe* Filium Dei *viuentis, eúmque habere verba vitæ æternæ:* Ieſus *ſtatim reſpondit beatum illum eſſe, neque iſta carnem & ſanguinem illi reuelaſſe, ſed* Patrem *cæleſtem: eum ex* Deo *natũ, qui credit* Ieſum *eſſe* Chriſtum*, & eius verba recipit: quiſquis* Filium *audit, ipſum quoque* Patrem *audire, & qui videt* Filium, Patrem *etiam videre: edoctos eſſe à* Deo*, &* Spiritum *ſanctum in ſe habere, qui teſtatur eorum ſpiritui ipſos à* Deo *eſſe, & omnes à* Deo *edoctos*. Ex *capite* 54. *Iſaiæ, &* Ieremiæ 31. Ioannis 6, *& à* 14, *vſque ad* 18, Ioannis *ſatis conſtat eſſe verbum* Dei. Prophe*tæ qui aduentum* Filij Dei *prædixerũt, nihil præter* Dei *verbum memoriæ mandarunt*. Paulus 8. *capite ad* Rom. *docet* Spiritum Dei *habitantem in nobis teſtificari noſtro,* Chriſti *nos eſſe, ac per ipſum fieri vt clamemus,* Abba, Pater. *Atque tum veluti canes mihi adlatrare cœperunt, quòd dixiſſem me* Spiritum Dei *habitantem in me habere, qui mihi confirmabat ſuo teſtimonio eſſe* Dei *verbum, & cordi meo inſculpebat ac ſaciebat promiſſiones ſalutis, gratiæ, fauoris & amoris* Dei *erga me ſingularis: denique certò me perſuaſum eſſe de mea in* Chri*ſto adoptione, & de mea per ipſum ſalute*. Tunc Inquiſitor Latinè ob*iecit quod* Paulus *de ſe fatetur, nempe,* Nihil *mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum iuſtificatus. quem locum perperam detorſit, ſicuti quidam etiam cauſidici* Nicodemitæ *qui aderant, coacti ſunt eum monere, atque ita ludibrio ſe ipſe expoſuit*. Ex *altera autem parte* Fran*ciſcanus quidã ſuo latratu aures obtũdebat, & mihi obiectabat præſumptionem eſſe diabolicam, ita certò perſuaſum eſſe de* Spiritu *ſancto ac* Dei *gratia, neque aliud licere quàm ex coniectura aliquid ſuſpicari*. Huic *belluæ reſpondi, fidem noſtram nimium frigidam fore, ſi coniecturis humanis innitatur: ſed neceſſe omnino eſſe vt fulciatur* Dei *promiſſionibus eius verbo comprehenſis: & quiſquis hac certitudine & fiducia præditus non eſt, neque ſentit certum teſtimonium animo ſuo reddi à* Spiritu*, eum neſcire quidnam ſit fides &* Chriſtiana re*ligio, & quicquid de ea loquatur vel garriat, id totum ab ignaro pro-*

dire. Quod attinet ad Papæ poteſtatem eiúſque traditiones, ad Conciliorum authoritatem: quòd etiam maior numerus traditiones eccleſiæ Romanæ tuetur, nõ autem religionis Chriſtianæ doctrinã amplectitur: quòd grex Domini perexiguus eſt, & porta anguſta quæ ducit ad vitam æternam, paucíque per eam ingrediuntur, ſed ampla quæ trahit in exitium: ſubieci exemplum paucorum, qui cum Noah ſeruati ſunt: itémque filiorũ Iſrael qui numero perpauci erant, ſi compar etur reliquo mũdo, qui idololatræ, ſine Deo, & vera religione vacui erant. Hìc acrius exceperunt: Annon vides quot homines contrà inſurgant? Video, inquam, Simeonis vaticinium impleri, Lucæ 2. Chriſtum ſcilicet ſignũ eſſe cui contradicetur: & Act. vltimo, vbi Paulo reſponderunt Iudæi, ſibi eſſe notum, vbique contradici veræ religioni Chriſtianæ. Quidam verò ex cauſidicorum turba quum ſurrexiſſet, clamauit, Neſcis quidnam permultis alijs tui ſimilibus factum ſit? & eos vltimo ſupplicio affectos tanquam hæreticos ignoras? Prima, inquam, eſt hæc lectio, quam à Chriſto ſummo doctore ac magiſtro meo didici, nempe, quiſquis vult eſſe eius diſcipulus, illi ſuam crucem eſſe ferendam vt ipſum ſequatur: eam autem deſcribit poſtea ac depingit, iubens vt abneget ſemetipſum, & vitam ſuam ſpontè pro ipſo exponat, quam ſeruabit ipſe: qui verò ſeruauerit, eam perdet. Legite caput decimum Matthæi, quo prædicitur qui nos perſequuti fuerint, putaturos ſe Deo obſequium præſtare ac ſacrificium offerre, ſicuti etiam Chriſtus, Ioannis 6, confirmat. Atque vera eſt hæc piorum omnium conditio, vt non modò credant in eum, ſed pro ipſo quoque patiantur, Philippenſium primo circa finem. Adductum fuit etiam quòd Scriptura tum veteris tum noui Teſtamenti nobis teſtatur de perſequutionibus in veros Dei ſeruos ad mortem vſque paratis, vt exemplum illud trium iuuenum qui in fornacem ardentem coniecti ſunt, quia religionem ſuam abnegare noluerant, & erectum idolum proſtrati adorare. itémque Danielis factum memorabile: mors etiam Iacobi, & Stephani, Actorum ſeptimo capite circa finem, & initio duodecimi.

Quod autem attinet ad Conciliorum quam ipſi vſqueadeò iactant

authoritatem

authoritatem reſpondimus, nobis probari quod decretum fuerat ac ſtatutum de capitibus religionis Chriſtianæ, modò ex Dei verbo, quod intelligatur pro fidei analogia, ſicuti Roman. XII, *docet Paulus. Illos verò tantùm ea tueri, quæ ad ſtabiliendam Papæ tyrannidem faciunt, qui verus eſt Antichriſtus, poſterioris ad Theſſalonicenſes ſecũdo capite coloribus ſuis depictus à Spiritu Dei, qui nobis illum per os Pauli deſcripſit, vt eum deuitemus, ne cum ipſo trahamur in exitiũ. Quòd ſi in hoc mundo ex veſtris decretis & concilijs tanquam hæretici à vobis damnamur, ſcitote in altero vobis fore negotium cum Iudice, qui nos fideles & catholicos agnoſcens ſua ſententia abſoluet: vos autem ex æternis ſuis ſtatutis iudicabit, & morti perpetuæ addicet, niſi reſipiſcatis, ac vijs veſtris peruerſis omnino valere iuſſis in quibus Papa vos detinet faſcinatos ſuis mendacijs, puram Filij Dei veritatem ſequamini. Tandem ira perciti, me tanquam obſtinatum remiſerunt.*

Heri qui XVII. *dies erat, monachi nos ſupremo ſuo decreto pronuntiarunt hæreticos, & ab eccleſia Romana velut membra putrida excluſerunt. Nos verò lætis animis profeſſi ſumus certum nobis hoc eſſe teſtimonium, quo ſatis conſtabat nos eſſe ex Eccleſia Chriſtiana, qui Chriſtum caput noſtrum agnoſcimus, quũ præſertim Antichriſtus nos à ſua reijceret: nóſq; viã qua itur in paradiſum feliciter ingreſſos, quum Sathanæ membra ex ſuorum numero excluſos teſtarentur. Laudetur perpetuò Dominus ob ſingularem ſuam erga nos gratiam, quæ nos eripuit ab horrenda impietate iſtorum ſceleratorum, qui diabolos carne indutos planè referunt. Nos in dies expectamus quænam feratur contra nos ſententia, & quem exitum nobis daturus ſit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſiue viuamus, ſiue morti tradamur nobis eſt lucrum: ac felices erimus ſi Domino moriamur, ſicuti Ioannes in Apocalypſi docet. Literas noſtras legite, quas ſcripſimus ad dominos & fratres noſtros verbi Miniſtros, & reliquos etiam fratres, qui nobis ſcripſerunt. Egimus quoque gratias magnificis, nobíſque multum obſeruandis dominis noſtris Syndicis ac Senatui Geneuenſi, pro tot beneficijs in nos collatis, atque ſupplices rogauimus eos, vt infinita Dei*

dona

dona ſemper agnoſcant, & meminerint ſibi victoriam ab ipſo dari cõtra improbos, atque inter vltima noſtra ſuſpiria nobis ſummæ voluptati & lætitiæ fuit, dum tam ſanctas leges ab illis latas fuiſſe, & eas typis excuſas, promulgatas voce præconis & publicè affixas intelleximus. Det vobis Dominus ac reliquis fratribus & ſororibus, vt ad regulam legis Diuinæ mores ac vitã veſtrã formetis, & ſtatutis illis ſponte & ex animo pareatis. XV. Calend. Auguſt. M. D. LV. Vobis poſtremam ſalutem dico, & omniũ beneuolẽtiæ ac pijs precibus me cõmendo: vltimum vale, inquam, & ſummũ vobis dico ex hac vita diſcedens, vt in cæleſtem illam gloriam admittar, & accipiam coronam quæ nobis repoſita eſt ac parata per Ieſum Chriſtum Regem & Dominum noſtrum.

Epiſtola à Ioanne Vernutio ſcripta omnium nomine, qua confirmantur Acta quæ iam breuiter expoſita ſunt.

A die Veneris duodecimo ſcilicet huius menſis, Fratres chariſſimi & obſeruãdi domini, ad eũ deducti ſumus qui prætoris locũ tenet: aderant vicarij Epiſcopi Tarenteſiaci & Gratianopolitani, Inquiſitor fidei itẽ aliquot monachi & cauſidici circiter triginta. hoc porrò factum fuit proximo die Dominico. Iuſſit Proprætor ille quatuor coram ſe ſiſti, nempe Laborierium, Trigaletium, Batallium & Tauranum. nam Vernutius frater, non ita mordicus inſtiterat prouocationi noſtræ, quam literis Bernatium ſuffultã tuebamur: ſed potius cũ illis diſſerens de religione, multo plura dixerat quàm vellent. Deinde recitatum nobis fuit Senatuſconſultũ, quo iubebatur Proprætor intra triduum de cauſa noſtra cognoſcere, alioqui ſuo munere abdicatum iri ad annum integrum: nec prouocationem noſtram vllo modo obſtare. Tandem lecta fuit confeſſio fidei à nobis iam edita: atque rogati, an propoſitum nobis eſſet in ea perſeuerare, ſtatim reſpõdimus nos ad id paratos eſſe, vel ad vltimam ſanguinis noſtri guttã profundendam, quum illa puro Dei verbo nitatur. Hîc conatus eſt fidei Inquiſitor nos à Dei veritate ſuis impoſturis abducere. ſed Dominꝰ virtute Spiritus ſui, & verbo nos ita inſtruxerat, vt conſtanter perſtiterimus, ac lætis animis redierimus gloriam illi tribuẽtes, & gratias illi egerimus quòd nobis eam opem tuliſſet. Quid porrò tunc dictum

fuerit

fuerit, & à quibus & quorſum, difficile eſſet omnia ſigillatim perſcribere, quum & otij minimum ſit, & eô ſeruitutis ſimus redacti, adeóq; in totius actionis progreſſu tanta fuerit perturbatio: quanquam fuſius rem vt geſta eſt ab initio, explicari cupimus literis communibus ad fratres omnes perſcriptis. Monachi, & eiuſdem farinæ homines varias quæſtiones excitabant, ſed quid reſponderetur ad ſingulas, minimè expectabant: licet hoc vehementius vrgeretur, & expeteretur acrius in ſpeciem. Inter alia quæſitum fuit de ſacramento (quod vocant) matrimonij, & extremæ Vnctionis, atque etiam de Miſſa, & Papa. quiſque pro menſura fidei ſuæ reſpondit ad quæſita, & vt audientia ipſis facta fuit: nonnulli priuatim ex Scriptura, alij in genere rogarũt quæſtionarios iſtos & ſpinoſos vt de rebus quærerent præſtantioribus quàm de Miſſa & eiuſmodi nugis, & eas valere iuberent: quòd ſi cuperent de his diſputare, Geneuam concederent, aliáſq; repurgatas eccleſias: vbi reperirẽt quibúſcum diſceptare liceat ſine vllo periculo, quamuis diſcedant victi. Qua in re ſatis oſtẽdunt egregiã illã ſuã charitatẽ, quæ quidẽ vera eſt Chriſtianorũ nota: quũ pedẽ mouere nõ dignentur, vt eos in viam reducant, à quibus placidè audirentur, & qui faſciculis & ignibus minimè cum illis diſputarent, vt ſolẽt ipſi pro ſuo more. Monachi iſti quiritabantur nos minus ſeuerè tractari, ac proinde reddi audaciores: atque addebant, Geneuæ omnes eſſe latrones. ſed exceptum fuit, eos ipſos eſſe, qui ex alieno ſaginantur: & vnumquenque Geneuæ labori intentum eſſe, vt ex ſudore vultus ſui viuat. Quod ad Papam attinet, ita reſponſum fuit, ſi ex Scriptura probetur eſſe caput veræ Eccleſiæ, nos ex animo amplexaturos omnia eius decreta, & quos ipſe fabricauit fidei articulos. ſed nunquam hoc caput obtineri potuit. His rebus ita geſtis, eo ipſo die ſepoſiti fuimus alij ab alijs vſque ad horam quintam ſerotinã. Die Lunæ ſequenti iuſſerunt etiam à nobis ſummoueri Batallium & Tauranum, vt hac ratione illos terrerent, & à ſententia dimouerent. Verùm quæ Dei optimi noſtri eſt gratia, tam conſtantes perſtiterunt, vt iudicum mandato ad nos reducti fuerint. Itaque nunc omnes ſimul agimus, nos mutuò ſolantes, læti, ac precibus & Pſalmis confirmantes, quos Domino canimus: atq; damus operam, vt freti eius promiſſis expectemus quem ipſi dare exitũ

libuerit, ſiue viuamus, ſiue moriamur.

Antonius Laborierius Miniſtris eccleſiæ Geneuenſis, & omnibus ſuis fratribus atque amicis, qui Geneuæ agunt. S. D.

Obſeruandi domini, ac patres mihi vnicè dilecti, & fratres in Chriſto chariſſimi, ſatis ſupérque iã reuera ſum expertus, Dei *beneficio, quanti nos faciatis, ex ea diligẽtia quã adhibuiſtis, vt nobis vinctis opem ferretis ſine vlla exceptione, quum nihil prorſus à vobis ad hoc ſit prætermiſſum.* In *quo quidem certè ſatis etiam teſtati eſtis veſtram erga nos charitatem ſingularem minimè fictam eſſe, nec ſimilem multorum beneuolentiæ, qui præferentes bona & commoda huius mundi, auxilio quod filiis* Dei *ferre poſſent, taciti malunt oculis ſuis videre innoxium ſanguinem profundi, vt quos pudet opprobrij* Chriſti: *& tamen plenis buccis iactant ſe inſignes eſſe* Chriſtianos, *& eximiæ ſupra alios charitatis.* Verùm, Deo *meo gratias ago, qui mihi patefecit eo toto tempore quo verſatus ſum apud vos, ac deinde magis etiam ex quo vinculis conſtringor, ídque in ſummam meam ædificationem, vos eſſe veros miniſtros, fideles ſeruos ac* Dei *filios, fide & charitate præſtanti. quod quidem omnibus ex teſtimonio vocationis veſtræ, &* Dei *noſtri gloria notum eſt.* Qui *in nobis opus ſuum ſuum cœpit, ille det vt in finem vſq; perſeueremus.* Duo *illi fratres noſtri, qui proximis diebus à vobis miſſi huc venerunt, literis ſignificarũt à vobis deſiderari quam ſinguli fidei confeſſionem edidimus.* Lubenter *quidem voluntati veſtræ ſatisfeciſſemus: ſed ex quo frater noſter* I. G. *nuper hinc diſceſſit, neque charta, neque libri, neque alia quibus nos ſolaremur ad manum fuerunt.* Itaque, *nullo modo id præſtare licuit.* Atque *nunc charta nobis conceditur ea quam videtis menſura, vel potius parſimonia.* Vos *igitur rogo vt me excuſatum habeatis, atque etiam colligere velitis confeſſionem meam, aut ſaltẽ eius præcipua capita ex ſuperioribus meis literis, & ſimul ea omnia complecti quæ geſta ſunt vſque ad eam* Iudicum *ſententiam qua miſerorum remigum violentæ & horrendæ ſeruituti ſumus mancipati.* Interim *ſatis ſit, nunc vobis à me exponi quidquid actum eſt in* Senatu, *ex quo ita fuit contra nos pronuntiatum.* Die *igitur* Mercurij, *qui ſcilicet* XXI *eſt* Auguſti, *in carcerem ad nos venit ſub horam quar-*

Quinque hi martyres ad triremes dãnati.

quartam pomeridianam Iudex ille, cuius partes erant nobis ſententiã proferre, qua ex Senatuſconſulto remigijs illis coactis nos addixit. Cui reſpondimus, gratias Deo noſtro immortales nos agere, quod dignos redderet homũciones, qui pſancto ipſi⁹ nomine pateremur. quia verò Procurator regius huic ſententiæ interceſſit, Vernutius frater ſtatim à Senatu accerſitur, qui diu apud iudices conſtitit. Et quoniam temporis anguſtiæ premebant, in diem ſequentem remittitur: atque eo veſpere ſepoſitus à nobis fuit, ídque non ſine magno animi noſtri anxietate & moleſtia. itaque eius nomine noſtróque ad preces confugimus. Poſtridie rurſum ad iudices reducitur, vbi totum tẽpus matutinum abſumitur: & quæ ſingularis eſt Dei gratia, tam ſtrenuè in eorum conſpectu ſe geſſit, atque ita illis reſtitit, vt nihil ex eius conſtantia imminuerint, neque de gradu exturbauerint. Interea autem neſciebamus ecquid valeret, nec quid contra eũ ageretur. A meridie Senatus minimè coactus eſt.

Die Veneris autem manè ſub horam ſeptimam ipſe accerſor, & in cubiculum quod vocant Iudiciorum deducor, illic ſedebant duo Præſides, nouem conſiliarij, aduocatus regius, & actuarius. Simulatque ſum ingreſſus, alter ex præcipuis actuario iuſſit vt tabulã mihi offerret in qua depicta erat cruci affixi imago, ac mihi præcepit, vt genibus flexis procumberem. Hîc ego, Abſit, inquam, vt me coram idolo & creatura proſternam. Næ tu nimium mordax es, aiũt, an putas ſenatui ac nobis etiam eſſe in animo vt imaginem adores? nihil minus, inquiunt, ſed iubet Senatus vt Deum adores, & magiſtratui honorẽ deferas: quod vt facias in genua prouoluaris, vt coram Deo tuo promittas iureiurando interpoſito te vera dicturum, & ſumma cum reuerentia nobis reſponſurum. Iſtud ipſum, inquam, viri obſeruãdi, vehementer expecto, vt Deum adorem, & honorem magiſtratui deferam, adeóque illi obſequar. Itaque veſtro mandato me obſequuturum recipio, modò hinc facceſſat & tollatur idolum, alioqui nunquam præſtabo, quum id prorſus in Dei probrum & dedecus cedat. Tunc ergo actuario iuſſit, vt imaginem auferret.

Atque, quum ea ratione ac via non ſuccederet, mihi iterum

præcepit

præcepit vt in genua prociderem, præfatus minimè Senatum intelligere, vt alium præter vnicũ Deum adorarem, in cuius conſpectu vellent me vera reſpondere, ac ſolùm ipſis parere, vt quæ Magiſtratui debetur, obedientiam publicè profiterer. Ego igitur præfatus, & palàm teſtatus me nihil aliud velle ac mori potius malle, in genua procidi. Statim iuſsit vt afferretur idolum, ad quod iurarem: id quum viderem me in pedes erigere conatus ſum & profeſſus me nunquam facturum quod volebant. Itaque præcepit iterum, vt è medio tolleretur: & Biblia mihi afferrentur, ad quæ iuraui me vera dicturum. hinc autẽ accidit, vt prius quæſtio de idololatria quàm de meo nomine ſatis diu agitata fuerit. Poſtea rogauit quî vocarer, vnde ortus eſſem, & quæ vocationis meæ ſpecies. quibus ego planè reſpondi vt res habet. Deinde, quî captus fuiſſẽ, quid contra me actum ab alijs iudicibus, & quænam eſſet ſententia in nos lata, monens ab ea Procuratorem regium prouocaſſe. Ego igitur totum actionis progreſſum expoſui, & quod attinet ad ſententiam, à me impediri nõ poſſe Procuratoris regij prouocationem: ſed quod ad me attinet, paratum eſſe placidè ad ſubeundum quidquid Deo placuerit, ſiue ſolutis vinculis abeam, ſiue morti addicar, ſiue remigum miſerrimæ ſeruituti mãciper: quum eius nomine alterutrum mihi ſit ferendum. Hîc me rogauit, cur relicta patria, Geneuã me recepiſſem. Ego verò cauſam ſine fuco adduxi. Tunc iuſſit vt ſurgerem: atque quum in eius conſpectu ſtarem, vſus eſt oratione admodum eleganti, venuſta, & varijs lenocinijs ad me permouendum referta, denique ſic elaborata, vt nunquam magis appoſitam nec ita concinnam audiuerim: qua docere conatus eſt potuiſſe me nõ minus piè ſanctéque domi meæ viuere & illic Deum colere, quàm Geneuæ: & grauem etiam ipſi Deo iniuriã facere, quòd non ſine ſcandalo à meis diſceſsiſſem. Neque verò à Scripturæ teſtimonijs abſtinuit, vt hoc ſuaderet. Denique ſub finem orationis ſuæ argumenta ſumpſit, quibus probaret, operibus nos iuſtificari: nobis liberum eſſe Arbitrium: Papam, vtcunque ſcelerata ſit vita (vt libenter verbis ſuis faſſus eſt) habendum eſſe pro Epiſcopo: & iniquè ac perperam facere quiſquis illum Antichriſtum appellat: Miſſam eſſe Cœnam, & ſacrificium gratiarum actionis: Ceremonias quæ

in

in Baptiſmo obſeruantur, licet ſint ſuperuacaneæ, tamen eſſe tolerabiles, quum Paulus Timotheum circunciderit, & caput ſuum abraſerit: atque multa eiuſmodi propoſuit, quibus me rogabant omnes, vt ad ſuam eccleſiam redire non grauarer. Hîc quanuis in carne mea pungerer acrius, mihi tamen ſuppeditauit Dominus quod illis reſpõderem. Ac primùm quibus de cauſis mihi non liceb̃at ſana conſcientia diutius in Papatu morari, quũ illic & Euangelij prædicatione & vſu Sacramentorum priuarer. Deinde argumentis reſpõdi, quæ ad probandum liberum Arbitrium & operum merita adduxerat: & rationes prorſus contrarias adiunxi. ſed ille ſermonem meum ſtatim abrupit, vt coactus fuerim conqueri & petere annon Senatui placeret audientiam mihi fieri. Tunc igitur moderatior habitus fuit ſermo, atque ita de ſingulis illis capitibus ad horam vſque decimam diſſeruimus. Ego quidem minutius ex parte poſſem referre quidquid ordine tractatum fuit: ſed veritus ne mihi deſit charta, & quia etiam vobiſcũ reputare melius poteſtis, tantùm aſcribam noſtrarum diſputationúm clauſulam, quæ fuit eiuſmodi (ficto nécne animo, an ſerio id fecerit neſcio) vt conſenſerit nõ eſſe liberum arbitrium: nos fide iuſtificari, & nõ operibus: Miſſam mille nugis, adeóque impijs ſuperſtitionibus refertã eſſe: neque eam poſſe cenſeri ſacrificium pro expiãdis peccatis, ſed tãtum actionis gratiarum: corpus Chriſti minimè tanquam in loco includi in pane, neque ſanguinem in vino, & qui illic adorant, idololatras eſſe. quod ad Papam ſpectat, non eſſe epiſcoporum epiſcopum: ſed ſolùm eſſe epiſcopum Romanum, ac illum quidem & alios epiſcopos & ſacrificos ſceleſtè viuere, neque vlla in parte officio ſuo defungi: atque verã & ſanctam emendationẽ vel cenſuram eſſe expetendam. Denique nihil non propè mihi aſſentiebatur, vt in hæc verba prorumpere coact⁹ fuerim, Vtinã, vir ornatiſsime, quotquot ſunt in Gallia monachi tantum Theologiæ ac tu didiciſſent! nam ſtatim facilis eſſet inter nos conſenſus. Et ſi quid ego iudico, non eſt quod metuam ne tuis calculis damner, niſi reluctante conſcientia feceris. Nam ſi re vera ſum hæreticus (quod falſum eſt) tu quoque ſis neceſſe eſt. Hîc quotquot aderant conſiliarij ſubriſerunt, & ex ipſis vnus nomine C R. cui mandatum erat vt cauſam noſtram inſpiceret & poſtea coram Senatu ex-

poneret, mihi dixit, Hæreticus, vt ille eſt, ſis oportet: non autem vt tu, ſit ipſe. Huic homini breuiter reſpondi, me illi nolle eſſe ſimilẽ. fortè enim eſſem hæreticus ficta quadam ratione, ſed optarim, inquam, vt ille, ac vos omnes, quemadmodũ ego, hæretici eſſetis: nempe ſola hominum opinione & falſo mundi iudicio. Tum idem ille ex præcipuis alter, vultu rubore conſperſo, iterũ more ſuo me cœpit hortari vt Chriſtum abnegarem. quum verò ſe nihil conſequi viderẽt, iuſſerunt vt reducerer, quòd hora prandij illorum inſtaret ac vrgeret. Ergo in anguſtum quoddam cubiculum abducor, ſepoſitus à meis fratribus, quod mihi valdè acerbũ & graue fuit: quum vehementer optarem illos monere quibus aſtutiis & artibus illi Iudices agerent. Verùm ſtatim me ipſe conſolatus ſum, & maxime illo ſolatio, quòd Dominus tam mirabiliter mihi adfuiſſet. Itaque illi gratias egi & precatus ſum fratrum meorum nomine quos nondum accerſitos ſciebam. Et quoniã ille alter qui primas tenebat, ea mihi conceſſerat quæ iam retuli, cum illis colloqui magis optabam, vt Dei iudicium ob oculos ponerem. Eum igitur rogaui qui mihi prandium attulit, ſi redirent à prandio Iudices, vt ipſis ex me diceret, ſuppliciter me precari vt mihi liceat iterum eos alloqui: quod ſe facturum recepit. Statim ergo votis ardẽtioribus à Deo petij, vt illos rurſum alloquerer, ac mihi daret vt eos officij ſui & muneris probè monerem, deinde innocentiam noſtram probarem, & diuinum iudicium proponerem. Ita in precibus ac meditatione perſtiti ad horam ſecundam pomeridianam, qua miniſter ille renuntiat ſe Iudicibus expoſuiſſe quod poſtulaueram, atque etiam vt ad illos veniã dicturus quæ vellem. Hoc igitur nuntio lætus, ſtatim locum illum ingredior vbi ſedebant, quemadmodum matutina actione fecerant. Cùm in eorũ conſpectu ſtarem, ille quem dixi conſeſſus moderator, Quid eſt, inquit, quod nobis dictũ cupis magiſter Antoni? Tum erecto ad Deum animo, vt opem & auxilium ab eo peterem, cõmemorare cœpi quódnam eſſet illorum munus & officium: & quorſum Deus eos præfecerit excubijs agendis pro populi ſui ſalute: adeóque ſuum ipſius nomen illis communicauerit. atque ita ſum hortatus vt ſuis partibus probè difungerẽtur ex Dei præſcripto & voluntate. Deinde fratrum meorum innocentiam, & meam ſimul comprobaui, quam ignorare nõ poterant,

terāt, quū illam manè confeſſi eſſent ipſi, neq; poſſent eorū numero cēſeri, qui ex ignoratione ſententias ferunt de hæreſibus, vt vocant, pro iudicio & opinione monachorum, quia Deus *eos ſingulari cognitione ad rectè iudicandum inſtruxerit. ac proinde* Chriſti *cauſæ rationem haberēt, de qua in nobis, qui ſumus eius membra, iudicaturi erant: atque hîc* Dei *iudicium ſeriò propoſui: denique palàm feci quātam ſuorū curā* Dominus *gerat. In ſumma circiter vnā horā,* Dei *beneficio, ita ſum collocutus, vt ſermo abruptus mihi nō fuerit, & dixerim quæcunq;* Dominus *ſuppeditauit, & teſtimonia ex* Scripturis *accommodauerim ad inſtitutum, vt* Deo *tribuenda ſit gloria ob eam quam tulit mihi opem, & auxilium ſingulare.* Omnes *quandiu ita diſſerui coniectos in me oculos habuerūt, & ego viciſſim in eos: ac quoſdam ex iunioribus vidi, quibus lachrymæ ex oculis fluebant.* Vbi *verò dicendi finem feci, alter ex duobus præcipuis vera quidem eſſe profeſſus eſt quæcunque de ipſorū munere diſſeruerā: ſed mihi ſatis eſſe notum, diſertè* Deum *iuſſiſſe per* Moſen*, vt hæretici maximè puniantur: nec me poſſe vnquam negare, quanuis nonnulla verè dixiſſem, quin proximos meos grauiter offendiſſem, quum* Papam Antichriſtum *& filium perditionis appellarem, &* Miſſam *diaboli commentum, geſticulationem hiſtrionicam, adeóque omnis impietatis caput execrandum: itaque ſanguinem meum non poſſe innocentem haberi, ac multa eiuſmodi adiunxit.* Hæreticos *certè puniendos facilè conceſſi, & in exemplum propoſui impurum illum canem* Seruetum*, qui* Geneuæ *vltimo ſupplicio affectus fuit: verùm ſedulò cauerent, ne in* Chriſtianos *&* Dei *filios velut hæreticos animaduertāt: ſicuti vniuerſus* Senatus *certò ſciebat, imò conſcientiæ ſuæ teſtimonio conuictus erat nos eſſe* Dei *filios: ac proinde etiam atque etiam viderent, ne* Pilati *iudicio communicarent, vt fauorem* Principum *huius mundi & ſacrificorum* Belial *ſibi concilient ac demereantur.* Tandem *ſæpius me rogauit propoſitis in medium varijs lenocinijs, vt in ipſorum conſpectu palinodiam ſimpliciter canerem, & me ita dimiſſum iri, quum magnum fructū proferre poſſem: & eā palinodiā minimè periculoſam fore: ac tum dēmū mihi nouā* Miſſam *fabricauit, & laruatū quoq;* Papā *induxit varijs coloribus depictū: obſecrās vt hæc probarem.* Excepi *ad* Miſſæ *emendationem*

omnino requiri, vt prorſus è medio tollatur: & Pauli exemplo, ad primam Domini inſtitutionem veniendum, vt Cœna reſtituatur priſtinæ ſuæ integritati, quam libens admitto & agnoſco. Quod ad Papam attinet, ſi moribus & doctrina Petrũ, & Apoſtolos referat, me pro epiſcopo habiturum. Poſtea in anguſtum illud cubiculum remiſsus ſum. Sub horam quartam Trigaletus frater ad eos productus eſt, qui vt ipſe vobis ſcribit, Dei beneficio idem illis reſpondit. Poſtridie autem Batallius & Tauranus fratres adducti ſunt, & toto eo manè certarunt, quibus ita Dominus auxilio fuit, vt mirum in modum cohibuerint Sathanã, & fraudulẽtas eius artes diſcuſſerint. Tãdem Senatus mandato, læti in eundem locum ſimul omnes concluſi ſumus. die Lunæ proximo (qui 26. erat Auguſti) ſimul etiam omnes in Senatum deducimur, atque ſatis prolixè nos hortati ſunt qui illic ſedebãt, vt in viam rediremus. Vernutius frater, Dei gratia, copioſè reſpondit omniũ nomine, vt gloriã tribuerimus Deo noſtro, quòd victoria potiti diſceſſerimus. Cæterùm, ab eo tempore damnati ſumus nos omnes eorum calculis, & igni, vt fertur, adiudicati. Gratias Deo agimus, & horã expectamus, ac nos commendamus veſtris omnium precibus.

Dilectio Dei noſtri optimi, & Patris: gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti per communicationem Spiritus ſancti ſit vobiſcum perpetuò, Amen.

CHariſsimi atque vnicè dilecti fratres, quandò minimè videtur Deo noſtro, vt nobis liceat commodè quam ſinguli edidimus fidei noſtræ confeſsionẽ & quidquid contra nos ab aduerſarijs noſtris actum eſt vobis copioſius perſcribere, ſicuti nonnulli veſtrûm expetunt, & literis quas nobis ſcribere placuit, etiam flagitant: nos omnes æquis animis id ferre conuenit, & ſatis nobis eſſe debet, quòd tantum boni adhuc largitur, vt poſsim⁹ vobis nũtiare velut per laceras partes quænã ſit ſumma toti⁹ rei, pro ea quæ nobis datur chartæ & atramẽti menſura vel portione. nã alioqui nihil eſt quod magis optemus, quã dare operã omnẽ, quantiſper à Deo vita hæc nobis cõceditur, vt grati teſtemur quãtũ vobis debeamus pro innumeris illis ſolatijs, & exhortationibus planè Diuinis, quas ex veſtris literis accepimus poſtquã in vincula cõiecti ſumus: ex quibus quidẽ poſſumus verè teſtari nos longè pl⁹ doctrinæ, fortitudinis, & cõſtãtiæ cõſecutos, idq; veſtris precibus aſsiduis, quarũ experti ſum⁹ admirabiles fructus, & quotidie experimur:

mur: quàm toto eo tẽpore quo Dominus veritatẽ nobis patefecit: vnde magnã ex animo gratiã vobis habemus: & ſimul ſeriò obteſtamur vt tũ in precibus veſtris tũ etiã in ſcribendo pergatis, donec tandẽ ad Dominũ colligamur. Redditæ nobis fuerũt poſtremæ veſtræ literæ die Sabbathi, ſed in tẽpore nec opportunius adferri poterãt. nã eo toto die mirã cõſolationẽ ex earũ lectione percepimus. Cur autẽ frater noſter Ioannes Vernutius die Dominico ad Iudices non fuerit adductus, hæc ratio fuit, quòd iam die Mercurij ſine vlla prouocatione reſponderat. & dũ reſponderet, moniti ſumus vt prouocaremus, quia Senatus cauſam noſtram cognouerat ante literas Bernatium acceptas. itaque prouocauimus. cupiebamus enim coram toto ſenatu ſiſti, hac vt ratione facilius monachorum proteruiam compeſceremus, non quòd reſpondiſſemus illo ipſo die: ſed monachis illis reſpondebamus, & in prouocatione noſtra perſtabamus. Hac igitur de cauſa accerſiti fuimus die Dominico. Poſtridie vnus poſt alium omnes euocamur excepto fratre Vernutio, qui accerſitus non fuit: atque ſeorſum producti ſumus ad Iudices noſtros, qui in eum locum coierant vbi rerum capitalium iudicia exercentur in palatio. Illic Proprætor primus ſedebat, aderant etiam qui Regis partes ſuſtinent. item conſiliarij, & cauſidici circiter viginti. præterea Inquiſitor fidei cum Officialibus (quos vocant) huius vrbis, & Tarenteſiacæ ditionis: denique monachi quatuor aut quinque partim Franciſcani, partim Dominicani. quia verò dies erat Dominicus aderant quoque alij permulti, qui cum nihil aliud haberent quod agerent, illuc conuenerant. Cæterùm, ex Proprætoris mandato nobis recitatum fuit ſenatuſconſultum, quo diſertè illi & eius collegis præcipitur, vt intra triduum cauſæ noſtræ finem imponant: alioqui ſuo munere abdicatum iri ad annum integrum. Ex eodem etiam ſenatuſconſulto iuſſit Proprætor ille vt audiremus, atque etiam reſponderemus his monitionibus, quas Inquiſitor nobis erat propoſiturus, niſi conuicti hæreſcos, ſeditioſi factioſique homines, & obſtinati ac peruicaces haberi vellemus: atque ita ſtatim damnari omnium ſententijs. Hîc inuocato prius nomine Dei, excepimus nos iam ſatis ac ſuper reſpõdiſſe illis monitionibus atque etiam nolle nos quicquam Dominorum noſtrorum Bernatium & Geneuenſium priuilegijs derogare. Iterum vr-

*gemur eodem mandato: itaque reſpondemus (poſtquam clarè quod di-
citur* Eſa.38. *protulimus,* Domine vim patior, *reſponde pro me) nos ea
lege obſequuturos, vt nihil ex eo priuilegio, & libertate illorum do-
minorum noſtrorum imminuatur, vel derogetur: & modò etiam nihil
obſtet, quò minus tum apud* Senatum *ipſum, tum apud* Regem *querā-
tur, & iniuriam ſibi factam perſequantur: quum præſertim ad hoc vio-
lenter cogeremur. Statim ergo actuarius quod à nobis reſponſum fue-
rat tum coram* Prætore, *tum alijs etiam ex ſcripto recitauit. quum per-
legiſſet, interpoſito iureiurando ex nobis quæſitum fuit, an perſtare
in noſtris reſponſis vellemus. nos verò excepimus, quum illa puro* Dei
*verbo nitantur, neque ex illo vnico veritatis fonte, quidquam nobis ad-
huc contrà ſit oſtenſum vel probatum, nos nullo modo poſſe aliter pro-
nuntiare. vt autem apertè conſtaret, nos minimè hæreticos eſſe, nec ob-
ſtinatos, recepimus ſi ignorantia labimur, aut erramus vlla in parte, &
ex verbo* Dei *hoc doceamur nos ſententiam ſtatim mutaturos.* Neque
enim aliud nobis eſſe conſilium, vel animum, quàm credere & ſequi Ie-
*ſum Chriſtum, eúmque crucifixum, in illa quam ipſe verbo ſuo indica-
uit via.* Itaque *ſi probetur ab ea nos aberrare, eos precari, vt nos ad il-
lam dirigerent, ac veritatem nobis patefacerent quam ſequamur, nóſ-
que libenter & ex animo obſecuturos.* Hic *fidei* Inquiſitor *ſermonem
concinnum orditur, vt antea ſæpe, atque ita contexit, vt ſolius* Papæ,
nullam autem Chriſti mentionem faceret. Et *quoniā ſua exhortatione
affirmabat quædā in reſpōſis noſtris capita eſſe planè hæretica. rogaui-
mus vt ea nobis cōmonſtrarēt.* Nunc *vobis ſingula non referemus, ſed
tātū quæ ſunt præcipua.* Tū Inquiſitor *ille obijcit, duo tantū ſacramē-
ta à nobis recipi, alia verò quinque repudiari, quæ ſemper in* Eccleſia
locum obtinuerāt. Reſpondimus, *ſi ex* Dei *verbo palàm faceret alia
eſſe, nos facilè aſſenſuros & ita polliceri.* Quintum *igitur caput ad* E-
pheſios citauit: Quid? *an non, inquit, de matrimonio ſcribitur, hoc ſacra-
mentum magnum eſt? excepimus,* Itáne *verò magiſter Scripturas in-
telligis, vt hoc ad matrimonium detorqueas?* Atqui Paulus *ipſe, pro-
nuntiat, ſe de Chriſto &* Eccleſia *accipere. itaque genuinum* Apoſto-
li ſenſum prorſus euertis. Verùm *ſi de matrimonio etiam loqueretur,
modò literis græcis tinctus eſſes, ſtatim deprehenderes vocabulum
illud*

illud perperam fuiſſe redditum. Imò, inquit, ego nonnihil ex ea lingua teneo. Dic ergo nobis, ſi placet, ecquid Græcè ſcriptum ſit. Tum ille attonitus obmutuit. Addidimus igitur, Domine, ſatis videmus te pudore ſuffuſum non audere vocabulum illud enuntiare. nos ergo quale ſit dicemus: Vox Græca tantũdem valet atque ſecretum vel arcanũ, non autem Sacramentum. Tum Inquiſitor, Iam nimis diſputatũ eſt, inquit, quia hæretici eſtis: Quid de extrema vnctione ſentitis? excepimus, Sed domine, prius de matrimonio diſceptemus, & ordine progrediamur, vel ſaltem victum te fatearis. Hîc derepentè omnes & Officiales, monachi, & cauſidici conclamarunt, plus ſatis verborum iam profuſum eſſe, nec amplius diſputandum. Seuerè igitur præceperunt, vt reſponderemus. Nos autem mirati tantam eorum feſtinationem, diximus nimiũ præcipites ipſos ferri ad damnãdos quinque innoxios, & morti adiudicandos, vt qui nollent iuſtã illorũ cauſam propius expendere, nec videre qualis eſſet aduerſariorum calumnia. Hæc ergo paucis ſubiecimus, vos ſatis ſupérque intelligitis iſtos homines qui nobis aduerſantur, nihil eorũ quæ dicũt poſſe vllo modo probare: & quia vobis hoc moleſtũ eſt, bilem veſtram in nos effunditis. Verùm, ſi nos hîc audire pro veſtro officio recuſetis, iudicum omnium Iudicem ſupremum habemus Deum noſtrũ, qui nos placidè audiet, ac nobis omnibus ius reddet, & in cuius conſpectu vobis tandem vel inuitis reddenda erit ratio iniuriæ, quam nunc Chriſto vnico eius Filio inferre nõ dubitatis, dũ nos qui ſumus eius mẽbra, tã miſerè tractatis. Iuſſerũt nihilominus vt reſpõderemus de illa extrema vnctione. Eã Iacobus, inquiũt, præcepit: neque hoc eludere vel ſubterfugere poteſtis. Excepimus nos certè ꝓfiteri, quũ initiò publicatũ fuit Euãgeliũ ab Apoſtolis, quia neceſſe erat vt miraculis editis cõfirmaretur doctrina, tũc fuiſſe ſigna, vel ſacramẽta quæ miracula illa referebãt, quorũ veritas ſubſequebatur: cuiuſmodi erat manuũ impoſitio, quæ donũ Spiritꝰ ſancti ſignificabat, ac ſimul ipſa veritas ſequebatur, vt ſatis cõſtat ex Actorum hiſtoria. Sic etiam illa olei inunxio adeò erat ſalutaris, vt eam ſanitas mirabilitér conſequeretur. Vbi autem Euãgelij publicatio excepta fuit à mundo, tunc viſibile Spiritus ſancti donum, atque etiam miracula ceſſarunt: ac proinde illa ſigna, quæ citra veritatem omnino vana ſunt. Deinde

quî conuenit vnctioni illi, & veſtræ quam iactatis? an non palàm eſt quæcunque à vobis fiunt, blaſphemijs referta eſſe? quænam inde ſanitas ſequitur? nunquam illam circunfertis, niſi quum deplorata ſunt omnia. R*ogarunt iterum, annon illa vnctio peccatorum remiſsionem conferret:* Ex*cepimus, in contextu remiſsionem peccatorum vnctioni minimè tribui, ſed diſertè precibus ex fide conceptis. remiſsionem enim peccatorum noſtrorum non alibi quàm in* Chriſti *ſanguine ſitam eſſe.* Ob*iecerũt hæc omnia prorſus à* Concilijs *damnata: nos igitur eſſe hæreticos. Sed quanta in hoc toto ſermone fuerit perturbatio, & quàm confuſus ſtrepitus, dici non poteſt.* Nam *ſemper ſeptem vel octo ſimul obſtrepebant: & interim eorum ſtultitiam ac ineptias obiter perſtringebamus, vt qui aderant tantam iſtorum veſaniam ridere etiam cogerentur.* Pr*æterea quæſitum à nobis fuit, an non vellemus fidem habere* Concilijs*. reſpondimus nobis ſemper probari* Concilia *& ſtatuta quæ verbo* Dei *conſentiunt, & quæ illo nituntur: alioqui minimè à nobis admitti: quin potius ea nos execrari tãquã humanas trãditiones, & cõmenta planè diabolica, & quæ* Dei *veritati repugnãt: ſicuti* P*aulus* Gal. *præcipiebat, vt hoc facerent: etiamſi* A*ngelus nobis afferret è cælo aliam doctrinã, quàm quæ* Euangelio *comprehenditur.* Hîc *exorta eſt magna quæſtio, quã nobis propoſuerunt, nẽpe quî ſciremus vetus ac nouũ* T*eſtamentũ eſſe* Dei *verbũ, niſi quatenus* Concilia *& eccleſia* R*omana ita cẽſent, nóſque certiores reddũt?* Q*uibus reſpõſum fuit, quanuis* Deus *opera* I*udæorũ &* P*apiſtarũ vſus ſit in cõſeruandis ſacroſanctis* Libris*, quibus volũtatẽ erga nos ſuã patefecit, non ideo tamen nos ab illis teſtimonia petere, nec probationes, quibus cõſtet eſſe verbũ* Dei*: ſed certũ ac ratum teſtimoniũ habere in conſciẽtijs noſtris per Spiritũ adoptionis, qui operatur in cordibus noſtris certóq; nobis perſuadet, ac ſancit* Dei *ꝓmiſsiones, & impellit vt clamemus,* Abba, Pater*, quẽadmodum ait* P*aulus* 8, *ad* Rom. *cap. atq; etiam ſubiunxim⁹, quiſquis ab eodẽ illo Spiritu non ita perſuaſus eſt, eũ non poſſe* Dei *filium cẽſeri: hoc caput prolixè agitatum fuit, ac copioſius tractatũ & pſpicuè ſimul illis oſtẽſum,* Dei *gratia, quàm impio ſcelere ſeſe obſtringerent & horrendam blaſphemiam vomerent, dum volunt æternum* Dei *verbum authoritati hominũ carnalium, adeóque diabo-*

lorum

lorũ ſubijcere. certũ enim eſſe, neminẽ qui Dei *Spiritu regatur, & aliqua ratione ſit præditus, tantam impietatem ſomniaturum. Sed vobis nunc perſcribi ſigillatim quidquid dictum fuit, nullo modo poteſt.* V*num tamen non eſt omittendum, fuiſſe quoſdam in eo conſeſſu, qui palàm dicerent, eſſe diaboli, non* Dei *Spiritum, qui certiores de his rebus nos redderet.* I*ſtos igitur rogauimus, quónam Spiritu iuſſus fuerit* A*braham filium ſuum* I*ſaac immolare. Spiritu* Dei *reſponderunt. nos ſtatim excepimus, ſi* A*braham patrare non dubitauit parricidium, quod erat contra legem naturæ, certè perpulſum fuiſſe oportet interno quodam & longè alio quàm carnis ſuæ motu, quæ quidem potuit illum eô adducere, vt putaret diabolum quendam eſſe potius quàm* Dei *Spiritum. atqui erat idem ille Spiritus, à quo certiores reddimur, qui impellebat eum vt crederet* Dei *eſſe voluntatem. Sed mirum non eſt, ſi hoc prorſus ignoretis. nam animalis homo de rebus ſpiritualibus iudicare non poteſt.* A*c multa alia de hoc capite illis expoſita fuerunt.* P*oſtea rogati ſumus de* C*œna, de* M*iſſa, de* P*urgatorio, de cõfeſſione auriculari, & alijs ipſorum ſacramentis.* A*tque de ſingulis capitibus ita copioſè vltro citróque diſceptatum fuit, vt perinde ac de reliquis conſtitutum fuerit.* N*imis longum eſſet ac tædioſum, referre quidquid hoc loco tractatum eſt.* I*d autem vnum ſufficiat, reſpondiſſe quemque noſtrûm pro menſura ſuæ fidei, & quæ* Dei *eſt gratia, hoſtes ita repreſſos ac cohibitos omni ex parte, vt confuſi iacuerint.* T*andem poſtulauimus, vt de* P*apa nonnihil diceretur, & quidem ea lege, vt ſi probare poſſent ex* S*criptura* P*apam eſſe caput* E*ccleſiæ* C*hriſti, nos omnia eius decreta admiſſuros. verùm ad hoc caput nunquã attendere, neque de eo diſceptare vllo modo voluerũt.* T*unc igitur diximus quia probare nolebant* P*apam eſſe caput* E*ccleſiæ, nos ex contextu ſacroſanctæ* S*cripturæ palam facturos, & quaſi digito monſtraturos* P*apam eſſe* A*ntichriſtum:* B*iblia tantùm nobis proferrent, vt ſæpius hoc ab illis precati fueramus: quod tamen ſemper denegarunt.* C*œpimus itaque locum ex 2. capite poſterioris ad* T*heſſ. tractare: ſed audire placidè non ſuſtinuerunt: quin potius inſtar luporum vlulare & vociferari, nos magis hæreticos eſſe quàm* W*icleuum,* H*uſſium,* L*utherum, & quoſuis alios: neque contra nos diſputandum: monere nihilominus vt in viam redire-*

mus. Quum hæc peracta eſſent, in carcerem remiſsi ſumus, ſed alij ab alijs ſeparati ad horam quintam ſerotinam. Poſtridie verò Tauranum fratrem qui vix Geneuæ tres menſes commoratus fuerat atque adeò antea nunquam de Deo quidquam nouerat, accerſi iuſſerunt. hunc ſub noctem à nobis ſegregatum atque abſtractum conabantur modis omnibus in ſuam naſſam pellicere. Sed Dei optimi gratia & beneficio illis ita reſpondit, & eorum petulantiam ſic retudit, vt iſtorum turpitudinem ac dedecora omnia detexerit. ídque multò melius quàm nos antea feciſſe videremur. Quod quidem grauiter & iniquis animis tulerunt, & eum ad nos remiſerunt cum hac exprobratione, En etiam de iſto vt de alijs iam actum eſt. Poſtea deductus fuit ad nos: vnde magnam conſolationem cœpimus, & gratias Deo noſtro optimo ſimul egimus ob eam animi magnitudinem & conſtantiam, quam nobis omnibus pro ſua bonitate contulerat. Cæterùm, die Mercurij (qui XXI, erat Auguſti) hora quinta pomeridiana, iudex noſter, qui Proprætoris partes ſuſtinet, in cubiculum, quo vincti concludimur, venit ſententiam contra nos ſcriptam pronuntiaturus: qua quidem nos tres nempe Vernutius, Laborierius, & Trigaletus in totam vitam mancipamur illi miſerrimæ ſeruituti, in quam addicuntur qui remos coacti agunt. Batallius autem & Tauranus ad decennium duntaxat: & ea quidem lege, vt vetent diſertè ac minaciter, ne quis vnquam ſtationem illam deſerat, alioqui fore ſi reperiamur, vt ignis ſupplicio luamus: ac ne etiam illinc duo illi fratres ante præſcriptum tempus abeant. Hac pronuntiata ſententia rogauit Iudex anne prouocaremus. Tum verò Laborierius omnium nomine, Nequaquam, inquit, ſed nos libenter accipere quidquid Deo optimo & Patri noſtro viſum eſt nobis dare, ac illi gratias immortales agere, eúmque ex animo laudare, quòd nos cenſuerit dignos, qui pro nomine ſuo patiamur. Procurator verò regius, qui in Curia reorum eſt ſcopulus, à Senatu perpulſus prouocauerat ab ea quam dixi ſententia. Statim igitur eadem hora Vernutius frater accerſitus eſt in Senatum, & eo ipſo die, atque etiam poſtridie cauſam dixit cùm à nobis ſepoſitus eſſet. Proximo die Veneris Laborierius frater vocatus & deductus, manè & à meridie ſatis prolixè dixit, vt ex eorum ad vos literis perſpicere licet: ac ſeparatus

tus

tus quoque à nobis fuit. Eodẽ *ipſo die ego in Senatum etiã ductus ſub horã quartam, illic ad ſextam vſque conſtiti.* Totius *autem actionis cõtra me progreſſus eiuſmodi fuit, primũ omnium iuſſus ſum in genua procũbere. quod quũ libenter feciſſem, mihi propoſita eſt tabella quædã lignea, in qua crucifixi (quẽ vocãt) imago viridi colore depicta erat.* Tũ Valentierus Præſes *ſummus, vniuerſi ſenatus nomine iuſsit vt manũ tabellæ imponerẽ: quod protinus recuſare non dubitaui, ob eã quæ expreſſa erat, imaginẽ: & teſtatus ſum palã me per* Deũ *viuũ iurare erectis in cælũ manib⁹ & oculis: deinde vera me dicturũ quidquid de fide mea rogarer.* Tũc *à Senatu petijt, an quod conceperã iuſiurãdũ illi ſatisfaceret. Ita eſſe reſpõdit, nec poſſe me per vllũ maiorẽ iurare. Poſtquã igitur ex meo reſpõſo intellexerũt, quodnã eſſet nomen meũ, quæ patria, qui ortus, & cur vinculis conſtringerer: pronũtiauit ille, ex meis corã* Præfecto *rerum capitalium editis de fide mea reſponſis plus ſatis conſtare, hominem hæreticum me eſſe, atque talẽ iudicatum cẽſura & ſupremis* Inquiſitoris, & Doctorum *theologicorũ calculis.* Hîc *ego acriter retorſi, eos ipſos re vera eſſe hæreticos, quũ à* Chriſto Ieſu *Domino noſtro tã perfidè defecerint, & ab eius doctrina turpiter deſciuerint: ac ſeſe* Antichriſto *coniunxerint, & impia eius dogmata ſint ſequuti. itaque ab illis me hæreticum iudicari non poſſe: quin potius mihi facillimũ eſſe ex* Dei *verbo cõprobare, ſi me æquis animis dicentẽ audirent, eos eſſe impios, & planè hæreticos.* Tum *ſummus* Præſes *excepit, me præſertim duobus confeſsionis meæ capitibus apertè conuinci hæreſeos, nẽpe dũ affirmo* Miſſæ *ſacrificiũ eſſe deteſtandũ & execrãdũ ſacrilegiũ, quo ſanguis* Ieſu Chriſti *pedibus calcatur, & quo etiam ſacrificiũ morte ei⁹ peractum abrogatur, & in nihilũ prorſus redigitur: deinde, quũ* Miſſa *cenſeatur eſſe memoria cœnæ* Domini *(ſicuti re vera eſt) id verò diabolicũ eſſe figmentũ à patre mendacij excogitatũ, & confirmatũ, ad eos in æternũ exitiũ præcipitandos, qui fidẽ illi habent, & mordic⁹ adhærent.* Quũ *autẽ ingenuè reſpõdiſſẽ hæc eſſe veriſsima, adiunxi vnicũ eſſe ſacrificiũ æternũ, ídq; iã peractũ à ſacerdote æterno ſecundũ ordinem* Melchiſedech, *nẽpe* Chriſto. *quod quidem ipſe in ara crucis obtulit ſanguine ſuo in remiſsionẽ peccatorũ noſtrorũ fuſo: qui ingreſſus eſt ſancta ſanctorũ, hoc eſt, in cælũ ad* Patrẽ *ſuum, quô*

etiam acceſſum habemus per eum, qui ſolus eſt Mediator *noſter & Aduocatus apud* Patrem, *quæ ex 9. ad* Hebræos *cap. confirmabam. Quod autem ad Chriſtianorum ſacrificium attinet, conſtare laudibus & gratiarum actione, adeóque totam piorum vitam, quam in iuſtitia & ſanctitate peragunt (quæ viua eſt & rationalis hoſtia) ſacrificium eſſe quod offerre* Deo *ipſi debeant, ſeſe totos conſecrantes, & planè addicentes in eius obſequium: in quo eſſent velut ſocij & participes ſacerdotij* Chriſti, *cuius nomine acceptos habeat* Pater, *& quicquid ſecum ferunt, vtcunque mutilum ſit & imperfectum.* Tum ille *Miſſam & Cœnam rem vnam & eandem eſſe pronuntiat, & nominibus tantùm differre, non autem ſubſtantia vel re ipſa: ad hoc, differre quidẽ agendi modo, quòd ad externas ceremonias ſpectat.* Imò *verò Cœnam &* Miſſam *pugnare ex diametro (vt loquuntur) ingenuè reſpondi, & non minus inter ſe diſtare quàm cælum à terra: ac tum demùm* Latino *ſermone diſſeruimus quid nobis in Cœna quærẽdum & accipiendum ſit: itémque ſigna panis & vini quô nos ducant: quid ſacrificus in* Miſſa *ſua offerat &* Deo *proponat: diſcrimen quoque expoſui inter eum qui confert donum, & eum cui confertur.* Nobis *enim in Cœna* Chriſtum *dari in cibum, & perfectum integrúmque animarum noſtrarum alimentum in vitam æternam, quum ſcilicet accipimus panem & edimus, ac bibimus vinum, quæ vera ſunt & integra corporum noſtrorum alimenta ad tuendam hanc vitam: hæc ſigna nobis eſſe adminicula, quibus fidem noſtram & ſpem vitæ æternæ confirmemus, quæ in* Chriſto *nobis datur, vt ſcribit* Ioãnes *6. capite,* Qui *videt* Filium, *& credit in eum, habet vitam æternam: & eum vltimo die à mortuis excitabo.* Palàm *teſtatus ſum me participem fieri corporis & ſanguinis* Chriſti *per fidem, qua in cælum conſcendo, vt illic ad dextram* Patris *quærã* Chriſtum *ſalutẽ meam & vitam: non autem in pane & vino, ſicuti ſacrificus &* Papiſtæ *faciunt.* Hîc *ergo conatus eſt probare corporis* Chriſti *præſentiam in pane, & ſanguinis in vino: & verba* Domini *noſtri expendit, quum ait in Cœna,* Hoc *eſt corpus meum.* Ego *verò reſpondi, particulam* EST, *pro ſignificat accipi, vt alijs quibuſdam locis, veluti quum dicitur,* Petra *erat* Chriſtus: *de columba etiã, &* Spiritu *ſancto: de agno, & paſchate: ac tropũ eſſe*

tritum

tritum Scripturis, quem Metonymiam vel Synecdochen appellant, quum ſcilicet rei ſignificatæ nomen ſigno tribuitur. atque citauit locum illum Ioannis 6, Ego *ſum panis vitæ.* & *Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem: vbi de* Cœna *non agi, ſed de fide in* Chriſtum *excepi: quod ex verbis* Domini *probare promptum fuit, quum inquit,* Verba *mea ſpiritus & vita ſunt: &* ex XI. *cap. prioris ad* Corinth. *vbi vocabula* Panis & Calicis *(quæ à* Paulo *quater repetuntur) diligenter perpendere oportuit.* Hîc *multi ſermones vltrò citróque ſunt habiti, quos referre nimis longum foret: atque vt videtis, chartæ penuria laboramus.* De Papa *quoque, quem* Antichriſtum *eſſe cõfirmabam, diſputatum fuit de eius authoritate, & decretis vel ſtatutis, quæ* Chriſti *legibus planè ſunt contraria. citaui* 2. *cap.* 2. *ad* Theſſal. & 4. *prioris ad* Timoth. *In ſumma, quicquid rationum ſuarum tandem protulerint,* Deus *tamen* Spiritu *oris ſui* Antichriſtum *occidit.* T*unc autẽ longo ſermone vſi ſunt, quò me velut illecebris ineſcarent, pollicentes, ſi vellem in catholicæ & ſanctæ matris ſuæ eccleſiæ ſinum redire, ſtatim fore vt me loco fratris haberent: atque ita mei ipſius miſertũ poſſe me magnos fructus poſthac edere & quamplurimis prodeſſe.* T*entarũt denique illecebris omne genus animum meum cõcutere & de gradu exturbare, ſi poſſet fieri. ſed virtute* Spiritus *ſancti ſuffultus, conſtanter inuictóque animo perſtiti, vt nunquam vlla reſponſione permotus,* Dei *gratia, vacillauerim. Quod quum ſatis intelligerent, ad vltimum perfugium recurrunt, ac minantur ſe pronuntiaturos cõtra me ex* Regis *legibus & edictis.* T*andem verò paucis reſpondi, ſedere in cælo* Iudicem, *ad cuius tribunal aliquando ſe ſiſtere cogerentur, quum ſcilicet illud conſcendet, ſingulos conuocaturus ad reddendam factorum dictorúmque omnium rationem: & tum demùm libros & acta reſignatum & patefactum iri, quibus explicatis cauſam ſuorum vt iuſtiſſimam tuebitur, ipſorum verò conatus & audaciam reprimet ac damnabit. Me igitur tũc amandarunt in carcerem, ſed nonnulli eorũ quiritabantur, & prorumpebant in hanc vocem, Quanta eſt iſtæc proteruia, & quàm intolerabilis faſtus? alij autem ſubſannabant, ac perperam in nos torquebant illud* Pſalmi, *Oculos habent, &c. Itaque hanc ſententiam in eos reieci,*

nec enim verius quicquam in ipſos dici poſſe affirmaui: nos autem iã Dei gratia, oculos fidei apertos habere, vt veritatẽ ipſam cernere poſſimus: ídque ſolis datum eſſe ijs quibus lumen illud Euangelij admirabile affulſerit. Atque ea tum ſic geſta fuere. Subſequẽti die Sabbathi, Batallius & Tauranus corã ipſis cõſtituti, pro conſtantia qua à Deo præmuniti erant, próque fidei menſura quam ab eodem acceperũt, fortiter inimicis reſtiterunt, aptéque interrogatis reſponderunt. Die Lunæ proximo ad Senatores & Iudices noſtros accerſiti fuimus vnà omnes, qui admonitione blanda, longáque verborũ circuitione nos in ſuã ſententiam perducere conabantur, ſed, laus Deo, nos haudquaquam commouerunt illa verborũ lenocinia. Nam Vernutius frater noſter in eo conſeſſu multis viciſſim noſtræ, vel potius Filij Dei, cauſæ æquitatẽ demõſtrauit, nos deinde orationi aſſenſimus omnes, vnóq; ore acclamauimus Amen. Ac repentè velut homines in opinione obfirmati atque obſtinati in carcerem noſtrum reducimur. Poſtea etiam in nos quinque illorum decreto ignis ſupplicium conſtitutum fuit, cuius nos ſententiæ pronuntiationem heri expectabamus: actum Dei bonitate miſericordiáq; præfulti, ſupplicium illud liberè quidẽ & lubẽti animo ſubire ac ſuſtinere parati eramus, ſed ipſe mera ſua benignitate ſpatiũ adhuc aliquod conceſſit reſpirandi. Qui autẽ has ad vos perfert literas famulus eſt Secretarij M. qui vt eſt vir bonus, tãta in nos contulit beneficia, vt plura, ſi vellet, in ſua ipſe cauſa facere non queat. Orate Dominum, vt illi pro tot officijs ac meritis in nos referat gratiam, remuneretur etiam ſuæ liberalitatis præmijs eum qui in aula eſt, & reliquos qui hîc ſunt fratres. Scriptum die Dominico ipſis Calend. Septẽb. anni M.D.LV. Commendat autem ſe quiſque noſtrûm vobis omnibus: cupimúſq; vt in precibus veſtris noſtri quoque memores ſitis. Veſter humilis filius, ſeruus & frater in Domino, Ioan. Trigaletus.

Certiores, opinor, facti eſtis de rerum noſtrarũ ſtatu, qualémq; cauſæ noſtræ exitũ fore ſperauerimus, nẽpe vt lata capitis ſententia poſtridie frequenti in ea vrbe mercatu, publicè de nobis velut victimis fieret holocauſtũ. faſces enim & catenæ iam apparati erãt: pali tantùm reſtabant in terram defigendi, ſtruendúſq; rogus, cui corpora noſtra imponerentur. Sed Deus pro bonitate ac miſericordia ſua exaudiuit

exaudiuit orationem eorum qui pro nobis eius opem implorabant: vnde effectus ſubſequutus eſt eiuſmodi: Quòd ſcilicet die Veneris proximo hora ſecũda pomeridiana Iudices cõuenerint ad imponẽdum finem cauſæ noſtræ. ac duodecim quum eſſent, magna inter eos fuit ſententiarum varietas: ſex enim in nos ſupplicium exigui & lenti ignis conſtituendum, alij verò ad remigium relegandos, aut in exilium pellendos cenſebant. Quæ cauſa fuit vt eo die nihil certi ſtatutum fuerit. Poſtero die alijs nonnullis in iudicium conuocatis, conſtitutum fuit quòd in nobis qui membra Chriſti ſumus, ipſe non combureretur velut hæreticus, ne fortè ea res populo offenſionem aliquam afferret: ſed tanquam fur aut latro ad remiges condemnaretur. diuerſa tamen ratione quo ad temporis ſpatium. nam Batallium *&* Tauranum *ad decem annos tantùm, me verò cum duobus ſocijs, omnibus diebus vitæ noſtræ remigio deſtinarunt.* Multum *ſe noſtra cauſa feciſſe exiſtimant, quòd nos morte perbeata liberarint, vt vitam degamus mille mortibus acerbiorem. attamen ſperamus* Dominum, *qui nobis nunquam defuit in terra quandiu in manibus aduerſariorum & vinculis* Cameriaci *detẽti ſumus, eundẽ etiam in mari ſua inexhauſta benignitate affore inter manus eorum qui remigum præfecti ſunt: nec etiam diffidimus quin noſtra in triremibus manſio æquè vtilis futura ſit, atque hæc* Cameriaci *in carcere magnæ conſolationi & ædificationi fuit ijs qui nobis affuerunt, aliíſque qui nos quãdoque inuiſerunt.* Memini *porrò eorum quæ mihi aliquando narrata ſunt de* Maioris: *ſed cauſa noſtra,* Dei *beneficio, melior eſt.* Nam *quod ad nos attinet, nulla ſunt mali alicuius aut reuocationis indicia: ſed miſericordia quadam tacti ac* συμπαθείᾳ *erga quinque miſeros homines ducti, metuentes iram* Dei *ob tantam humani ſanguinis effuſionem, hoc pacto nobiſcum egerunt.* Hæc *nobis acciderunt poſt longam expectationem volũtatis* Domini, *qui cauſam noſtram ſuſcepit ac defendit, & vocem noſtram tempore opportuno exaudiuit.* Hic *noſter tabellarius vir eſt bonus, qui in carcere nos inuiſit: audiuit etiam totam rationem iudicij noſtri, opinórque ipſum deferre ſecum eius exemplum. ex eo rem totam à principio cognoſcere poteritis.* Precibus *veſtris ac totius eccleſiæ, parentũ, amicorumq; omniũ & vicinorũ nos*

ex animo commendamus: quibus, ſi vnquam, nunc nunc maximè indigemus, quum ad vitæ genus abripiamur cui vel mille mortes, ſi totidem obire liceret, meritò quidem præferri poßint. Dominus Deus *&* Pater *omnis miſericordiæ ac* Deus *omnis conſolationis noſtri miſereatur, nóſque magis ac magis confirmet, ſicuti etiam magis opus nunc habemus. Scribit prolixè ad vxorem ſuam* Laborierius *frater ac ſocius noſter: eius literas ſi legeris, cognoſces quid reſpondere ſtatuerimus, quum nobis iudicum ſententia pronuntiabitur: quod hodie fiet, vt iam accepimus.* Fratres *mei te ſalutant, & ſe precibus etiam eccleſiæ, ac veſtris priuatim commendatos cupiunt.*

Quæ deinceps ſequentur literæ ſingulares, ab illis quinque vinctis cōſcriptæ fuerunt in piorum omnium conſolationem.

Antonius Laborierius omnibus in Chriſto fratribus ſuis, qui communicarunt vinculis, quibus ob Dei veritatem conſtringitur, S.

CHariſsimi *fratres, gratias ago* Deo *noſtro, qui pro ſua indulgentia voluit, vt re ipſa experirer quàm verax ſit in ſuis promißis, & quanta humanitate ſuorum infirmitates ferat.* Vult *ſuos omnes cruci ſubiectos eſſe: ſed vnumquenque pro menſura ſua, vt viſum eſt, ne ſupra vires quas ipſe nobis contulit onere grauati ſuccumbamus.* Quod *quidem (*Deo *optimo gratia) ita in me completum ſentio, vt nunquam in alio magis fuiſſe credam.* Quid *enim obſtitit quominus excitauerit fratres meos & ſanguine mihi coniunctos qui me perſequerentur, ſicuti* Cainum *excitauit* Abeli, Iſmaelem Iſaaco, Eſau Iacobo, *&* Ioſepho *omnes ſuos fratres?* Annon *etiam poterat me per filium meum diſcruciare, vt ſcimus* Noah *à ſuo exagitatum fuiſſe, &* Dauidem *ipſum ab* Abſalone *filio? ánnon poterat per vxorem meam negotium mihi faceſſere, quemadmodum pius ille* Iob *ſuam ſibi infeſtißimam ſenſit? ánnon poterat efficere vt ab omnibus amicis intimis & cognatis desererer, ſicuti* Moſes, Dauid *& omnes* Prophetæ *reiecti ſunt: atque adeò* Chriſtus *ipſe & omnes* Apoſtoli *qui tot iniurias à ſuis popularibus acceperunt?* Denique, *ánnon poterat me in manus tyrannorum conijcere, qui in profundum carcerem, obſcurum & fœtoris plenum detruſiſſent? ac me detinuißent illic catenis vinctum, compedibus conſtrictum, & priuatum omni ratione, qua mihi lætari commodè*

modè non licuiſſet: quod certè Patriarchis, & Prophetis, vt Iſaiæ, & Ieremiæ, adeóque ipſi Chriſto & Apoſtolis contigiſſe ſatis conſtat. Quemadmodum noſtro quoq; ſeculo intelleximus complures pios & ſanctos viros crudelius in vinculis fuiſſe tractatos quàm brutæ pecudes vel à leonibus, vel canibus, vel lupis, & aliis rapacibus belluis tractari ſoleant. Certum quidem eſt, ſi omnibus eiuſmodi afflictionibus me voluiſſet probare, id iure, ac merito facturũ fuiſſe, ſed interim carnẽ meã non parum cruciaſſent & exagitaſſent multæ durǽque tentationes. Dominus ergo pro immenſa ſua bonitate, dum effecit vt ſerio miſericordiæ ſuæ guſtu tangerer, ac perciperẽ fructum veræ illius fiduciæ, qua promiſſiones ipſius amplexus ſum, ita ſe ad captum meæ ruditatis, & miſeræ tenuitatis accommodauit, vt non modò me integrum & intactum à tot inſultibus & horrendis cruciatibus ſeruauerit (licet his omnibus obnoxij ſint pij eius cultores) ſed etiã magnum inde ſolatium mihi attulerit, animi quoque tranquillitatem, & robur ſuppeditauerit. Nam quod ad vtrumque parentem meum, fratres meos ac ſorores ſpectat, certo ſcio (quæ Dei eſt gratia) ſi de cruce mea certiores facti ſunt, participes eius eſſe adeóque grauius ferre quàm ipſe feram, & ipſis vehemẽter dolere, quòd mihi ſuccurrere aliqua ratione non poſſint. Filiola verò mea tantum abeſt vt quidquam moleſtiæ faceſſat, vt potius ad me conſolandum multo melius, Dei beneficio valeat, ex quò in carcerem ſum coniectus, ſicuti ex tuis literis intellexi: ac ſi hoc modo ad agnoſcendas Dei gratias me impelleret. Quod autẽ attinet ad vxorẽ meã, licet rudior ſit, nec ſatis vt decebat pietatis doctrinam teneat (quod certè dico, vt me accuſem, ac dedecus meum retegam) an quæſo poſſet à me explicari quantum ſolatij acceperim partim ex eius literis, quibus me hortatur vt ſeriò guſtẽ Dei beneficia, & me præparẽ ad mortem adeò felicẽ: partim verò ex inuicta eius conſtantia, qua præditam eſſe mihi renuntiatum eſt, vt ſponte & ex animo cruci meæ communicet, ſéque totam Deo in obſequium addicat? Si de amicis agitur, miror ſanè & me etiam pudet, dum tantum eorum numerum animo complector, quos mihi Dominus conciliauit, vt tam ſingulari beneuolentia me proſequantur. Nam me miſerũ ac nihili prorſus hominẽ, qui toto vitæ curſu Deum meũ ad irã

prouocare non deſtiti, quíque ſicuti res habet, nulla non dico doctrina vel gratia excello, ſed ne gutta quidem rectæ voluntatis præditus ſum, qua vel minimum obſequium cuiquã poſſim præſtare: ego tamen video mœrore affici ob mea vincula quoſdam ex clariſſimis Dei *ſeruis, & qui hodie excellentiſſimis eius donis pollent, atque in eccleſia præcipuum munus exercent & docendi officio funguntur: à quibus certè ſumma beneficia, & exhortationes planè diuinas accepimus.* Deinde P*rincipes omnium feliciſſimi noſtris quoque vinculis communicare non dubitarunt, quum nobis tanquam filijs ſuis opem & ſolatium tulerunt. Quid totũ eccleſiæ corpus cõmemorem? non dubium eſt quin illa profuderit lachrymas, ingemuerit,* Deu*m precata ſit pro nobis, ac multa ſuſpiria ediderit, vt admirabiles inde fructus percepimus.* Ne*que id ſolùm, ſed in medio etiam noſtri, & qui aliqua* Dei *notitia imbuti erant, adeóque omni cognitione vacui, operam ſuam nobis impenderunt, tum vt nos conſolarentur, tum vt quæ nobis erãt neceſſaria ſuppeditarent. Quum autem mecum expendo, fratres mihi vnicè dilecti, innumera quæ à vobis ſeorſum accepi beneficia, qui nihil omnino eorum quæ ad me iuuandum ſpectabant, prætermiſiſtis (nam præter ampliſſimas & ſanctiſſimas conſolatioues veſtras, quibus me ſeriò animaſtis, viſcera quoq; veſtra aperuiſtis, vt abundè mihi ex veſtris diuitijs elargiremini, vt ne vitæ quidem veſtræ quum opus fuit parceretis) quum hæc, inquam, reputo, neſcio ſanè vnde incipiam, vt animi mei gratitudinem apud vos teſter. V*erùm, nouit* Do*minus quantoperè id ex animo deſiderem, iſta quidem omnia fieri conſtat ob eam quam tueor cauſam: ſed interim efficit* Deus, *vt incredibilem inde fructum percipiam. Quod ad carcerem attinet, neque verbis neque ſcripto explicare poſſem quanta lætitiæ ac dulcedinis voluptate in eo perfuſus ſim. mihi tamen licet verè & meritò profiteri, me nunquam felicius egiſſe nec meliùs habuiſſe tum corpore tum animo, quàm habuerim & habeam ex quo captiuus teneor.* Hoc *quidem neque ex carceris pulchritudine, neque ex loci natura pendet: ſed quemadmodnm iam dixi, ex eo quòd* Dominus *omnia in bonũ conuertit ijs quos diligit.* V*obis hæc omnia ſcribere, fratres chariſſ. libuit, vt lætitiæ meæ participes ſitis, ſicuti afflictionis meæ partem ſenſiſtis:*

&

& vt mecum reputetis ſeriò quàm verax & fidelis ſit Deus*, vt ſimul eundẽ* Deũ Patrem *opt. precemur, quò nos intus afficiat, & ad ſe agnoſcendum impellat. nam quòd ad me ſpectat, ingenuè fateor, mihi, ſi cuiquam alteri, eo ſtimulo opus eſſe, quum me ita ſtupidum ſentiam, vt* Dei *noſtri bonitates animo concipere non poſsim, licet in earum velut abyſſo demerſus iaceam.* In *quo quidem certe agnoſco, ac liberè fateor me ter miſerum eſſe, & infinitis corruptelis obnoxium. Vtinam fratres mei,* Deus *mihi concederet, vt cor meum aperire liceret, quo dolorem inde conceptum vobis patefacerem? Sed vnde fit vt non poſsim? Quanquam facultas qua id exprimam, mihi deſit, verè tamẽ affirmauerim in eo præcipuè culpam eſſe, quòd nimium à familiaritate* Scriptu*rarum me ſubduxerim. ſed* Deo *gratias ago, qui ingrati animi mei rationem non habuit: quin potius in ſanctam hanc ſcholam me deduxit, vt ita quis ſim agnoſcam.* Neque *enim ſatis ſcio quô prolapſus fuiſſem, niſi me* Dominus *quaſi porrecta manu viſitaſſet. Quum ad pium illum qui* Geneuæ *eſt, cœtum acceſsi, conſilium erat omnino me ſtudijs quàm maximè poſſem addicere: quemadmodũ etiã* Deus *illuc ſuos in eũ finẽ emittit, dum nos è medio mundo auocat, vt ad omne opus pium præparet, & ad regale ſacerdotium: quò ſcilicet nobis ipſis renuntiantes, eius gloriæ nos totos conſecremus. At ó me miſerum! quàm longè ab officio meo abfui! quàm malè partibus meis ſum defunctus! Vos ipſi nouiſtis, ego verò nimium experior. Satis quidem otij mihi ſuppetebat ſed potius ad res nihili animum adijciebam, neſcio qua diffidentia, & præpoſtero metu ꝑculſus, quàm ad iudicia* Dei *ac ſtatuta diu & noctu meditanda, atque diligenter expendenda. Vos igitur obſecro* Dei *nomine vt diſpendio meo diſcatis non eſſe vobis dormiendum.* Nam *certò ſcio, ac proinde etiam doleo vehementer complures inter vos eſſe, qui eodem hoc morbo laborent. atque vtinam in multis non vigeret amplius: ſed veſtram ipſi quæſo conſcientiam excutite, ac ſedulò diſpicite quo ardore & zelo verbum* Dei *excipiatis: atque re ipſa comperietis verius eſſe quàm vellem: plurimos eſſe nimium frigidos. Concionibus quidẽ publicis frequẽtes adeſtis, ſed toto reliquo tẽpore quo pacto reuocatis in memoriam quæ audiuiſtis? id verò fit vt plurimum defunctoriè. Cæterùm, hæc dico, quia ſaluti veſtræ conſultũ cupio & vos*

ſingulari beneuolentia proſequor. An ignoratis olim ſub Lege *animal quod non ruminabat immundum ac pollutum fuiſſe, ita vt carnibus eiꝰ veſci populo* Dei *fas non eſſet?* Ergo Dei *verbum poſtquam audieritis ruminate: atq; ita publicis concionibus adeſte, & Scripturarum lectioni date operam, vt non immundi ſed puri ſitis, vt* Domino *in ſacrificium grati odoris offeramini, & afflictionis tempore inuicto animo perſtetis.* Reputate *quanto pretioſior ſit* Dei *ſapientia auro, argento, & lapidibus pretioſis.* Ergo *ſubijciamini Spiritui* Dei, *vt illa ductu eius impleamini, quô poßitis de operius* Domini *iudicare. nam homo ſpiritualis omnia iudicat, & à nullo iudicatur.* An *non in loco totius orbis ad diſcendum aptißimo degitis? in quo ſcilicet velut* Dei *theatro, vel potius ſacroſancto eius* Tabernaculo *verſamini.* Deinde *an paſtorum fidelißimorum opera, & ſedulitas vllo modo vobis deeſt?* Minimè *verò: atque id confirmare & teſtari meritò poſſumus,* Dei *beneficio, ſi qui vnquam affirmare potuerũt. Quid igitur prætexere vobis licebit niſi ſeriò profeceritis, dum vobis inducias concedit* Dominus, *ac tempus largitur quo vos ipſos exerceatis?* Pudendum *certè, ac probroſum erit, ſi tanquam tyrones deprehẽdamini, cùm vobis manus erunt conſerendæ. neque etiam talis ingratitudo impunè cedet.* Spero *autem, fratres, eiuſmodi iudicium in capita veſtra minimè redundaturum. nam certo perſuaſus ſum vos eſſe* Dei *filios.* Vigilate *nihilominus & orate quia non dormit hoſtis noſter.* Date *operam, vt oleum vobis ſuppetat, dum aduentum ſuum differt* Dominus, *vt quo die venerit vos reperiat inſtructos hĩs omnibus quæ ad expectandum diẽ aduentus & ipſum excipiendum neceſſaria ſunt.* Atque *ita quietem conſcientijs veſtris obtinebitis, neque afflictionum tempeſtates vos exagitabunt.* Oro *autem* Deum *&* Patrem *omnis conſolationis, qui nos opportunè ſolatus eſt, vt quod in vobis cœpit ipſe perficiat, quò vos in opere ſuo perfectos reddat in gloriam nominis ſui & ædificationem* Ec*cleſiæ ſuæ,* Amen.

Epiſtola Ioannis Vernutii ad Cognatum ſuum. D.L.P.

SI tantum ſperare, mi Cognate & amice integerrime, hoc turbulento tempore auſus non es, vt literis nobiſcum poſſes cõmunicare, ſicuti ſcribis: multò certè minus idem nobis licebat. Dominus enim ad ſepulchrum vſque & mortis vmbrã nos deduxerat, ita vt vltimo die Augu. certò peſuaſi eſſemus

nos

nos mortem obituros. Et Deus optimus maximus pro ſua ſingulari gratia ad id probè nos inſtruxerat, animóſque noſtros compoſuerat vt ad rem longè præſtantiſsimam, & qua nobis optatior contingere non poterat: vtcunque caro noſtra obſtreperet, tumultuaretur, ac ſeſe nimiũ efferret, ſpiritus tamen præualebat. Ecce verò præter omnem noſtram & omnium hominum expectationem Dominus, qui è ſepulchro nos eripuit, atque cõpleuit quod ſcribitur Pſalmo cxxix, dum funes è iugo impiorum abſcidit. Et quanuis hæc mora & quidem breuiſsima eſſet (vt nos ad hoc paratos eſſe oportet, ac tutius etiã erit quicquid accidat) in eo nihilominus & tanto beneficio, quemadmodum quod nunc quoque tibi ſcribimus, ſatis ſupérq; cõfirmatur nobis omnibus hæc Pauli ſentẽtia, Deum multò plura nobis elargiri, quàm ſperare poſsimus. Quum præter verbum eius qui eſt ipſa veritas, ore pronuntiatum, accedit experientia quæ oculis cernitur in fratribus noſtris, qui & ante nos vixerunt, & qui nunc adhuc ſunt ſuperſtites, ac ne longius petantur exempla, quæ in nobis ipſis palàm conſtant: ad manum proculdubiò habemus inuictum clypeum contra quaſcunque tentationes, & arcem inexpugnabilem aduerſus portas inferorum, nempe quia Deus ſtat à parte noſtra. Iam ſi ille eſt pro nobis, quis contra nos erit? Itaque inimicis omnibus, & Sathanæ eorum capiti intrepidè inſultamus, & quicquid conentur paruifacimus, exemplo Dauidis qui piorum omnium inſigne ſpeculum meritò cenſetur, Pſalm. xviii. xxiii. xxvii. cxviii, & multis alijs. Sed quò in fide & vero Dei timore proficiamus, ita certè nobis agendum eſt, vt diligenter notemus eiuſmodi exempla, & eorum circunſtantias, vt tenaciùs memoriæ inhæreant: deinde coniungamus ea, & referamus ad Dei verbum, quò fides noſtra illius naturam reſipiat: vt quemadmodum illud Dei verbum fixum atque æternũ manet, ſic etiam perpetuò certam fiduciam habeamus in Deo optimo, qui poſtquam mera ſua gratia & bonitate ſingularibus ſuis promiſsionibus ſe obſtrinxit nobis (qui ſumus cadauera tantùm putrida, & creaturæ naturá execrabiles) varijs ac miris modis illas complere non deſinit. Cor igitur noſtrum velut findatur, vt Domino viua fide gloriam demus: os noſtrum aperiatur, vt laudes eius vbique reſonent. nam eius miſericordia ſuper nos aucta eſt, & eiuſdem veritas manet in æternum. Infelix & miſera caro noſtra omnino crucifigatur, mortificetur ac ſepeliatur vnà cum Domino noſtro Ieſu Chriſto, quum eò peruicaciæ prorumpat poſt tot promiſſiones tot experimentis etiam comprobatas, vt dubitationes de verbo Dei noſtri optimi & fideliſsimi ſubinde in animis noſtris audeat excitare. Nullum vnquam argentum ita exploratum fuit, vt eſt ſacroſanctum hoc verbum: nos eius rei teſtes ſumus locupletiſsimi: & interim caro iſthæc nimium impudens contrà inſurgere audebit! O Domine, quouſque tandem erit? adauge nobis fidem. Cæterùm, amice integerrime, nos omnes habemus tibi gratiam ob pias & ſanctas admonitiones tuis literis perſcriptas: deinde ob labores quos ſuſcipis, & impenſas quas noſtro nomine facis. Certè quũ hæc apud nos reputamus,

iam à mundo cupimus abeſſe, ne ſcilicet tot viris bonis oneri ſimus, qui magis (tanta eſt eorum erga nos beneuolentia) quàm nos ipſi de nobis ſunt ſoliciti, ac magis conſtricti, & corde vincti tenẽtur quàm nos qui corpore ſumus captiui. Vobis Deus optimus rependat, & opes veſtras ſic augeat vt re ipſa ſentiatis vos in eius gratiam diuitias veſtras exponere: & quemadmodum inquit Eccleſiaſtes, vos panem veſtrum in profluentes aquas proijcere. Interim quia nihil aliud in præſentia præſtare poßumus, illum pro vobis & veſtris omnibus precabimur, nóſque omnes precibus veſtris ex animo commendabimus.

Alia eiuſdem Vernutii epiſtola ad D. D.

LIteras tuas, obſeruande domine & chariß. frater, accepimus, quibus nos de tua valetudine aduerſa certiores facis, & ſimul petis vt aliquid ad te ſcribamus, quo tuum animum conſolemur. Laudetur *Deus &* Pater Domini Ieſu *Chriſti*, Pater *miſericordiæ, &* Deus *omnis conſolationis, qui nos in omni afflictione noſtra ſolatur, vt eos qui afflictãtur quocũq; modo cõſolari poßimus, ſolatio quo* Deus *ipſe nos cõſolatur.* Nã vt Chriſti *afflictiones abũdant in nobis, ita per* Chriſtum *quoq; conſolatio noſtra abũdat.* Et *certè admirabilis eſt hæc* Dei *gratia quã in ſuos omnes filios cõfert, quòd quũ egeant, crucientur & iam iam illis mors inſtet, ita eos locupletat, conſolatur & viuificat, vt quod alijs largiantur, ſuppetat.* Hæc *proculdubiò non proficiſcuntur ex imaginaria vel fanatica philoſophia, quæ nunquã re-vera fuit: ſed vſitata eſt ac trita pijs omnibus πρᾶξις, quã vt in nobis,* Dei *beneficio, perſpicis (ita etiam in te cernimus, ſicuti literæ tuæ ſatis oſtendũt, quibus ingenuè profiteris morbũ quo tu laboras, & vxor etiã tua, ſoror nobis chariß.) non aliunde tibi quàm ex paterna* Dei *optimi manu profectã eſſe.* Hoc *verò noſſe, ſapiẽtia eſt incredibilis, quæ omnẽ humanum ſenſum lõgè ſuperat, & qua* Deus *filios ſuos donat per* Spiritum *veritatis quẽ illis promiſit.* Hoc *idem guſtare cõſolatio eſt eximia, quæ pijs omnibus maximè conuenit.* Vulgò *fertur, ſi cui negotiũ fuerit cum viro probo & integræ fidei, illũ ſecurè quieſcere, ac multò magis ſi eũ ſingulari beneuolẽtia cõplectatur. atqui negotiũ eſt cum iuſtiß. optimo & omnipotente, qui proprio* Filio *non pepercit, ſed noſtro nomine in mortem adeò crudelẽ & probroſam tradidit, & in eo fœdus nobiſcum ſanciuit perpetuũ, ſe nunquã nos deſerturũ, vtcunque miſerijs ac ſordibus omni ex parte ſimus referti.* Quid *maius, quæſo, expetimus? quid iam impediet quominus in eo plena fiducia cõquieſcamus? obſtabũt ne peccata noſtra? at vbi abũdauit peccatũ, illic gratia magis ab-*

undauit: & vbi plura remittuntur peccata, maior eſt etiam dilectio erga Deum opt. max. tãtum abeſt vt ex eius bonitate belli cum ipſo gerendi occaſio nobis offeratur. Quid? an miſeriæ noſtræ ab illo nos abſtrahent? quin potius quãto ſunt grauiores & magis aſperæ, tãto maior ac luculentior eius miſericordia ſeſe erga nos proferet. an denique noſtra infirmitas auocabit? Atqui in hac ipſa virtus eius elucet ac perficitur: & quo magis deſunt nobis vires, tanto fortiores in illo ſumus. Quod certè facit, ne quis in ſe ipſo glorietur, ac multò min⁹ ſingularibus donis, quæ ex eius manu accepit: ſed potius vt illis velut eiuſdẽ manu ducatur, quò in ipſo ſolo glorietur, atq; ita eò referantur omnia vnde proficiſcuntur. Quemadmodum autem hoc eſt valde conſentaneum rationi, ita etiam nobis maximè vtile eſſe conſtat, ne ſcilicet puteos fodiamus qui aquas continere non poſsint, vt fontes aquæ viuæ & ſcaturiginem vitæ deſeramus, nempe illum in cuius manu eſt omnis felicitas, ad quam humaniter nos inuitat, & ea quidem liberalitate, vt nobis dare magis cupiat ipſe, quàm nos accipere. Quum igitur, frater chariſsime, perſuaſum habeas negotium tibi eſſe cum eo Patre, qui tantam tui ac tuorum curam gerit, petimus abs te vt diligẽtiùs cogites quàm feliciter tecũ agatur, & qualis futurus ſit exitus huius afflictionis qua nunc laboras. Satius verò eſſe credimus ſi tibi relinquamus hoc reputandum, quàm ſi copioſiùs à nobis tractetur. Interim vnum tibi in memoriam reuoco, vnde magnum ſolatium accipias: nimirum adoptione tua fretus, & gratuita iuſtificatione (qua quidem tum perſona tua, tum piæ cogitationes, affectus, & opera tua vel potius Spiritus ſancti qui in te habitat, indulgentiſsimo Patri tuo grata ſunt, ídque Chriſti nomine) Iam dicere potes Ezechiæ exemplo, ac profuſis lachrymis in eius ſinum familiariter cor tuũ velut explicare hoc modo: Quæſo, Domine, memineris te mihi pro tua liberalitate largitum fuiſſe hunc animum & exercitium, vt miſeros & afflictos conſoler. neque verò imbecillitas & ſordes, quas corrupta caro permiſcuit operi tuo, impediant quominus hoc opus vt ſigillum perpetui erga me amoris tui excipiam. Etenim ſi dona communia, quæ omnibus creaturis confers, atque adeò illa quæ extra me ſunt ad hoc ipſum mihi conducunt, mihi, inquam, filio tuo: quanto magis

quæ filiorum tuorum ſunt propria, & quæ intus ac per me largiris? *Deinde non obſtabunt quominus certò ſim perſuaſus de tuis promiſſis abs te operi tuo in me factis, quum præſertim omnes tuæ promiſſiones non ſint* Etiam & Amen, *niſi in ſolo* Chriſto, *quem tuo beneficio accepi in pignus, redemptionem, iuſtitiã & ſanctificationem, quum meo nomine factus fuerit peccatũ, vt iuſtitia* Dei *in illo efficerer. Atqui ex promiſsionibus tuis hæc vna eſt quam* Dauidi *ſeruo tuo fecisti, eum ſcilicet beatum fore, qui prudenter de paupere & calamitoſo iudicabit, quique rationem eius habebit: atque illum in ſua calamitate abs te ſubleuatum iri. propterea nobis remenſum iri eadem menſura, qua proximis noſtris menſi fuerimus.* Mihi *certè conſcientia mea teſtatur me ex animo id conatũ fuiſſe.* Et *verò nimium ingratus eſſem, ſi quod eſt tuum turpiter tacerẽ, quaſi ex meo aliquid eſſe videatur.* Itaque, Deus *mi, fretus Chriſto tuo non minus ſecuro quàm ſummiſſo animo abs te petã, vt fiat mihi ſecundũ verbum tuũ.* Hanc *ſanè precationẽ concipere nõ poſſunt filij* Agar *ancillæ, qui merita, ſatisfactiones & liberum arbitrium fabricant: ſed ſolis filijs promiſsionis & gratiæ, filijs* Saræ *liberæ ita precari datum eſt. Quum ſis ex horum numero & ordine, non eſt quòd bona conſcientia dubites has preces fundere, etiam inuito* Sathana *calumniarũ parente, inuito peccato, morte & omnibus inferi portis obſtrepentibus.* Viuat *& regnet* Dominus Ieſus Chriſtus, *qui de his omnibus pro te iam triumphum egit.* Illi *ergo confidas: & te qui volet aggrediatur: ſatis in eo virtutis eſt, qua te protegat & tueatur: non minus etiam amoris pluſquam paterni reperietur: cuius quidem rei habes multa teſtimonia tum ex ſacro eius verbo, tum etiam opere illuſtriſsimo.* Vnum *hoc ſupereſt, vt ſuppliciter ab eo petas quod eſt maximè optandum, nempe vt reipſa ſentias quàm vera hæc ſint & certa, ſicuti facturum ipſum certò ſcimus, etiamſi nullum aliud ſignum extaret, præter id quod in tuũ ſolatium referimus, te ſcilicet in omnibus noſtris precibus quas ſingulari* Dei *beneficio concipimus, nobis ante oculos ſemper verſari, in animis noſtris & linguis eſſe: vt corda noſtra magis inflammẽtur, ex quo de tua neceſsitate certiores facti ſumus. Quum hic ardor proficiſcatur à* Spiritu *ſancto, qui in cordibus noſtris ingemiſcit & clamat, hoc certè indicio eſt*

Pſal.42.a.1

iam

iam nos tuo nomine à Deo eſſe exauditos, vt qui per Iſaiam polliceatur nos antequam clamemus exauditum iri.

Alia eiuſdem Vernutii epiſtola ad miniſtros eccleſiæ Geneuenſis.

Mihi vehementer dolet, fratres plurimum obſeruandi, quòd ego & ſocij mei de rebus noſtris certiores vos facere nondum potuerimus, neque vobis perſcribere quo animo varios inimicorum noſtrorum inſultus ſuſtinere datum ſit, ex quo poſtremas noſtras literas accepiſtis. Nam ſcimus quàm gratum hoc vobis fuiſſet, atque etiam ceſſiſſet in communem omnium ædificationem & vſum: quia in nobis multò luculentius Dei optimi erga vos & pios omnes bonitatis & fidei teſtimonium habuiſſetis, in quo placidius quieſcere, & ardentius quàm vnquam, illi gloriã tribuere vobis licuiſſet, tum in rebus aduerſis tum etiã proſperis, tam in vita quàm in morte. ſed Sathã infeſtiſſimus hoſtis gloriæ Dei & communis omniũm ſalutis, quicquid potuit molitus eſt vt hoc opus impediret: quia minimè dubitat interitum regni ſui inde ſequuturum. Itaque ſuorum opera fecit, vt ſatis diu libris, atramento & charta nudati ſimus. Quid ſi Pater cæleſtis virtute Spiritus ſui nobis non ſuccurriſſet, quum nos deficerent inferiora hæc infirmitatis noſtræ adminicula? certè triſtitia & mœrore confecti fuiſſemus, quia animis noſtris ſuum alimentum ereptum erat: Nos, inquam, dolore obruti iacuiſſemus, qui, Dei beneficio, ſummam voluptatem antea capiebamus ex quotidiana auditione & lectione ſacroſancti huius verbi, & ex Sacramentorum perceptione. Nos procul dubiò ſimiles eramus auiculis in caueam incluſis, quibus nihil apponitur quo ſe nutriant. Etſi enim corpori ſuſtentando ſatis eſſet cibi, quia tamen à ſpirituali cibo ſeparatus erat, nihil aliud quàm nos ſtupidos reddere, adeóque interficere poterat, non id quidem ex ſua natura, ſed potius ex noſtra corruptione, niſi Deus (vt iam dixi) pro ſua bonitate remedium adhibuiſſet. laudetur ergo nomen eius perpetuò. Iam verò deflendum eſt hoc vnum, quod etiam nos grauiter & acerbè cruciauit, nempe Sathanam, ita graſſari, vt qui profitentur ſe eſſe pios, eorum quoque opera vtatur ad vulnerandas miſeras noſtras animas, quantum in ipſis eſt, ac ſimul etiam corpora noſtra: vt munera quibus funguntur, opes, quietem & delicias carnis ſuæ præ-

ferant gloriæ Filij Dei, vitæ æternæ, ac vitæ tum animi tum corporis proximorum ſuorum: alij palàm, alij occultè, nonnulli apertè ac directè, vt loquuntur, alij autem obliquis artibus, & vulpinis fraudibus manus ſuas commaculent, ac polluant innoxiorum hominum ſanguine: quid innoxios dico? quin potius filiorum Dei, & Ieſu Chriſti membrorum innoxio ſanguine. Vtinam ea prudentia & humanitate præditi eſſent, qua multi increduli, qui in extremo iudicio conſurgent aduerſus eiuſmodi Chriſtianos prorſus degeneres, qui ſibi fabricant ſericium quendam Chriſtum, vel eum pro ſua libidine confingunt, & Euangelium ab omni cruce & moleſtia ſeparatum, quique pacis aut induciarum tempore plenis buccis iactabunt ſe eſſe Chriſti: ſed quum ad examen vocantur, & quum opus eſt maximè, coram hominibus turpiſſimè deficient: nec aliud quærẽt vel captabunt quàm curſum reflectere, adeóque pietati renuntiare, vt veri ſint Chriſti carnifices, etiam vbi à mortuis excitatus de morte triumphum egit, quum ſcilicet tanta crudelitate in eius membra ſæuiunt. Hac autẽ querimonia nunc vtor nõ ſolùm, vt quaſi in ſinum veſtrum quidquid fert animus liberè conijciam, quum præſertim in omnibus vos mihi vel iam ad extrema redacto fidos & integros eſſe amicos teſtati re ipſa ſitis: ſed etiam vt ſit quidã velut ingreſſus ad ea vobis exponenda, quæ Deus mirabiliter & pro ſolita ſua bonitate nobiſcum egit, ex quo poſtremas noſtras literas ad vos dedimus, vnde non immeritò me conqueri iudicabitis. Neque verò ſingula referam. nam & temporis anguſtia, & chartæ penuria impedior: neque etiam narrabo quæ geſta ſunt à fratribus mecum hîc vinctis. Quum enim eo toto tempore quo nos Iudices interrogarunt, alij diſtracti fuerimus ab alijs, longè facilius & commodius ſinguli referemus quid ſeorſum quiſque geſſerit. Cùm igitur duodecimo Calendas Septembris, ea Iudicum ſententia qua damnati eramus ad remos, nobis pronuntiata eſſet à Proprætore, ſub horam quartam à meridie in Curiam eductus ſum ad Senatores, quorum impulſu & inſtigatione Procurator regius prouocauerat, tanquam à minima, vt ipſi loquuntur. Summus Præſes iuſſit proferri librum, vt manu admota velut ſanctis Euangelijs, iurarem me vera dicturum: ſed quum animaduertiſſem illic depictum eſſe crucifixum, quem vocant, ſtatim profeſſus

ſum

ſum quid crederem, ac fidem meam planè contrariam eſſe eorum opinioni, quod ad imagines ſpectat. Hìc Craſſus *cauſæ noſtræ inſpector citauit verſiculum illum ineptum ac ridiculum,* Nam Deus *eſt quod imago docet, ſed non* Deus *ipſa.* Ego *verò palàm rogaui, eſſétne materia imaginis, an forma quæ mihi* Deum *referret, ecquid inter vtrũque eſſet ſimile? quid etiam conſentaneum vel affine habeat verus* Deus *cum eo vetulo triplici corona exornato, qualem ipſi pingunt in pulchra illa ſua imagine* Trinitatis? Excipiunt Deũ *induiße hominis perſonam, vel factum fuiſſe hominem. atque ita repentè ſermonem hunc abrumpunt, & dicendi facultatem mihi præcidunt.* Idem *ille* Præſes *quum me accuratius interrogaſſet de meo nomine, de ætate, de patria, & natali ſolo, vbi, & qua de cauſa captus eſſem, quúmque intellexiſſet me vera reſpondiſſe ad rogata ſua, blandè quidem & humaniter, ſed in ſpeciem loqui cœpit, ac primùm* Dei *gloriam mihi proponere: deinde totius* Curiæ *fauorem, & ſingularem erga me beneuolentiam commemorare: magnum me poße proximis meis afferre adiumentum: ſe & reliquos ad negocium hoc tractandum minimè conueniße, niſi ductu & auſpicijs* Spiritus *ſancti, & eo prius inuocato: fas non eße tantum mihi arrogare, vt putem me vnum plus ſapere quàm tot hominum millia, atque regi potius à* Spiritu *ſancto quàm alios mortales: denique hortari & conſulere, vt in ſinum matris eccleſiæ redeam.*

Quærebat inſuper Præſes, *vnde mihi tanta iſthæc audacia, vt ita in* Papam *debaccharer,* Antichriſtum *eum nominans: vt in* Mißam *ſic inueherer, idololatriam eße affirmans, & idololatras, omnes qui eam ſequuntur: quum ſatis conſtet, quod attinet ad* Papam, *quanuis ſit peccator, eius tamen munus à* Deo *eße:* Lutherum *& ſimiles non debere ita illi conuitiari, ſed potius ingemiſcere, non autem ſectas eiuſmodi inuehere, nec turbas excitare: quòd ſi rectè & propriè velimus aptare locos epiſtolæ ad* Theßalonicenſes, & Apocalypſeos, *vbi de antichriſto agitur, ad* Mahometum *referendos eße: non autem ita contumelioſè cum* Chriſtianis *miſeris fratribus noſtris agendum.* Quod *ad* Mißam *ſpectat, tantùm eße ſacrificium gratiarum actionis, & illic eße corpus* Chriſti, *quum id poßit aut velit:*

iuxta illud, Hoc eſt corpus meum: de modo & ratione qua id fiat, inquirere vel ſcrutari noſtrum non eſſe. ac proinde ſtultum & temerarium videri quod ita nos ipſi ea de re cruciemus vel tumultuemur: ſibi compertum eſſe diſsidium inter Lutherum, Zuinglium, & OEcolampadium, ſe legiſſe doctorum noſtrorum libros: ſed mihi potius accedendum eſſe ac ſubſcribendum antiquis doctoribus & ſanctis Cõcilijs: nos porrò nimium audaces in aſſeuerando & iudicando de rebus altioribus, & quæ captum humanum ſuperant. Hæc ſumma eſt quædam ſermonum qui eo die habiti ſunt (vt ego certè memini) non ordine quidem, & eadem ſerie, ſed quatenus reſpondere mihi licebat per ſummi illius Præſidis decretum, & libidinem. Ea enim aſtutia & vafritie vtebatur, vt me dicentem interturbaret, ac ſermonem abrumperet, ſimulatque vel rimulam vnam deprehendiſſe ſibi videbatur, qua ſe putabat elabi poſſe, & argumenta argumentis connectebat: vt tandem coactus fuerim teſtari palàm, mihi opus eſſe memoria planè Diuina, vel Angelica, ſi ad omnia reſpondere vellem. Cæterùm ſi per otium illi placeret me audire vel mihi tempus concedere, quo reſponderem ex ſcripto, me non modò ad ſingula copioſè & apertè reſponſurum, ſed illi ſuppeditaturum alia contra nos argumenta, quæ niſi perſpicuè diluerem, me paratum eſſe ad ſubeundum quoduis genus mortis, cui me addiceret pro ſuo arbitrio. Hoc tamen mihi denegarunt, ac ſimul adiecerunt ſe nunquam tantum fauoris cuiquam alteri conceſsiſſe, vt ea humanitate illum in eiuſmodi crimine audierint. Itaque coactus ſum breuiter, vt referam, obiectiones ſic ſoluere, Principiò me non inficiari, quin conſeſſus illorum eſſet honore quidem dignus. ſed ſi iudicium fiat ab externa ſpecie, tot vrbes, tot populos, tot regna, tot denique eximios eſſe homines, qui ſingularibus tum corporis, tum animi dotibus excellunt, & qui hodie eandem quam ego doctrinam tuentur, iure etiam promereri, vt eodem quo ipſi loco & numero à me cenſeantur: ídque ne moleſtum, vel graue eſſet me orare. Sed interea mihi lõgè aliud fundamentum fidei meæ conſtitutum eſſe, quod planũ ac perſpicuum facerem, ſi per tempus liceret. Citauit illud tritum, Multa habeo dicere quæ non poteſtis, &c: deinde Concilium Hieroſolymæ habitũ. Rogauit vnde, & quo modo perſuaſus eſſem

ſem de Scriptura: addidit in rebus externis conniuendum eſſe & licere Chriſtianis ſe omnibus accommodare. quibus vt abundè reſponderem obtinere non potui. Quod ad Papam *ſpectat, dixi vitam eius documẽto eſſe quænam ſit ipſius doctrina, ſi ad examen verbi exigatur: non quod ipſe doceat. neque enim quadraret ſacræ eius maieſtati, docere ſiue rectè, ſiue perperam: verùm illi ſatis eſſe, modò ſe flammis, & gladio tueatur: eius tamen doctrinam prorſus contrariã eſſe Chriſti verbo, atque adeo euertere ac delere ipſum & eius gratiam: quod illis ſtatim probaui, impietate* Purgatorij, & Satisfactionum *in medium propoſita: quibus capitibus inſtiti, quoad de ipſis palàm conſtaret, quia iam hominis vafritiem & aſtum detexeram, quo proſilire ab equis ad aſinos (vt aiunt) ſolebat.* Exprobrabat *ille nos in hac controuerſia, & alijs ferè omnibus, ex compoſito & perperam ludificari, vel vt ipſe ſuis verbis dicebat, nos æquiuocare in facto: ac perſuadere mundo velle ab ipſis dici quæ minimè dicunt:* Idem *ille* Craſſus, *quem nominaui, locum illum* Pauli ad Corinth. *Quaſi per ignem, &c. citans, ita ſe ridendum propinauit, vt coram ſuis collegis erubuerit.* Quod *ad* Lutherum *attinet, oſtendi, quàm ſanctè ac ſyncerè cum* Papa *ſe geſſiſſet: ac doctrinæ examẽ pertinere ad vnumquemque piorum. itaque multò magis ad plures populos, regna, &c.* Optabam *mirum in modum acrius impetere eorum* Miſſam, *ſed mihi non fuit permiſſum: vnde coact⁹ illos remiſi ad* Miſſæ anatomẽ *à fideliſſimo Chriſti miniſtro, & vigilantiſſimo eccleſiæ paſtore* Petro Vireto *conſcriptã.* Tandẽ *me hortati ſunt, ne opinioni meæ pertinacius adhærerẽ.* Ego *verò excepi, à* Deo *optimo me nõ ita deſertũ eſſe, cuius verbo libenter omnes ſenſus meos ſubiicere paratus eram, atque rem gratiſſimam mihi facturos quoties per otium certò probarent me ab illo vel tantillum deflectere, & hinc etiã poſtridie initium dicendi feci, ac de iiſdem prope rebus diſputatum eſt.* Die *autem* Lunæ *qui proximè ſequutus eſt, nos omnes ſimul conuocati ſumus in* Senatum, *vbi* Dominus *pro ſua bonitate mihi dedit, vt apertè* Iudicum *iniquitatem coarguere non dubitauerim, quòd minus audientiæ facerent in cauſa tanti momenti, quàm ſoleant in qualibet priuata: deinde etiam, quòd nobis ſaltem non concederent illud ipſum quod olim & adhuc hodie in*

eccleſiis repurgatis facilè datur ijs qui palàm ſunt hæretici: nempe vt ad manum habeant arma, quibus inſtructi ſunt Chriſtiani, hoc eſt, ſacra Biblia, & veterum quoque Doctorum, adeóque ſuorum aduerſariorum ſcripta poßint euoluere. Atque hîc conſcientias eorum appellans, quæſiui annon ita nos rogaſſent, vt inter reſpondendum nūquam nobis licuerit vel vnicam rationem copioſiùs explicare, ac multò minus conceſſum fuerit tempus quo plures alias in medium proponeremus: quæ quidem nos impediūt, ne monitis illorum pareamus, niſi velimus eſſe perfidi hypocritæ. Cæterùm à vobis precamur, obſeruandi domini, vt nos excuſetis.

Alia eorundem captiuorum epiſtola ad miniſtros eccleſiæ Geneuenſis miſſa.

Ioannes Vernutius, Antonius Laborierius, Ioannes Trigaletus, Bertrandus Batallius, Guyraud Tauranus, vincti Ieſu Chriſti Domini noſtri, obſeruādis Miniſtris Geneuenſibus, & omnibus fratribus noſtris in Domino vnicè dilectis, Gratia & pax à Deo Patre noſtro, & Ieſu Chriſto Domino noſtro, in virtute Spiritus ſancti, Amen.

QVum Deus optimus maximus pro immenſa ſua miſericordia nos retraxerit ex mūdo hoc corrupto, ac infinitis offendiculis referto, nóſque ſibi in vaſa honoris conſecrauerit, vt ipſius gloria in nobis eluceſcat, & ad illum, & in eius Eccleſiam proximos noſtros adducamus: æquum eſt certè vt ſedulò ſummáque diligentia caueamus non ſolùm ab omni ſcandalo, ſed etiam ab omni ſpecie mali: contrà verò tāgamur ſeriò, & eo zelo domus Dei noſtri feramur, vt omnino ardeamus & abſumamur, ídque exemplo Dauidis, qui ſpeculum eſt omniū piorum: vel potius capitis noſtri & ducis Ieſu Chriſti, quem ille nobis adumbrauit. Omnibus tamen ſeculis, atque etiam hodie Sathan ita graſſatus eſt in mundo, & ſic vbique ferè dominatur, vt quātunuis ſtudeant pij Dei cultores, & ſolicitè dent operam ne quemquam offendant, ſed potius vt omnes ædificent: hoc tamen cōſequi non poſſunt vt decet, & vellent etiam per Spiritum regenerationis, qui habitat & regnat in ipſis: quemadmodum videmus in Abraham patre credētium, in Loth, Dauide, Rahab & alijs fidelibus, qui eò ferè proruperūt tum Sathanæ malitia & eius mancipijs, tum etiam propriæ carnis infirmitate, vt aliquando obliquis rationibus vſi ſint, & impetu quodam abrepti, quô ſcilicet ad aliquem rectum finem peruenirent. Hoc modo certè Dominus

nus

nus illos erudire voluit & nos eorum exemplo inſtituere ad humilitatem, & timorem: tantum abeſt, vt miſeræ carni noſtræ puluinar aliquod ſupponere voluerit, cui ſuauiter indormiat: vel vllam occaſionem præbere, qua exultemus in his rebus quæ non licent, vt potius coram eius bonitate contremiſcamus, quũ pro ſingulari fœdere (quod dignatus eſt paciſci nobiſcũ, qui ſumus cadauera putida, & miſeri homunciones) tãta humanitate & indulgentia nos tractet. Iſta quidẽ à nobis dicũtur, fratres obſeruandi & vnicè chari, nõ vt facilè nos excuſetis, vel noſtræ ignorationi, & debilitati indulgeatis, quæ proculdubiò manant à nimia incredulitate, ac diffidentia immenſæ ſapiẽtiæ & prouidentiæ pluſquam paternæ Dei *noſtri optimi, ſapientiſſimi, & potentiſſimi, qui nouit abſque vllis medijs operari, atque etiã contra omnia media: ſed vt miſericordia cõmoti* Deũ *ꝓ nobis precemini, literíſq; veſtris nos conſolemini, & noſtro diſpẽdio diſcatis vos exercere in perpetua meditatione huius tã ſanctæ & admirabilis* Dei *prouidẽtiæ: ac deteſtemini ſceleratos iſtos nebulones, qui conantur euertere caput fidei noſtræ adeò vtile, neceſſariũ & quod nos experti ſumus ipſi fortiſſimũ eſſe ꝓpugnaculũ & inuictiſſimũ cõtra oẽs hoſtiũ impetus: ſed nõ ſemper tamen æquali menſura fidei: quæ quidẽ cauſa fuit, vt quadã obliqua ratione alicubi coacti fuerimꝰ vti, quẽadmodũ copioſius narrare poterit hic frater qui vobis has literas reddet: & nos etiã breuiter aliquid attingemus: nẽpe quũ rogati ſumus, an non vnus ex nobis concionatus eſſet* Barbottæ, Feneſtellæ, *& in alijs vrbibus, ac præſertim die* Paſchatis *in prato quodã: annõ etiam cognoſceremus* Barbam Paulũ, *& alios multos quos nominarunt ex literis quas* Præſes *Gratianopolitanus ad illos ſcripſerat de hoc negotio, & omnibus cœptis vel ſaltem maiori parte eorum quæ boni illi viri, & fratres noſtri ſuſceperant: nos planè & vno verbo negaſſe factum, & nihil horum omnium nouiſſe.* Id *autẽ non fecimus niſi à fratribus perpulſi, ídque cum gemitu & precibus ad* Deũ *optimũ effuſis, quas ſimul cũ fratribus illis concepimus ac ſupplices obtulimus: atque velut in trutina accuratè expendimus (quantum ſcilicet iudicij noſtri tenuitas ferebat, vtrum ex duobus malis minus & leuius foret, vel palàm mentiri) vel gladio interimendos tradere, ac ignibus exponere tot bonos viros iam ſenes, tot mulieres & pueros: adeò vt* Paſtores *ipſi quodam-*

Valdenſes qui ſunt in Pedemontio miniſtros Verbi Barbas vocant. q. d. patruos.

modo carnifices eſſent ouium ſuarum, pro quibus ne vitæ quidem parcere deberent. Quàm grauis & acerbus hic erat dolor! Certè fratres nobis chariſsimi, quũ de obijciendis ad mortem coporibus noſtris tantùm agebatur pro fidei confeſsione & pietate tuenda, Deus vnà cum tanto honore hanc quoque gratiam addebat, vt in ipſo lætaremur & Pſalmos concineremus: hoſtes verò noſtri ægerrimè ferrent, & in rabiem agerentur. ſed quum nobis renuntiatum eſt de his capitibus nos interrogatum iri, quia id vrgebat ille, quem dixi, ſummus Præſes, qui in medium proponebat quæ iudices noſtri libenter tacebant, tametſi nõ deeſſet illis occaſio inquirendi propter eas quas ferebamus literas, fatemur tum demùm nos valde attonitos fuiſſe. neque enim occurrebat quid cogitaremus, nec quid facto vel dicto opus eſſet. Nam ſi tãtum ſubeunda nobis fuiſſent tormenta omne genus, caro quidem fremuiſſet, ac ſuo more fuiſſet tumultuata, ſed ſpiritus eam viciſſet: iudicio tamen noſtro hoſtes minimè ceſſaturos proſpiciebamus: & quãtumuis diros cruciatus perpeti ſtatuiſſemus, noſtros in vitæ diſcrimen venturos, quia ſi palàm affirmare nõ dubitaſſemus quod rogabamur, Grationopolim tracti fuiſſemus, & illic tormentis excruciati, teſtes nobis obiecti, adeóque in locum ipſum deducti. In hac tam graui anxietate, decreuimus omnes quidquid peteretur pernegare, recumbentes nihilominus in Dei prouidentiam, & confiſi eius auſpicijs & ductu, qui rationibus nobis incognitis vti poteſt. Iam totum hoc negocium ita moderatus eſt, vt hæc tempeſtas aliqua ex parte ſedata fuerit, vt amici quoque dicerent omnia fœliciter ceſſura: & nihil ſupereſſe præter ſententiam qua Iudices nos damnent ad remos, ſicuti etiam hic frater vobis narrabit. Interim Deo optimo gratias agimus pro ſua in nos bonitate, atquẽ adeo in noſtra viſcera, hoc eſt, miſerum noſtrum gregem: & precamur ex animo, vt eam proſequi dignetur, ac in dies augere pro ſua promiſsione & qua ſolet vti ratione erga ſuos omnes. Quod autem attinet ad id quod ex noſtra corruptela permixtum fuit eius prouidentiæ & operi, ne in iudicium contra nos deſcendat: ſed nobis hoc, & alia tot ſcelera remittat, nomine Filij ſui Ieſu Chriſti: ac nos Spiritu ſuo ita refingat, vt quietis animis ardentius ipſum colamus, & reijciamus quidquid eſt ex noſtro ingenio: ac placidè ſinamus

nos

nos regi eius arbitrio & volũtate. Si verò nos caſtigare tanquam filios viſum fuerit, potius remis perpetuis addictos & Iudicum ſententia mancipatos vitam tranſigere permittat, aut alio quouis modo curſum noſtrum conficere: tantùm nos percutiat & domum patrum noſtrorum, & huic populo parcatur, nos potius in profundam abyſſum detrudat. Sed Domine, fiat voluntas tua: miſerere noſtri, & ouiũ paſcuorum tuorum, quas curæ noſtræ commiſiſti: non aliter quàm propriam animam nobis dediſti. Quod Petro dicebas, auribus noſtris & cordibus ſemper inſonet, Petre amas me? Paſce oues meas. Moſis charitas, Pauli, atque etiam Ieſu Chriſti perpetuò nobis ob oculos verſetur. quod nobis ipſi petimus, vobis quoque idem precamur fratres vnicè dilecti, ac præſertim vobis optimi patres in Chriſto, & chariſſimi maximéque obſeruandi Paſtores eccleſiæ ipſius: obſecrãtes vos vt pro nobis viciſſim precemini, quemadmodum nos ex animo vobis cõmendatos eſſe cupimus. Poſtremis autem literis quas ad nos ſcripſiſtis in præſentia non reſpõdemus, quia paulò pòſt quàm nobis redditæ fuerunt, eas abſtulerũt amici, ne ab illis inuenirẽtur qui omnia excutere debebant vt magna tũc erat ſuſpicio. Huc etiam accedit, quòd diſceſſum ita maturare cogebatur qui noſtras vobis perfert, vt coacti quoque fuerimus ſcribendi finem prius facere quàm optabamus. Gratia & dilectio Dei Patris noſtri optimi, per Dominũ & Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum eius Filium, in communicatione Spiritus ſancti ſit perpetuò cũ omnibus vobis, Amẽ. ex carcere Cameriaci 18. Cal. Auguſti. Veſtri obſeruantiſſimi fratres iam antea nominati.

Gratia, miſericordia & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto, virtute Spiritus ſancti vobis multiplicetur.

LIteras tuas, obſeruande domine & pater in Chriſto Ieſu Domino noſtro, Nonis Sept. accepimus, quæ nobis maximũ ſolatium attulerũt. nã veſtrum, & fratrum omnium ſingularem erga nos amorem teſtantur, quòd ita malo noſtro ſecundum carnem condoleatis, vt interim noſtro bono ſecundũ ſpiritum lætari non deſinatis, cum lachrymantibus ſcilicet lachrymas fundentes, & cum ridentibus etiam ridentes: vnde magnas vobis gratias agimus. Quòd ad nos attinet, quanuis ex animo lætemur, quia Dominus pro ſua bonitate nobis largitur vnde ſanctam lætitiam capiatis, licet abiecti, deſpicabiles ac miſeri homunciones ſimus, nobis tamen dolet quòd noſtro nomine tot moleſtias & labores vos, & tot illuſtres viri, adeóque tota eccleſia, feratis. Quanquam

multæ ingemiſcendi occaſiones nobis quotidie offeruntur: illa tamen poſtrema non eſt, ita vt optemus, & precemur à Deo optimo, vt vos breui liberet ab ea anxietate, qua diſtringimini aſsiduè propter vincula quibus conſtringimur, quacunque ratione ipſi viſum fuerit. Si per mortem id efficiat, commodo noſtro cedet. Tantùm ab eo petimus, vt hunc in nobis affectum magis augeat, quem ipſe pro ſua liberalitate dedit. nam hoc modo eripiemur ex multis carceribus ac vinculis longè etiam grauioribus, quàm ſit hæc turris qua nunc concludimur. Si verò alia ratione nos velit ereptos, vt votis eorum ſatisfaciat, qui noſtram ſortem multò acerbius ferunt, quàm ſimus promeriti, id certè fieri ita cupimus, vt illorum expectationi & veſtræ reſpondeamus, nempe vt magis quàm vnquam nos addicamus celebrando eius ſancto nomini & impendamus ædificandæ ipſius Eccleſiæ. Sæpius igitur cum Dauide exclamamus, Domine Deus exercituum, ne pudefiant in me qui in te ſperant ac recumbunt, & qui te quærunt, ne pudore ſuffundantur in me, Deus Iſraël. Nunquam huius vitæ vmbra fruamur, niſi ea lege, quū pro ſua bonitate eò nos adduxerit, vt nobis exire liceat è medio huius generationis peruerſæ & adulteræ, in qua tot blaſphemijs proſcinditur, vt horrorem ſola cogitatio incutiat: vt ſcilicet pergamus ad canendas illi perpetuas laudes in beatorum cœtu: atque vehementer a vobis petimus vt veſtris precibus apud Deum nos iuuetis, quò ſimus huius voti compotes, & quum ad eccleſias quæ ſunt Lauſannæ, & Neocomi ſcribetis, vt ad idem præſtandum incitetis, & gratias etiam agatis ob ſingularē erga nos beneuolentiam, de qua quidem, & veſtra minimè dubitamus, ſed nobis dolet, quòd illi reſpondere non poſsimus: & tamen ad id enitimur, & ſupplices Deum optimum oramus, vt vobis remetiatur & cumulet tot beneficia tum corporis tum animi, quæ in nos tanquam veri parentes & nutritij noſtri, conferre non deſinitis. In quo certè ſatis experimur ſuauem illam Filij Dei promiſsionem, qua pollicitus eſt, quicunque deſeruerit domos, vel fratres, vel ſorores, vel patrem vel matrem, vel liberos, vel agros ipſius & Euangelij nomine, accepturum in hoc ſeculo centuplum, & cum afflictionibus domos, & fratres, ſorores matres, liberos & poſſeſsiones: atque in futuro ſeculo vitam æternam conſecuturum. Quum hic & alibi ſæpius illum eſſe veracem, & ſibi conſtare in ſuis promiſsis experti ſimus, an non pluſquam ingrati eſſemus, & omni probro digni, niſi fixum & perſuaſum nobis eſſet quod ſcribitur in clauſula Pſalmi xlviii, Hic Deus, Deus noſter in ſeculū & vſque: ipſe deducet nos vſque ad mortē. Ex his quæ perſtrinximus iudicare poteſtis quo ſimus animo, quæ Dei optimi ſumma eſt gratia, & liberalitas.

Sequuntur aliæ quædam epiſtolæ inſignes & conſolationis plenæ ex multis ſelectæ, quas ſinguli priuatim ad ſuos cognatos, vxores & amicos ſcripſerunt.

Ac prima eſt Ioannis Vernutii ad ſororem ſuam, M. D. B.

Dominus

Dominus Deus noſter faxit, vt reipſa ſentias, non abs re ipſum vocari Patrem miſericordiæ, & Deum omnis conſolationis, nomine Domini noſtri ac Redemptoris Chriſti. NB.

QVum ſatis conſtet, Soror chariß. nos coronam conſequi non poſſe niſi ritè certauerimus: operæpreciũ eſt nos ſæpe ac diligenter moneri quibus cum hoſtibus nobis ſit negotium ac certamen, & quæ ſint eorũ artes & aſtutiæ ad nos impetendos. Et *verò magna pars eſt victoriæ, hoſtem nouiſſe, cum quo manus conſerendæ ſunt.* Omnes *quidem tenent nomen inimicorum communium generis humani: ſed perpauci ſtudent multiplicem eorum malitiam cognoſcere, vt ſeriò illis reſiſtant. nemo certè penit⁹ eã poteſt animo cõplecti, ac multò minus verbis explicare. nam ſi ſolus eſt* Deus, *qui profundã carnis malitiã ſcrutari poßit, i. corruptæ & peruerſæ cordis humani naturæ, & ſenſuum hominũ: ecquis tot aſtus & fraudes huius mundi ſuperet, quem pronuntiat* Ioãnes *poſitum eſſe in malo, &* Sathanæ, *quem* Paulus *vocat cum tota eius coborte nempe omnibus malignis ſpiritibus,* Poteſtates, Principatus, Rectores *mũdi, tenebrarum huius ſeculi,* Malitias *ſpirituales, quæ ſunt in cæleſtibus, nimirum in aere?* Quòd *ad nos ſpectat, licet hæc ſcientia captum noſtrũ excedat, vult tamen* Deus, *vt quotidie in ea nos exerceamus, quò ſcilicet in nobis humiliati, & destituti omnibus noſtris viribus quas in nobis eſſe imaginamur, ad ipſum erecti in potentẽ eius manũ tutò recũbamus.* Iam *inter diaboli innumeras aſtutias, & aliorum hoſtiũ, quibus tanquã organis vtitur, hæc maximè notãda eſt &* Dominus *ad eam meditandam magis quàm vnquam te adigit, propoſitis pœnis quas tibi infligere in dies pergit, nempe quacũque ratione* Pater *ille optim⁹ filios ſuos tractet, vt ad ſe propius adducat: callidum hunc & vafrum ſerpentem eniti, vt ipſos quàm longiſſimè abducat.* Si Deus *bona nobis largiatur, quibus teſtatur paternum ſuũ erga nos amorem, vt corda noſtra quæ obduruerunt frangat vel emolliat,* Sathan *vtetur propria carne noſtra, ſicuti* Dalilæ *opera vſus eſt aduerſus* Sampſonem, & Bethſabæ *contra* Dauidem, *vt nos hîc ſopitos & torpẽtes detineat & faſcinet, quò deſeramus* Deũ *qui cõtulit vt beneficijs illius fruamur, adeóq; bellum cum ipſo geramus.* Si Deus *flagella ſua in nos explicet, vel poti⁹ adhibeat remedia ſanãdis animorũ noſtrorũ morbis apta:* Sathã *hîc ꝑſuadere conabitur, hũc optimũ* Patrẽ *nobis infeſtũ eſſe hoſtẽ, atq; ita nos impellere, vt illi obſtrepamus & fremam⁹ cõtra eũ ac*

*ſi crudelis eſſet tyrannus.*Itaque *ſi fides hoſti noſtro, qui mendaciorum eſt pater, habeatur, nunquam* Deus *nos amore proſequitur vtcunque nos tractet, & quocunque modo nobiſcum agat.* Quum ex verbo Dei, *quod eſt ipſamet veritas, ſciamus vaferrimum hunc hoſtem ita mentiri, quum etiam, vbi patri noſtro* Adamo *fore ipſum æqualem, vel ſimilem* Deo *promiſit: è contrario ſibi reddidit ſimilem, dum in idem ſecum exitium pertraxit: ſedulò nobis cauendum eſt, ne illi fidem adhibeamus ſed infinitis illis miſerijs, quas in nobis ipſis ſentimus, & in alijs quoq; cernimus mendacio iſtius perditi hoſtis, cautiores ſimus in poſterum, & noſtro diſpendio ſapiamus, vt autem id facere poſſimus, aſsiduis precibus petimus à* Domino, *vt carnis noſtræ iudicio nos exuat, & nobis det aliud, nempe ſpirituale per* Ieſum Chriſtum *qui illud cum omni donorum genere accepit, vt nobis communicet.* Deinde *ipſum audiamus loquentem in ſacris ſuis ſcripturis, quas velut literas è cælo miſit, vt à mendacijs & præſtigijs diaboli nos abſtraheret, ac deduceret ad omnem veritatem.*Illic *autē clarè docet, quicquid nobis accidat, vt primùm ad ſe oculos ſemper erigamus: ac præſertim quod ad res aduerſas ſpectat, quæ vidētur parum cōgruere eius naturæ, certò ſimus perſuaſi ab ipſo manare & proficiſci: non quòd inde oblectetur, vel capiat vllam voluptatem: ſed vt guſtum aliquem hominibus præbeat eorum, quæ palàm editurus eſt vltimo die, nimirum ſe iuſtum eſſe mundi iudicem, cui iuſtitia ſeriò ſit cordi, & iniuſtitia ſummo odio: ídque non modò vt magis inexcuſabiles reddat incredulos, ſed etiam vt pijs omnibus in maius bonum cedat.*Nam *teſtatur ſe pœnas his infligere, non odio aliquo, ſed potius quia ipſos ſummo amore proſequitur: cuius quidē rei locupletiſſimus eſt teſtis vnigenitus eius* Filius, *quem demerſit in* „*abyſſum omnium miſeriarum, quibus erant obnoxij, imò ferè obruti, vt* „*eos inde extraheret.*Rebus *etiam aduerſis, quæ ſunt peccati fructus,* „*vult ſuos ad odium peccati adducere, atque ita excitare, vt ardentius* „*confugiant ad gratiam* Ieſu Chriſti: *quò ſcilicet ipſe ab eius tyrannide* „*vindicet, & in libertatē aſſerat.*Vult *quoque dum in afflictione expe-* „*riuntur qualis ſit ira* Dei, *etiamſi minimum ex ea ſentiant præ impijs.* „*qui perpetuò diris cruciatibus obruētur, vt tāto alacriori animo grati-* „*as agant optimo illi* Saluatori, *qui eos à tam tetro & horrēdo gurgite*

liberauit,

liberauit: quum exhauſit illorum nomine calicem iræ Diuinæ: *& qui etiam ita ſanctificauit ac benedixit eorũ miſerias in cruce ſua, vt feliciter illis cedant, quia erudiuntur hoc modo ad magis ſeriam reſipiſcentiam, humilitatem, fidem & agnitionẽ gratiæ* Dei, *& virtutis eius in medijs ſuis certaminibus: auocantur quoque ab illecebris, & vanitatibus huius mundi, vt magis ſedulò meditentur beatã vitam, & ex animo ad eam aſpirent.* Iam *capiti ſuo* Ieſu *Chriſto conformes redduntur, non ſolùm quòd patiantur & moriãtur ſicuti ipſe primus, ſed etiã quòd hac ratione ſanctificationem ſuã illis cõmunicet, vt ſint ſancti, quemadmodũ ille ſanctus eſt: atque vt his duabus velut vijs, nempe crucis & ſanctimoniæ, cum eo lætitia illa cæleſti fruantur, & vitam æternam obtineãt.* Hi *ſunt certè præclari & ſuauiſsimi fructus, qui ex hac beata cruce ad nos redeunt.* Sed Iacobi *exhortationẽ ſequuti, petamus à* Domino *hanc ſapientiam, nempe felices nos eſſe ac ſolidam lætitiæ materiam ſuppetere, quum in varias tentationes & miſerias incidimus.* Tum *demum inuita carne noſtra & reluctante ſtatuemus cum* Dauide: Domine, *bonum eſt ac vtile quòd me humiliaueris & afflixeris, vt diſcam ſtatuta tua.* Si *tantus vir hoc remedio opus habuit, quid nobis fiet?* Quanta *in nobis, quæſo, eſt ſocordia & torpor in cognoſcendis & capeſſendis* Dei *mãdatis? imò verò quàm bruta ſtupiditas prodigioſæ ſuperbiæ coniuncta, qua* Deo *loquenti obſtrepimus, & inſanæ etiam contumaciæ, qua illum velut cornu petere, adeóque ei bellum inferre non dubitamus?* Qualis *donorũ* Chriſti *contemptus? quanta ingratitudo: quàm furioſè vanis mundi illecebris abripimur à ſancta cæleſtium bonorum meditatione?* Quicunque *maiores progreſsus fecerunt in ſalutis doctrina, multò melius quod dico experiuntur, atque acerbius ingemiſcunt, exoptãtes ſolidã mortificationem carnis ſuæ, in qua eiuſmodi monſtra reſident, & eos etiam cõſtrictos tenẽt, velut miſerrima quædã mancipia, quantiſper hîc repunt in terra.* Quum *ita ſit,* Soror *mihi chariſs. rogo te, quia ſẽtimus quàm ſit nobis neceſſe domari ac ſubigi nos hac ſancta cruce, vt æquo animo feramus moleſtias omnes, & ferulas quas nobis optimus* Pater *infligit, quò iſtas abominationes caſtiget, quæ nobis & oculos & cor configunt ac vulnerãt, niſi pluſquã ferrei, vel elephãtiaſi & paralyſi*

ſpirituali ſimus correpti: adeò vt dum nos fide in Chriſtum iuſtificatos ſentimus, ipſi gloriemur ob illos quos dixi fructus, & innumeros alios quos inde percipimus. Atque vt melius expendamus, & æſtimemus felicem noſtrum in afflictionibus ſtatum, videamus è contrario quàm miſera ſit omnium incredulorum conditio, quibus noxiæ ſunt res aduerſæ, quia tanto grauius illis exitiũ afferent, quòd moniti non reſipuerint, ſicuti Deus ipſos cô inuitabat. Ad manum percutientis, inquit Iſaias, non reſpexerunt. Duplex eſt præterea diſcrimen inter noſtras & eorum calamitates nempe quòd noſtræ temperantur pro menſura fidei noſtræ, & fortitudinis, quam contulit nobis Deus ad eas conſtanter ferendas: illorum verò miſeriæ carent menſura. Nam vt ſunt contra Deum peruicaces, & peruerſè cum eo agunt: ita Deus mercedem illis rependit ſua peruicacia & obſtinatione dignam: & quemadmodum in horrendam ſcelerum omnium licentiam ſine modo ſeſe proijciunt: ita modum non tenet in exigendis pœnis de illorum ſceleribus: vt induciæ etiam ipſe, quas per res proſperas concedit, in grauius exitium illis cedant. Deinde, quòd miſeriæ noſtræ temporales ſunt, eorum autem perpetuæ. Quid maius nunc expetimus? Deus nos maximo noſtro bono affligit: Deus non caſtigat durius quàm ſimus ferendo: Deus finem malis omnibus noſtris imponet, & lætum exitum dabit. Plura huius rei confirmandæ teſtimonia tibi proferrem: ſed quia præter expectationem meam cogor ſcribendi finem facere, tantùm hoc vnum addam, quo facilè poteris incredibilẽ piorum felicitatẽ cognoſcere. Omniũ miſeriarũ, quibus obnoxij ſunt homines, grauiſſima eſt mors, & acerbiſſima. Dominus tamẽ pronũtiat mortem ſuorũ eſſe ſibi pretioſã. Quod ita miſerrimus ille Pſeudopropheta Balaã perſpexit, vt morte iuſtorũ interire optauerit, & vltimũ ſuũ exitũ illis eſſe ſimilẽ. Nos igitur qui filij Dei ſumus, quidnã metuemus: annon perbeati ſumus, etiã quum mundus ipſe, & caro noſtra infeliciſſimos nos eſſe iudicant? Nos itaque Soror chariſſima, in Deo optimo lætemur, in ipſo gloriemur, ſiue nobis penuriam, morbos, carceres & vincula, vel quaſcunq; alias calamitates immittat, ſiue beneficia in nos cõferat. Inuito Sathana, conuertamus hoc totum in noſtram vtilitatẽ, vt ſcilicet tanto magis eius obſequio ſimus addicti. Quũ nobis omnia fluunt ex voto in timore

Diſcrimen inter calamitates pior. & impior.

timore,& ſolicitudine ambulemus,ne frænum inſanæ libidini noſtræ laxemus.contrà verò in rebus aduerſis ita nos corã ipſo cum vera reſipiſcentia deijciamus,vt interea ſynceris precibus ad eum cõfugere nõ dubitemus, certò perſuaſi nos exauditum iri, & eum nobiſcum eſſe dum affligimur, & audacter inſultemus omnibus noſtris hoſtibus, qui ſuadere nobis conantur nos ab ipſo deſertos eſſe. Si Dominus *dederit vt de hac re tibi ſcribam,vel etiam vt coràm præſens dicam plura,id certè libenter & ex animo faciam.ſancta eius voluntas fiat.* Et *quemadmodum virtutem ſuam ſic in me exeruit vt quodammodo ipſi reſpondeam,ita dignetur opus ſuum ad finem vſque proſequi:& verò mihi nõ eſt dubium,quin hoc efficiat.Quum dignatus quoque fuerit ſe totum mihi dare in perſona* Filij *ſui, ego me prorſus illi addictũ iure profiteor,ſiue nunc viuã ſiue moriar.*Me *hoc toto tẽpore quo vinctus hîc ago,leui morbo corripuit,nempe cõtinuo ſanguinis fluxu,qui nõdum ſiſti potuit.Qualiſcunque tandẽ ſit exitus,mihi maximo vſui futurum ſpero.eſt enim* Pater *meus optimus,& pro immẽſa bonitate ſua tot ſignis id obſignauit, vt meritò filium illi obſequẽtẽ & morigerum præbere me debeã,& vehementer mihi doleat quòd melius erga ipſum non defungar.huic morbo dignetur mederi.*

Ep*iſtolæ quædam* A*ntonij* Laborier*ij ſumma pietate & doctrina refertæ,ex his decerptæ quas ad vxorem ſuam ſcripſit.*

Dilectio Dei noſtri & Patris optimi,gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & virtus Spiritus ſancti tecum ſit perpetuò, Amen.

PRoximo die Dominico,*ſoror vnicè dilecta,ad te ſcripſi copioſè, vt* Deus *pro ſua bonitate res noſtras regat & moderetur: ſed ſuſpicor literas meas tibi redditas non fuiſſe.*Hic *bonus frater qui tibi meas perferet,mihi pollicitus eſt ſe inquiſiturum an illæ ſint adhuc in vrbe,& daturum operã,vt eas tibi reddendas curet.* Itaque *nunc minimè repetã quæ illic cõplector. huc accedit quòd ex eo melius intelliges quicquid hactenus factũ fuit,quàm ego poſſum ſcribere.*Sathã *ꝑ ſuo ingenio conari nõ deſinit,vt* Dei *opꝰ impediat,dũ nos acrius quã vnquã impetit.*Sed Deꝰ *eò fortiores nos reddit,vt illi ſtrenuè reluctemur:non quòd deſint multæ infirmitates quibus cincti obſidemur, & horrendã carnis noſtræ corruptelã experimur, dum pluſquã vellemus*

Dominum Deum noſtrũ offendimus. Verùm miſericordia & bonitas Dei noſtri malitiam noſtram ſuperat, vt virtute Spiritus ſui in nobis operari non deſinat: & ſemper magis ac magis animos noſtros inflã-met ad mortem pro ſacroſancto ſuo nomine tuendo libenter oppeten-dam. Ex quo quidẽ fauore ſingulari ad nos incredibilis fructus redit, cùm ſcilicet conatus, turbas, & perturbationes cernimus quibus Sa-than cum ſuis flabellis diſtringitur, iure poſſumus illum cum ſuis ride-re, qui nobis bene conſcij, tranquilla mente & pacata fruimur, certò perſuaſi de prouidentia Dei Patris noſtri, qui non ſinet vel pilum v-num è capite noſtro præter voluntatem ſuam defluere: & quod maius eſt, hac confidentia præditi, vt permiſſurus non ſit quidquam nobis ac-cidere, niſi quod in bonum noſtrũ & ſalutem cedat, in Eccleſiæ ſuæ æ-dificationẽ, & regni ſui progreſſum, deinde vbi gratiam quam Deus nobis confert ſeriò agnouimus, iam parati ſumus ad obſequium eius voluntati præſtandum, ſiue moriendum, ſiue nobis viuendum ſit. Sa-than ergo moliatur quidquid libuerit, & eius flabella furore crepent, ac inſaniant ſi velint. poſtquam ſibi Chriſtus nos acquiſiuit & ſibi coniunxit ac Patri ſuo: neque Sathan ipſe, neque eius carnifices vn-quam poterunt nos ab illo diuellere, ac multò minus ex ipſius manu rapere. Nam quantumuis debiles ſimus, in Chriſto tamen omnia poſ-ſumus, qui vt nobis dedit virtutem, qua nomen ſuum intrepidè palàm confiteamur, ita etiam vires ſuppeditabit, quibus pro ipſo patiamur, ídque pro ea quam voluerit menſura. Nihil eſt prorſus in mundo, quod nobis propoſitum hãc lectionem ex memoria, Dei beneficio, deleat vel obliteret. Te igitur vehemẽter rogo, vt hæc tibi ſint ſolatio, & viciſ-ſim bono etiam ſis animo & forti, confiſa promiſſionibus capitis, ac du-cis noſtri, vt eius gaudio fruaris mecum, & lætitia noſtra in ipſo com pleatur. Gratias ago Deo noſtro optimo qui me literis tuis plurimum conſolatus eſt, atque etiam magis poſtquam mihi ab hominibus huius ciuitatis, qui te iſthic viderunt, renuntiatum eſt de ea quam tibi largi-tur Deus, conſtantia. Peto abs te vt agnoſcas ſummum hoc benefi-cium ex ſingulari Dei dono proficiſci & fluere, ideóque, magis te ex animo deiicias, & totam addicas in eius obſequium: quò ſcilicet amo-rem erga te ſuum, & gratias proſequatur. Verè enim teſtari poſſum,

etiam

etiam ſi nullum alium fructũ mors mea proferret vt Deo *fauente prolaturam ſpero) niſi quòd te velut dormitãtem excitauerit, ſicuti ad me perlatum eſt, ad maiorem gratiarum* Dei *agnitionem: hoc ſolum ſatis ſupérque eſſe, quò pergam alacriter ad mortem ſubeundam.* Oro *autem* Deum *optimum, vt rectum hoc & ſanctum initium in te perficiat, & ad ſe magis ac magis te deducat virtute* Spiritus *ſui.* Iam *non dubito, quin memoriæ mandaueris quod ſuperioribus meis literis ad te ſcripſi: ac præſertim vt ſyncerũ* Dei *timorem ob oculos ſemper tibi proponas, & reuerenter, atque etiã ſummo ardore ſacroſanctũ eius verbum amplectaris: & iterum* Dei *nomine hoc ipſum abs te peto.*

P*rimis meis literis, quas ad te, ſoror & coniunx mihi chariſſ. & fideliſſima, dedi, quũ adhuc domi* Prætoris *eſſemus, vbi vincti primùm ſtetimus, tibi ſcripſi me daturum operam, ſi* Deus *cõmoditatem vllam mihi concederet, vt quid factum velim de his quæ in patria reliquimus bona, copioſè intelligeres,* Deus *autem, quæ eſt ſingularis eius gratia, voluit vt exiguum hoc chartæ folium in manus meas inciderit, quô ſcilicet id nunc efficere. vnde gratias ago* Deo *optimo, & vt idem præſtes, abs te peto vehementer. Quid huc vſque contra nos actum fuerit iam intellexiſti.* Nunc *verò ſcias nos die* Mercurij *proximo ad* Iu*dices noſtros iterum deductos fuiſſe.* Et *interim ſic* Deus *nobis ſemper adfuit, vt in nominis ſui confeſſione perſtemus. hoc tempore in horas expectamus, dum ad ſupplicium trahamur.* Alium *enim cauſæ noſtræ exitum minimè ſperamus, quidquid rationum vel opis homines excogitent vel inquirant.* Te *igitur rogo, vt aſſiduis precibus nos* Deo *commendes, quò nobis inuictã conſtantiam largiatur, vt ſcilicet quod in nobis cœpit, opus abſoluat.* Quod *ad me attinet, tibi quidem poſſum affirmare, nũquam me quidquã in mũdo magis expetiuiſſe, quàm pro tuenda hac cauſa mortem oppetere deſiderem, ſi mihi* Deus *tantum hoc beneficiũ contulerit, & ego iam* Dei *gratia ad id paratus ſum, & credo neminẽ eſſe ex fratribus meis, & ſtrenuis cõmilitionibus qui tantundẽ profiteri nõ poſſit: hæc ad te ſcribo, vt agnoſcas & feriò ſentias quantũ in nos gratiarũ* Deus *conferat.* Et *peto abs te quàm poſſum maximè, vt toto vitæ tẽpore cognoſcendis his beneficijs, & ſæpius memoria repetendis operã tuam impendas, & re ipſa demonſtres tibi*

fuiſſe maritum qui in numerum filiorum Dei *cooptatus eſt. diligenter autẽ caueas, ne* Chriſti *ſententia in te competat, nẽpe duos in eodẽ lecto dormituros, vnum verò incolumẽ & ſaluũ fore, altero prætermiſſo.* Sed ex *animo des operã diſcendæ & amplectẽdæ vnicæ* Dei *voluntati, vt illi tota vita obſequaris: te totã* exerceas *in eius timore & reuerentia, & agnoſcas tot beneficia, quæ ex mera ipſius gratia accepiſti, quô ſcilicet eius filia maneas, & cenſearis, ſicuti ſemper eo velut ſigillo agnoui te obſignatã: & aliquando tandẽ mutuo aſpectu frui poſſim⁹ in illa gloria, ad quã nos* Chriſtus *inuitat. Scis porrò te adhuc eſſe iuuenẽ, ideóq; priuata ſocietate mea (ſi* De⁹ *ita voluerit maximo noſtro bono) te ipſam in eo ſolare, &* Chriſtum *loco patris tui, & mariti ſuſcipe, donec alium tibi dederit: & certò perſuaſus ſum te ab illo minimè deſertum iri, ſed reb⁹ tuis lõgè meli⁹ proſpecturum, quàm tu ipſa poſſis optare. Aſſiduè igitur eum ores, diligas, metuas & ore & facto: adſis ſacris concionibus, improba conſortia deuites, & cum pijs omnibus* Dei *cultorib⁹ libẽter verſeris, vide ne quid ꝑ tuo arbitrio geras, ſed omnia de ſentẽtia, & cõſilio amicorũ noſtrorum ſuſcipias, quos eodẽ in te animo eſſe atque in me ſẽper experta es: ac præſertim* D. Caluini, *qui non ſinet vt reb⁹ tuis malè cõſulatur, ſi eius monitis pareas: quod certè debes, & vt facias rogo. nã illũ hominẽ* Dei Spiritu *regi nõ ignoras.* Iam *quũ alteri viro nubes (quod quidem conſulo) velim vt ab eo cõſiliũ petas, nec quidquã eo imprudẽte aggrediaris. maritũ porrò tibi deligas, qui* Deũ ex *animo timeat: vel matrimoniũ ne contrahas.* Sed *ſpero* Deum *ſicuti expediet tibi ꝓſpecturum. Primũ igitur ac ſummũ eſt, vt eum preceris, & in ei⁹ bonitatẽ recũbas. illũ rogaui tuo nomine, & aſſiduè etiã rogo.* Satis *verò meminiſti quantus fuerit mutuus inter nos amor toto tempore, quo viſum eſt* Deo *optimo vt vnà degeremus. pax eius ſemper in medio noſtri reſedit: ac mihi in rebus omnibus valde obſecuta es.* Rogo *te vt eandẽ ſemper, vel etiã meliorem te præſtes erga eum, cui ductu & auſpicijs* Domini *coniungéris:* Deus *tibi aderit, tuæq; ſoboli.* In *memoriam ſæpius reuoces quæ ex me didiciſti principia (quanquam hîc non ita vt poteram, officio meo erga te defunctus ſum) & ſuper ea ædificare non deſinas, vt propius ad* Deum *accedas. Si pater tuus de morte mea certior fuerit factus, non dubito quin iſthuc accurrat*

currat, vt te in Papatum retrahat: ſed te ſupplex oro Dei *nomine, & quatenus ſaluti tuæ conſultum cupis, ne illum audias: eum potius repelle, & quæ* Deus *in te contulit beneficia præferas, dum te in domũ ſuam deduxit: annon pluſquam miſera eſſes, ſi relicta* Dei *domo, ad diabolum deficeres? Quàm horrendum exitium te maneret? potius te in profundam abyſſum demerſam cuperẽ. verùm mihi perſuadeo mortem tibi potiorem eſſe, ſicuti etiam expediret & magis tibi eſſet ſalutare. Deum tamen ora, vt te* Spiritus *ſui virtute fortiorem reddat.* Parentes *quoque mei conabuntur filiolam noſtram ad ſe pertrahere: ſed rogo te atque etiam* Dei *nomine tibi præcipio, ne tantum hoc ſcelus patrari ſinas, quidquid tibi contingat.* Teſtor *enim me coram* Deo *exacturũ eius ſanguinem ex manibus tuis, & ſi culpa tua perierit, in caput tuum illius interitum redundaturum.* Peto *igitur abs te per illud quod* Deo *patri noſtro debes obſequium, & per maternum tuum officium ac munus: denique per illum amorem, quò me vt maritum tuum, & filiolæ patrem proſequeris, vt eam ritè ac ſedulò in* Dei *timore erudiendam cures, ſimulatque ad ætatem pietati diſcendæ maturã peruenerit. Libenter quidem patri tuo, & vtrique parenti meo ſcripſiſſẽ: ſed neque chartam, neque atramentum præter id quod vides ad manum habeo, nec habere poſſum. Ad eos ergo velim perſcribas quidquid* Dei *gratia mihi accidit, & illos etiam conſoleris, & narres incredibilia & maxima quæ* Deus *in me contulit dona. Sic* Deus *ſua gratia eorum animos morte mea excitet ac tangat, vt melius ipſum agnoſcant, quàm me viuo fecerint meis monitis & exhortationibus.* Deus *illorum miſertus ignoſcat.*

Alia eiuſdem ad vxorem epiſtola.

L*Iteris meis, quas ad te,* Anna *ſoror mihi chariſſ. die* Veneris *pro ximo dedi (qui duodecimus erat huius menſis* Iulij *) ita ſcripſi quod volebam, vt vix ſperarem me amplius quidquam ſcripturum:* Dominus *tamen qui ſuos nunquam ſolatio deſtituit, pro ſua bonitate voluit, vt ante obitum meum ſcribendis ad te his literis me poſſem adhuc oblectare, quibus tibi communicem tot conſolationes, quas* Deus *optimus mihi confert in ipſa cruce beatiſſima, qua quidem me pro ſua gratia exercere in gloriam ſuam, ædificationẽ* Eccleſiæ *& ſalutem meã*

dignatur, vt mecũ Dei *beneficia reputes & agnoſcas, atque ob id gratias illi agas in precibus aſsiduis, ſicuti ego facio tui ſemper in illis memor.* Interim *rogo te vt innumera* Dei *erga nos dona ſedulò & accuratè expendas.* Illis *enim* Dei *promiſsiones impletas eſſe cernimus. pollicetur ſe propinquum afflictis fore, & ita adfuturum vt perſonam noſtrã ſuſcipiat, quò ſcilicet in nobis affligatur.* Quod *ad me ſpectat, hoc certè* Dei *gratia, luculentè ſum expertus. nam ſingularem* Dei *bonitatem ita probè nunquam percepi, atque vbi coniectus ſum in vincula.* Et *credo te poſſe tantundem affirmare, quemadmodum intelligere mihi videor ex literis tuis, quæ maximo ſolatio mihi fuerunt, quum videam* Deum *optimum tibi mirum in modum adeſſe, non modò quòd attinet ad animum, quem* (Dei *gratia*) *video erectum in ſolatium admirabile, ſed quòd etiam ad corpus ipſum ſpectat.* Nam *quo tempore tecũ agebã, minimè tibi licuit tot amicos experiri quos* Deus *ex quo vinculis cõſtringor, in tuum auxilium excitauit, qui de te magis ſunt ſoliciti, vel ſaltem non minus quàm ego eſſe poſsim: atque vt ex multorum literis & promiſsis extellexi, nunquam tibi defuturos ſpero, quãdiu facultas ipſis à* Domino *ſuppetet.* Quapropter *gratias ago quàm poſſum maximas* Deo *meo.* Sed *vnde id, quæſo, proficiſcitur? ánnon* Deus *ipſe tibi conciliat & offert mille amicos, patres & fratres loco vnius mariti, quem ex hac vita eripit vt ad ſe deducat? an tibi cum ipſo expoſtulandi locus relinquitur, quũ centuplo maius largiatur, quàm abs te auferat?* Agnoſce, *quæſo, ſummam hanc & immenſam* Dei *noſtri bonitatem, & ſimul vide quãto præſtantior ſit afflictio carnis quiete, res aduerſæ proſperis, & opibus egeſtas.* Hæc *exercitia non immeritò vocãtur in* Scripturis *fidei noſtræ documenta & probationes.* Nam *certè non ita ſeriò abſque fide ſentiuntur, niſi fiat examen velut in fornace.* Ego *igitur & tu laudemus* Deum, *& illi vno ore laudes cõcinamus, qui nos beatorum numero cenſere dignatus eſt:* Felices, *inquit, ſunt illi qui pro nomine meo perſecutionem patiuntur.* Atqui, Dei *gratia, certò nobis conſtat vtrumque noſtrûm pro eius nomine pati: te (inquam) etiam, quia mihi dubium non eſt quin multò acerbiùs quàm ego perſecutione afficiaris.* Quò *te beatiorem agnoſcas neceſſe eſt, ac ſoleris in* Domino, *& totam fiduciam tuam in*

eo

eo colloces. Nimij experta es quũ in patria degeremus, & primorum cõſuetudine vterer ſatis familiariter, & apud eos gratia & autboritate valerem, quàm procul à Deo optimo tunc abeſſem. Atque etiam ex quo Geneuæ egimus, quum plus ciborum aliquando ſuppetebat, eò minus tum memores Dei & eius donorum eramus. contrà verò quum in patria non ſuccedebat ex voto nec pro mundi libidine, ad Deum confugiebamus. Geneuæ quum immineret nobis egeſtas, oculos erigebamus ad Deum, ardẽtioribus votis eum precabamur, obleſtabamus nos aſsidua leſtione & mutuò nos conſolabamur: tunc denique toti ab eo pendebamus. Diſcas igitur, quæſo, potius te obleſtare penuria rerum quàm diuitijs, otio & delitijs, contenta ſcilicet opibus quas nobis Chriſtus offert, ac præcipit vt in cruce ſua quæramus, & noſtram ipſum ſequentes feramus. Cæterùm ſpero Dominum facturum vt quod nunc patior in tuam ſalutem cedat, ídq; magis quàm quicquid vnquam tibi contigit, ſi modò perpendas & contempleris quam Deus nobis monſtrat bonitatem, & percipiendam inter afflictiones proponit. Sic autem velim eam tecum reputes, vt nunquam tibi obrepat illius obliuio. Poteris in mentem reuocare quod antehac ſcripſi, cuius nullam tibi nunc mentionem facio. Copioſiùs ad te ſcribere, ſicuti maximè cupio, non eſſet mihi tædioſum nec moleſtum: ſed minimè licet. nam nec charta, nec atramentum nec otium mihi eſt, quia multi ſæpe nos inuiſunt, & clanculum vel furtim tantùm ſcribimus.

L*Iteras tuas, Anna ſoror mihi vnicè dileſta, xv. Septemb. ſcriptas accepi vnà cum tela & caligis, quas per fratrem O. ad me miſiſti. Tibi gratiam habeo, & mihi pergratum eſt quòd mei non oblita fueris, præſertim hoc frigido tempore quo nunc valde infeſtamur. Verùm multo adhuc iucundius fuit quòd ex literis tuis quæ beneficia in te confert Deus, perſpicuè intellexi. Sic enim percipio fruſtum orationum quas pro te fundo: vnde ad agendas illi gratias impellor, ſicuti etiam facio aſsiduè. Scribis iiſdem tuis literis, quum tibi renuntiatum eſt de morte mea cui adiudicatus ſum, hoc acerbum & graue ſtatim initiò fuiſſe, & potionem valde amaram: quod quidẽ facilè mihi perſuadeo, qui probè noui tuam debilitatem: cui vt fortiter reſiſtas, abs*

te peto, quum iam à longo tempore ſatis exercitata meis vinculis eſſe debeas, & de exitu (hoc verò eſt, de morte, quæ mihi impendebat) certior facta, ſimulatque captus fui, ne mei amplius memineris tanquam mariti tui, niſi fortè oculis tuis me iam exuſtum, adeóque in cineres redactum ſubijcias & intuearis: & hac ratione nõ amplius mihi coniuncta, niſi vinculo fraternæ charitatis, qua prò me precari debes ex officio, quantiſper Deus *in hoc miſero corpore quaſi in ergaſtulo me volet incluſum manere.* Confugias *ad* Deum *noſtrum cuſtodem viduarum, & vindicem vnicum.* Nam *præterquam quòd contra ſpem meam continget, ſi hinc exire detur, etiãſi* Dominus *noſtri miſertus libertati nunc reſtituat: tamen ita ſpero de ſingulari eius bonitate, vt me tandem aliquando ad mortem pro tuenda ſalutis doctrina vocare dignetur.* Ergo *ſi aſſueſcas, & animum velut obfirmes ad me tãquam mortuum intuendum, tibi graue non erit audire, quum de obitu meo nuntium accipies, ſi* Deo *optimo ita viſum fuerit: atque etiam multum confirmaberis in poſterum ad ferenda quæcunque* Dominus *immittet.* Vt *autẽ facilius hoc conſequaris, velim tecum reputes ac perpendas exemplum probæ illius viduæ* Ruth, *quod niſi intelligas, frater noſter,* V. *aut alius quiſpiam tibi exponere non grauabitur.* In *ea hiſtoria ſancta perſpicies probam illam mulierem* Ruth, *quũ marito ſuo eſſet orbata, poſtquam natali ſolo renuntiauerat & cognatis omnibus idololatris, vt ſe reciperet in terram vbi* Dominus *purè colebatur: quum illuc ſocrum ſuam* Noemy *eſſet ſecuta, probã, inquam,* Ruth *penuria coactã fuiſſe egredi ad ſpicilegium faciendum in agris, vt ſe & ſocrum ſuam tenuiter aleret: atque ita ſe placidè* Domino *commiſiſſe, quem ſui cuſtodem elegerat.* Deus *verò illam non deſeruit, ſed tam liberaliter proſpexit, vt eam marito* Booz *in vxorem dederit, & ex eorum ſobole progenitus ſit & propheta & rex* Dauid, *ac tandem* Chriſtus Dominus *noſter exortus inde fuerit.* Ex *quo vides, vt* Dominus *eos tractet, qui in eum toti recumbunt.* Ego *quidem minimè dubito quin egeſtate vel penuria terrearis: ſed expende potius, quanto ſit locupletior vniuerſo mundo is qui te in fidem ſuam recipit.* An *paſſurum exiſtimas vt quidquam tibi deſit. nunquam certè id ſinet, modò illi*

confidas

*confidas:quin potius efficiet,vt in tua neceßitate nihil deſideres, ſed omnia tibi copioſius affluant,quàm poßis animo complecti.*Nam *quòd huc vſque,*Dei *gratia,nobis ſatis ſupérq; ſemper fuit,cùm nulla re indiguerimus,hoc à me qui tibi eripior,non eſt profectum,ſed à* Deo *ipſo,cuius ope & præſidio tuta manes.Satis ergo tibi ſit,quòd ille, à quo nobis omne bonum manat,profluxit & affluet,tecũ manebit, nec vnquam te deſeret,ac iam ipſe facit vt bonitatem ſuam experiaris,antequàm penuria labores.*P*riuſquam enim ad ſpicilegium cogaris ſicuti proba* Ruth,*excitauit tibi non vnum* Booz,*ſed ingentem eorum numerum,quorum nomina poſtremis meis literis recenſui,vt tibi probarem* Deũ *veracem,& fidum eſſe in ſuis promißis,quæ magis efficaciter ſenties quum opus erit.in neceßitate enim maximè* Dei *ſubſidium agnoſcitur.*

*Quòd ad filiam tuam attinet, pupillarum ille & viduarum cuſtos non minorem eius quàm tui curam gerit.*Nam *diuina ſua prouidentia ſatis oſtẽdit ſe patrem eorum eſſe qui parentibus orbati ſunt.huic quidem rei confirmandæ vel vnicum* Moſis *exemplum debet tibi ſufficere. Quonam pacto deſeritur? Ille non ſolùm parentibus caret, ſed à patre & matre deſtitutus, aquis exponitur, ac ſi de eius ſalute actum eſſet.*Interim *paterna* Dei *noſtri bonitas pro eo excubias agit, à quo ipſe non cognoſcitur: inde per* Pharaonis *regis filiam extrahendum curat,& ita euehit, vt in redemptione* AEgyptiaca *dux* Iſraelitarum *conſtituatur.* Ergo *in* Dei *noſtri prouidentiam oculos conijce, & agnoſce eius potentiam non imminutam eſſe, ac multò minus bonitatem erga ſuos.* Tibi *ſatis ſit, quòd te in filiam adoptauerit, & me filiorum ſuorum numero aſcripſerit.* Alterius *haud dubiè quàm ipſius non erit filiola noſtra,quum ſit noſter & liberorum noſtrorum* Deus, *noſter,inquam,*Deus *æternus.* Confidas *itaque & ſperes illum erga te,& filiam tuam fore eundem, quem &* Ruth, *&* Moſi, *& ſuis omnibus ſe præbuit.* Ego *ſanè mihi perſuadeo, te & filiam tuam, vbi vita defunctus fuero, multò ditiores fore, quàm nunc ſitis.* Nam *bonorum quæ mihi largitus eſt* Deus, *mihi,inquam, vt vni tertio, vos hæredes eritis, & ea vobis reſtituet,ac longè plura etiam dabit*

poſt mortem

poſt mortem meam. eſt enim verax & fidelis. Ac rogo te vt animo diligenter hoc inſculpas, ne ſi tibi moriendum ſit, in deſperationem incidas ob filiam tuam, quæ à nobis ſeiuncta multo erit locupletior quàm ſi cum ea verſaremur, modò ſuccedat tot Dei beneficijs, quæ pro ſua liberalitate in nos contulit. Tantùm coram Deo ſyncerè ambules, & filiam tuam in eius timore erudias, & in illum reijcias cætera omnia. Ego igitur perſuaſus te mandaturam memoriæ quicquid ad te ſcripſi, te & filiam tuam illi commendabo, qui maiorem veſtri curam gerit, quàm ipſe poßim.

Alia eiuſdem Laborierii epiſtola ad quendam amicum.

Deus noſter opt & Pater pro immenſa ſua gratia participē te ſemper faciat bonorum, quæ ſemel nobis cōmunicauit per manum vnigeniti Filii ſui Domini noſtri, idque Spiritus ſui virtute.

DE *rerum mearum ſtatu, frater integerrime, & de ſingularibus Dei in me donis, ſicuti aliâs tibi dixi, & ſcripſi, poſſum adhuc in præſentia certò cōfirmare, Deum optimum ita mihi adeſſe magis ac magis, vt nunquā ingemuerim ob vincula quibus cōſtringor, neque ob carcerem quo incluſus detineor, neque ob mortem quæ mihi impendet, neque ob vllos cruciatus quicūque mihi acciderint: ſed Dei gratia, in illis oblector, & lōgè maiori lætitia perfundor quàm ego vnquam ſenſerim: & nonnunquam triſtitia quadam afficior quòd ſtrictius non diſtincar, & grauius aliquid patiar pro tuēda Dei noſtri optimi cauſa, vt ad eum laudandum magis inciter, & in illum prorſus recumbam atque confugiam ad eius auxilium. Non quòd affirmare velim nullos à carne mea inſultus, & quidem grauißimos mihi eſſe: ſed quicquid tentet illa vel moliatur, ſpiritus (Dei beneficio) promptus eſt, ac victor ſine magna repugnantia euadit: vt coniectus in Dominum negotijs meis omnibus omnino paratus ſim ad excipiendum quicquid mittere viſum fuerit: & ſiue ad mortem, ſiue ad vitam me vocet, certò ſcio eam mihi ſuppeditaturum virtutem, vt me voluntati ipſius placidè ſummittam, quum in me expertus iam fuerim promißionem, quam Patriarchæ Iacob facit, Geneſ. 38. vbi inquit, Ecce, tecum ſum, & quocunque proficiſcaris te ſeruabo. deinde ſubiungit, Nam te non deſeram, donec perfecero quæ tibi dixi. Peto igitur abs te & alijs omnibus meis fratribus optimis, ne vlla anxietate vel cura meo nomine laboretis:*

tantùm

tantùm vos oro, vt pro me gratias Deo noſtro optimo agatis, & eum precemini, vt eadem ſemper fide mecū agat vſque in finem, ſicuti pro vobis omnibus eum aſsiduè rogo. Verum quidem eſt, & hoc vobis familiariter etiam referre libet, me duabus de cauſis grauiter laboraſſe ex quo in carcerem coniectus ſum: quarum alterā Deus pro ſua bonitate ſuſtulit, vt iam tranquillo & quieto ſim animo: in altera verò me velut defixum adhuc maximo meo bono retinet, nempe quum video me circundatum, & quaſi obrutum ſummis Dei noſtri beneficijs, hîc in me perſpicio tantum ignauiæ & torporis eſſe in illis agnoſcendis, vt meritò me pudeat: & præterquàm quòd ita ſum ſtupidus, video me refertum eſſe tot infirmitatibus & corruptelis, vt neſciam quid in mundo vtilitatis afferre poſsim mea opera: quò fit vt Dei gratia, mortem libentius expetam, dum agnoſco quàm feliciter mihi ſit ceſſurum, ſi Deus optimus ab hoc miſero corpore dignetur me liberare. Nam ſi Helias à Domino poſtulauit, vt ſe aſſumeret, dicens ſe minimè præſtare maioribus ſuis: quid ego dicam miſerrimus homuncio refertus omni iniquitate & ignorantia? Hei mihi, fratres, à vobis omnibus ſupplex peto, vt Deū meo nomine rogetis, vt hoc penitius animo meo infigat, quò ſcilicet fructū inde percipiā, qui mihi offertur: & ita me excitet ac erigat à ſtupore meo, vt eius beneficia mecum reputans, illi gratias agā, vt decet. hoc enim eſt caput in quo multùm adhuc laboro. Quod ad alterum ſpectat, certè ad tempus aliquod magna triſtitia affectus ſum, quum viderem tot bonos ac pios viros ſe totos impēdere ad me ſeruandum & eripiendum: deinde etiam meo nomine ſumptus maximos facere: meo, inquā, nomine qui poſtquam exiero, quemadmodum iam dixi, nulli vſui ſim futurus, niſi Deus pro ſua bonitate prouiderit. Ac præſertim dū propius expēdo, ſi Dominus non ſinat rationes iam excogitatas eum exitum ſortiri quem vos omnes ſperatis, impenſas omnino perituras, & ſummum dolorem ac cruciatum vobis inflictum iri. Atque in hoc ita ſum diſtractus, vt optarem vos nunquam mihi notos fuiſſe, nā de meis vinculis nihil anxij vel ſoliciti fuiſſetis. Sed Deus optimus, qui ſuos diutius animi angore diſtringi nō patitur, oculos meos ad ſe erexit, & ita facilè perſpexi hoc minimè fieri à vobis tantùm, neq; mea cauſa: non à vobis, inquam, quia opera veſtra ſic vtitur, vt palàm cōſtet ipſum

exeruiſſe & admouiſſe manum ſuam, ac Domini *eſſe opus*. Dico *etiam non mea cauſa tantùm, quòd ſiue* Dominus *me vocet ad ſe, ſiue vobis reſtituat, charitas illa in qua mihi opem tuliſtis, in maximam* Dei *noſtri optimi gloriam cedet: ac præſertim quum vos ipſi cauſa fueritis vt non ſolùm fidei noſtræ confeſſio, ſed etiam charitas veſtra perferatur ad* Regis *ipſius aures, & aliorum multorum, idque in exitium quibuſdam, alijs verò in ſalutem: ſed hoc totum in* Dei *noſtri laudem*. Ex *quo etiam nebulones illi ſcelerati, qui conantur eccleſiam* Geneuenſem *probris lacerare & ignominiæ exponere, dum falſò eam charitate vacuam ſpargunt, impudentiæ conuicti longè magis pudefient, quum intelligent tam admirandam charitatem qua in nos vſi eſtis: quæ proculdubio non minorem fructum proferet, quàm fidei noſtræ confeſſio. & gratias ago* Deo *optimo, qui mihi concedit vt iam fructum vtriuſque cernam oculis meis antequam ex hac vita migrem.* Deinde *vobis hoc maximè prodeſt: quia certò inde ſtatuitis* Spiritum Dei *in vobis operari, & proferre fructus adoptionis veſtræ, quum ſine fuco teſtari poſſitis vos eſſe ex eorum numero, quos* Apoſtolus *vltimo capite ad* Hebræos *alloquitur, quum inquit,* Memores *eſtote vinctorum, tanquam vnà cum illis vincti: & eorum qui affliguntur, acſi ipſi quoque afflicti corpore eſſetis*. Laudetur *itaque* Deus *noſter optimus, quòd ſatis luculentè comprobaſtis hoc modo vos eſſe vera* Chriſti *membra*. Id *porrò quum in media triſtitiæ ac doloris mei acerbitate viderem, ex præclaro illo veſtro facto ſummam lætitiæ voluptatem cœpi, non tam certè ob illud quod accepi beneficium, & eam quam ſenſi leuationem (vnde gratias* Deo *& vobis omnibus ago maximas) quàm ob eas quas iã expoſui rationes. vos ergo* Dei *nomine obteſtor & rogo, quum* Deus *vobis dederit vt probè teneatis quid charitatis vinculum & eius exercitium valeat, ne vnquam fatigemini, ſed continuo curſu pergatis, non quidem erga nos (nam,* Dei *gratia, ſatis ſupérque defuncti eſtis) ſed erga quoſcunque alios, non ignari nos omnes vnum eſſe corpus in* Chriſto, *& alios mutuò aliorum eſſe membra. neque enim ex vobis opes & diuitias habetis, ſed à* Deo *qui eas vobis largitus eſt*. Atqui *minimè vobis eas contulit vt illic ſubſidatis, & velut affixi hæreatis*. Nam *pro ſua bonitate & gratia*

vos

vos altius erigit, & ſedere facit in locis cæleſtibus, idquè in Chriſto Ieſu. An ergo vultis rurſum deſcendere? nequaquam fratres chariſſimi, ſed oculis ſemper altius erectis, date operã vt bonis quæ dedit vobis Deus, vti ac frui poſſitis pro eius voluntate, ſicuti decet. Ac efficite vt quemadmodum eccleſia veſtra, Dei beneficio, ea eſt hodie quæ in mundo præ alijs ſplẽdidius relucet ob ſynceram verbi Dei prædicationem, & purum Sacramentorum vſum, quæ in ea ritè adminiſtrantur: ſic etiam operibus veſtris in omni charitate ita reſplendeat, vt eius claritas & ſplendor non tantum perſtringat, ſed prorſus configat oculos perditiſſimo illi Antichriſto Romano: & omnibus eius membris, & ita regnum illius euertat ac peſſundet, vt vnicum caput noſtrum, & dux noſter Ieſus Chriſtus vbique regnum ſolus obtineat, & imperet. Dominus Deus id vobis concedat, & quæcunque in me confertis beneficia cumulatè rependat. Is enim eſt qui mercedem eiuſmodi bonis refert, non pari quidem menſura, ſed centuplo maiore. Nunc frater integerrime, abs te peto vehementer, vt amicos omnes meos, fratres ac ſorores plurimũ ſalutes meis verbis, quos oſculo ſãcto deoſculor: eóſque rogo ne moleſtè ferant ſi quemadmodum cuperem, ſingulis non ſcribo: atque etiam ab illis poſtulo, vt hanc epiſtolam, quam tecum velim ipſis eſſe communem, ſibi ſcriptam putent. nam te compellãs, omnes alloquor. Eos autẽ valdè precor Dei nomine, vt ad me ſcribant, quò ſcilicet me parẽ ad obitũ quem imminere ſentio: hoc verò eſt, vt ad mortẽ oppetendã cohortentur, neque amplius meminerint liberationis, de qua nullo modo cogitare libet, nec gratum eſt. Nam ſi Dominus de morte cogitantem me veluti deprehendat & liberet, tanto amplior eius laudandi materia ſuppeditabitur, quòd ex numero dormientiũ excitauerit, cum quibus animo quieſcere iucundũ eſt, quantiſper Domini reuelationem expecto. Etſi enim Dei gratia, mortem hactenus ob oculos mihi propoſui, vt eam ſpontè & alacriter oppetam, nihil tamen in futurum mihi polliceri audeo, quum tanta infirmitate circundatum & implicitum me videam. Quòd ſi Paulus teſtatur Philipp. 3. cap. ſe nondum illam apprehendiſſe, nec aſſecutum eſſe vt iam perfectus ſit: ſed omiſſis quæ ſunt à tergo, ſe ad ea quæ à fronte ſunt eniti, iuxtáque præfixum ſignum inſequi palmam ſupernæ Philip. 3. b. 13.

Sſ.

vocationis per Chriſtum Ieſum:*ego longè maiorem debilitatem in me debeo agnoſcere: atque ita nullo reſpectu habito ad ea quæ huc vſque feci (niſi vt ſingularem* Dei bonitatem *ſeriò agnoſcam) mihi colligendus magis ac magis eſt animus vt ſtadium percurram, & vitæ curſum emetiar.* Literæ *autem veſtræ, cohortationes & ſanctæ preces ad hoc mihi ſummoperè conducent, ſicuti hactenus* (Dei *gratia*) *profuerunt.* Vos *igitur ſupplex rogo, vt iterum particeps ſim illarum, ſi quâ fieri poſſit.* T*ibi lætus gratulor, mi frater, eam* Dei *benedictionem, quam tu & vxor tua (cui me commendatum eiúſque precibus valde cupio) experti eſtis, dum vobis filium dedit: atque etiam magis lætor, quòd* A*braham vocetur. det illi* Dominus *vt verè ſit* A*brahæ filius, quòd ſcilicet eius fidem & obedientiam imitetur, & ita loco baculi & ſolatio tibi ſit quum ad ſenectutem perueneris.*

Ioannis T*rigaleti epiſtolæ aliquot ad ſocerum ſuum.*

Dilectio Dei Patris noſtri, & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, vnà cum Spiritus ſancti communicatione in te ſemper maneat, Amen.

ACcepi *literas tuas, mi pater & frater in* Domino *noſtro* Ieſu Chriſto, *ſcriptas* XIIII.*Calend.Iulij: quibus ſcribis te miratum fuiſſe quòd ad te non ſcripſerim, ſicuti commilitones mei ad amicos ſuos ſcripſerunt: & metum tibi iniectum ne quid grauius patiar quàm reliqui.* H*æc non fuit cauſa, ſed quia tum exſcribebam libellum ſupplicem quem iſthuc miſimus. nos enim tres eadem catena vincti eramus. Quod autem attinet ad mœrorem quem dicis te concepiſſe grauiorem quàm ex re alia quæ tibi vnquam acciderit in tuis afflictionibus, ídque pro ſenſu carnis, hoc mihi facilè perſuadeo.* Et *certè beneuolentiam tuam in me paternam ſemper ego ſum expertus, vnde tibi gratias ago quàm maximas. Quantũ ad lætitiã ſpectat quã animo te cepiſſe confirmas, vbi tecum expendiſti quantum honoris* Deus *optimus nobis detulerit, quum nos vocauit ad confeſſionem* Filij *ſui vnigeniti: in eo ſanè perſpexi ſyncerum amorem tuum & affectum verè Chriſtianum: vnde etiam me tibi deuinctum eſſe ſentio: ac te rogo, & Chriſti nomine hortor vt in hac tam pia ſententia & ſancto animi*

mi propoſito conſtanter perſeueres. Dominum *pro nobis ora, vt quemadmodum vires ac robur ſuppeditauit ad bonum certamen incipiendum, nobis quoque virtutem & gratiam largiatur, qua perſeueremus donec ſolidam victoriam conſequuti, triumphum deinde agamus, & accipiamus coronam gloriæ quam nobis* Christus *caput noſtrum & dux noſter in cælis præparauit. quô proculdubiò magis ac magis aſpiramus, & in dies votum noſtrum & deſiderium perueniendi augetur, ídque* Chriſti Seruatoris *&* Redemptoris *optimi beneficio. Verè hoc dico & affirmo* Dei Spiritum *(qui certiſſimus eſt conſcientiarum noſtrarum magiſter, & qui etiam intus eas docet) ita nobis certò teſtari de electione noſtra, vocatione & adoptione: itémque de remiſſione peccatorum noſtrorum, de noſtra reconciliatione & iuſtificatione, quæ nobis morte & reſurrectione* Ieſu Chriſti Domini *noſtri parta eſt, vt nunquam de ſalute mea ſic edoctus fuerim, neque ita perſuaſus tot ac tam varijs lectionibus & infinitis propè concionibus, quibus adſui dum in eius ſchola verſarer, vt nunc re ipſa ſentio, & animo etiam experior in hoc afflictionis & crucis examine: adeò vt egredi ex hoc peccati corpore, & indui corpore glorioſo quàm citiſſimè cupiam. Quod tamen non fit ſine magno carnis certamine aduerſus ſpiritum qui ſtrenuè reluctatur: vt veriſſimum ſit, corpus hoc vinctum quo ſe redimat expetere: contrà verò ſpiritum velle tanquam fœdum carcerem deſerere: illud mundum cupere, hunc autem refugere: vt horrenda inter vtrumque contentio exoriatur: Síccine, inquit corpus, moriendum eſt? Itáne verò, inquit ſpiritus, hîc elanguere cogar? Tandem corpus addit ſe longè meliora deſiderare. Sed ego & tu excipit* Spiritus, *longè fallimur: Solius* Dei *optimi volũtas fiat. Hæc eſt victoria quam* Dominus *virtute* Spiritus *ſui nobis confert poſt diuturnum certamen: vt nos totos in* Patris *noſtri obſequium tradamus, omnia in eius manum committentes: & hac ſpe freti non dubitemus, quin ſicuti in hac vita caduca ſe fidum cuſtodem corporum & animorum noſtrorum comprobauit, ita etiam in vita cæleſti futurus ſit. Eum autem ſupplex oro nomine* Ieſu Chriſti Filij *ſui, vt nos in hac fide & ſpe tueatur vſque ad vltimum vitæ noſtræ ſpiritum.*

Spiritus & carnis lucta.

De Maſſilienſi profectione iam vobis ſcripſimus: ac niſi literas illas perferat qui iſtas reddet, fortè non multò pòſt accipietis. Quidquid ſit, Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius nomine vincti & captiui tenemur, gratiam hanc nobis conferet, vt ſanctum nomen ſuum extollamus, & Eccleſiam ædificemus, ſiue per ignem, aut aquam ex hoc miſero & calamitoſo mundo commigremus: ſiue nobis vita prorogetur, in eo viuemus: ſiue mors ſit oppetenda, pro illo & eius nomine moriemur: atque vt ſcribitur in Apocalypſi, Beati ſunt illi, qui moriuntur in Domino. O mortem felicem, laborum omnium quietem, & tranſitum ex vita mortali ad immortalem vitã! qua quidem morte ingredimur in ſolidam & perfectam poſſeſſionem immortalis gloriæ, quæ nobis ab æterno parta eſt, & parata per Ieſum Chriſtum caput & ducem noſtrum. Ille nos tanquam membra ſua deduxit in viã qua ipſe ad hanc gloriam conſcendit. Quamobrem lætamur in noſtris afflictionibus momentaneis, quæ magnum pondus futuræ gloriæ, quaſi ſecum vehunt: quò fit vt à mundo ſtulti & amẽtes iudicemur: ſed ſatis eſt nobis, ſi Deus pronuntiet nos eſſe præditos Spiritus ſui ſapientia, quam prophani homines, excæcati à Sathana, & impoſturis vel artibus Antichriſti eius filij dementati, carentes oculis fidei, nullo modo perſpicere, nec animo complecti poſſunt. Nos igitur, mi pater, ſimul dicamus ambo cũ pijs omnibus, Tibi Domine ſit omnis honor, ſit gloria: nobis hoc concedas, vt beneficiorum tuorum ſemper ſimus memores, tum in rebus aduerſis, tum etiam proſperis. hanc verò precationem in animo & ore ſemper habeamus, ne ſcilicet ingrati & immemores tot bonorum & gratiarum quas Deus in nos conferre dignatur, ipſum quaſi violenter ad eas nobis eripiendas cogamus. Clamemus ergo cum ſanctis martyribus, Sancte, ſancte, ſancte ſanctorum, tibi vni ſit laus, honor & gloria, & imperium perpetuò, Amen. Certè, mi pater, ea quidẽ eſt animi mei vehementia & ardor, vt mihi temperare, & calamum cohibere non poſſim, quin adhuc pauca hæc verba nunc addam, nempe vincula ſeu carcerem, Ieſu Chriſti Domini noſtri ſcholam eſſe, in qua plus vno die proficitur, & melius diſcitur ecquis re-uera ſit fructus & vis fidei, & quænã

quænam ſit ſyncera pietas, ídque vſu & experimento, quàm integro anno quiſquam diſcat ex ſola cognitione & ſcientia, quæ partim lectione, partim ex concionibus comparatur. Faxit Dominus *vt fructum qui ad nos redit tum ex cognitione tum ex vſu, verè percipiamus & abſque fuco & hypocriſi: ac ſeriò nos intus afficiat, & permoueat ſenſu & pia cogitatione bonorum, quæ nobis innumera illic proponuntur, ne vnquam ſimus eorum immemores: ſed vt toto vitæ noſtræ curſu agnoſcamus, & accepta illi feramus ex animo, ore & factis, vt illi ſoli gloria tribuatur, & proximi noſtri ædificentur,* Amen.

QVIA *iam intellexiſti, chariſſime pater & frater in* Chriſto Ieſu Domino *noſtro,* ex *poſtremis noſtris literis (in quibus deſcripta erat fidei noſtræ confeſſio, quam* Dei *optimi gratia & virtute ſimul omnes edidimus coram* Senatoribus *ſupremæ huius curiæ) ſtatum cauſæ noſtræ, nimirum nos igni adiudicatos eſſe, fuſius ea de re tecum non agam. Verè quidem hoc vnum tibi confirmare poſſum ex teſtimonio, quod* Spiritus *ſanctus conſcientiæ meæ certò* reddit, *nempe ſicuti nihil melius pio* Dei *cultori poteſt accidere, quàm hac via commigrare in vitam æternam: ita nihil ardentius à nobis expeti, nec alacrius expectari, quàm felicem illum diem, quo abripiemur ad ſuauiſſimum illud ſacrificium.* Nam *præterquàm quòd honor & gloria* Dei *noſtri maximi, &* Domini *ac* Seruatoris Ieſu *Chriſti, ædificatio* Eccleſiæ *eius, confirmatio, lætitia & conſolatio fratrum noſtrorum: deinde certum exitium, & interitus Sathanæ,* Antichriſti *& omnium eius membrorum, & hoſtium veritatis illi mancipatorum, quaſi concluditur & continetur publico hoc & ſolenni teſtimonio quod ore noſtro edimus, & proprio ſanguine obſignamus: qui certè præcipuus eſt fructus, quem mors noſtra feliciſſima producit: accedit etiam, ſi quis priuatim nos ſpectet, tantum boni & lucri quod ad nos inde manat, vt animo comprehendi non poſſit: ac multò minus verbis, aut ſcriptis explicari. An, quæſo, parui momenti res eſt, liberari ex quatuor carceribus, quibus nos concludimur, quemadmodum*

"*vos tribus, vt in libertatem perpetuam vindicemur, & aſſeramur?*
"*quorum quidem vnus eſt mundus iſte tot miſerijs refertus, qui nobis*
"*vana ſua figura, impoſturis & præſtigijs oculos præſtringit & illudit.*
"*Secundus verò eſt, corpus noſtrum tot ſordibus inquinatum, & fœto-*
"*re plenum. Tertius eſt, anima noſtra cum omnibus ſuis partibus, mẽ-*
"*te, memoria, ratione, voluntate & cupiditatibus noſtris atq; pertur-*
bationibus, quæ nos huc & illuc abſtrahunt, & omnino auertunt ab his quæ Deus *nobis præcipit.* Annon *illa eſt velut gurges quidam, & abyſſus omnium vitiorum, ac ſcelerum, quæ ſua grauitate horrorẽ incutiant?* Faxit Deus *optimus, vt illis ſeriò tangamur, quò ingemiſcamus, condoleamus, eorum nos pudeat, ac nobis ex animo in illis diſpliceamus: contrà verò nos totos addicamus virtuti, iuſtitiæ, & ſanctitati: crucifigamus veterem noſtrum hominem, & carnem noſtram ſubigamus, ne peruerſæ cupiditates amplius in nobis dominentur, ſed in vitam nouam reſurgamus, vt obſequiũ* Deo *noſtro optimo præſtemus, & fructus iuſtitiæ & integritatis quos habeat gratos, proferamus, quò palàm conſtet nos eſſe membra* Chriſti *eius* Filij, *ac verè regenitos & renouatos à* Spiritu *ſancto in gloriam illius, & proximorum noſtrorum ædificationem. hæc ſunt commoda & fructus quos ex morte & reſurrectione magni illius* Seruatoris *&* Redemptoris Ieſu Chriſti *inter alios percipimus. eô nos* Spiritus *ſanctus hortatur per os* Apoſtolorũ, Pauli *ſcilicet* 6.7.8, *ad* Rom. *cap. & in epiſt. ad* Epheſ. *&* Coloſſenſes. Petri *etiã duabus epiſt. in quarum aſſidua lectione te exerceas & frequenti meditatione ac lectione omnium* Pſalmorum: *neque vnquam fatigeris, ſed inſtar* Catechiſmi *ſemper habeas, nẽpe vbi ſemel perlegeris, ad initium redeas: atque ita* Deo *iuuante fructum inde ſingularem colliges.* Quartus *denique & vltimus carcer ad nos propriè nunc ſpectat, ídque* Dei *noſtri optimi beneficio, qui nos* Filij *ſui* Ieſu Chriſti *vinctos & captiuos dedit in caſtellum hoc* Cameriacum, *in quo pro bonitate ſua maiore copia in nos effudit dona & benedictiones tum animi tum corporis, quàm alio quouis loco, vbicunque verſati ſimus.* Et *hoc quidem de prima quæ inde ad nos redit vtilitate.* Cæterùm *ſi expenditur vita, quam omnes tantoperè naturaliter expetũt,*
1. Cor. 15. *ánnon felici morte ad veram vitam ingredimur?* An *lætitia & oble-*

ctatione

ctatione, quam ita cupimus cernere & ea frui, perfectè vnquam & in ſolidum fruimur, niſi hac morte ſuaui & optanda? Teſtimonio ſatis amplo nobis eſſe poſſunt Pſalmi 90. 103, & 104. Denique voces commutare non immeritò licet, & vitam hanc breuẽ tot miſerijs & calamitatibus refertam nominare mortem ipſam: contrà verò mortem naturalem, quæ eſt corporis & animæ diſſolutio & abitus ex alieno hoc domicilio in patriam noſtram, vocare vitam beatam poſſumus, & quidem iurè, modò eam meditemur ac perpendamus in Chriſto Ieſu Domino noſtro tanquam ipſius membra: non autem alia ratione. Illã ergo vt nobis chariſſimã libẽter amplectamur, neq; amplꝰ vt hoſtẽ infeſtũ exhorreamus. Per eam alacriter & ſponte tranſeamus, quum nos minimè vincat & ſuperet, vt ignominiæ & contemptui ſubijciat, ſed nobis potius ianua ſit ad gloriam & ingreſſus. Comprehendamus illam quum nunc telum manu non geſtet, ad nos lethali vulnere feriendos, aut æternæ morti addicẽdos: ſed eſt veluti quædam clauis, qua cæli oſtium nobis aperiatur, vt illic Ieſum Chriſtum æternam noſtram vitã conſpiciamus. Quid plura? nos ſine eius opera in hoc mũdo ſemper morimur, neque vlla vnquam lætitiæ voluptate fruimur: nunquam præſentia fidiſſimi & integerrimi ſponſi noſtri potimur, cum quo & per quem diuites ex paupertate euadimus, ſani & incolumes ex morbo, viui ex morte, felices ex miſerijs, deniq; ex probro & ignominia participes immortalis gloriæ, vt erepti ex faucibus hoſtium noſtrorum, adeóque illis deuictis, & peracto de ijſdem triumpho coronam hanc æternæ gloriæ cõſequamur, & perpetuò triumphum agamus ſub noſtro Imperatore ſummo, victore & duce præſtantiſſimo Ieſu Chriſto Domino noſtro, qui in vnitate Patris & Spiritus ſancti in æternum viuus, nobis vitam ſuppeditabit, ac efficiet vt in ſe, & ſecum & cum Patre & Spiritu ſancto ſubſiſtamus, poſtquam vnum cum ipſis erimus, Amen. Hanc igitur mortem beatam & excellentem quotidie meditemur, vt nobis ſit inſtar magiſtri, qui nos à vitijs abducat, & ad virtutes dirigat. Illam magni faciamus, & in ea ſola toti oblectemur, quum in maximo pretio illam eſſe ſciamus apud Dominum. Ne fœtido ſanguini noſtro, & in nobis corrupto parcamus, quum Deus non illum tanti faciat, & præſertim quum eum requirat, & meminerit & Pſal. 115. Pſal. 72. Pſal. 9.

diligenter inueſtiget: quem vltimo die vlciſcetur: ſicuti martyres, ſeu teſtes illius qui pro veritate obſignanda non dubitarunt eum profundere, conclamant & expetunt vt vindicetur Apocalyp.6. Sed quomodo ſanguis noſter illi non eſſet charus ac pretioſus, quũ præſertim la-
Pſal.56. *chrymas noſtras colligat, & velut in vtres ſuos recõdat: vt ne guttu-*
Apoc.7.& 21.& Eſa.25 Pſal.7 33. 90. 2.Chro.14. Pſal.6.138. *lam quidem vnam excidere vel diffluere ſit permiſſurus. Quòd ſi nos copia ſua velut obruant & inundent, ille abſterget. Annon ſuſpiria noſtra & gemitus, cogitationes noſtræ, ac vota etiam occultiſſima illi perſpicua ſunt omnia & retecta? Is eſt qui corda noſtra penitus ſcrutatur, & abditiſſima quæque penetrat. Annon preces noſtræ, & clamores ab ipſo quoque audiuntur? Sumendus igitur eſt animus: nemini moleſtum ſit nec graue, ſuſpiria edere, ingemiſcere, clamare, lachrymas fundere, bonis ſuis priuari, ſanguinem ſuum profundere, nihil non ferre ac pati ad mortem vſque, & eam quidem mortem, quæ ita formidabilis eſt, & tantum horroris incutit carni, & hominib⁹ huic deditis: adeò vt nos qui Spiritu Domini regeniti ſumus, eam expetamus, amemus, complectamur cum omni lætitia & cordis alacritate, & animo infracto ac libero: quum in ea cernamus tot & tanta commoda no-*
2.Tim.4. *bis & proximis noſtris, & maximè fratribus noſtris, & Eccleſiæ Dei eſſe repoſita. Iam verò quum ſanguis noſter, & cineres ſint veluti quoddam piorum & Eccleſiæ ſemen, ad vltimam vſque guttam totum profundamus. Et tamen quietis animis placidè cum omni patientia*
Heb.10. Rom.15, & 5. Iacob.5. *& moderatione nobis expectandus eſt felix exitus: quoniam hac ratione poſſidemus animas noſtras. hæc tolerantia nobis valdè neceſſaria eſt: per eã nos ſpem habemus, per eam examinamur, vt quæ probationẽ pariat. Id ergo faciemus ad quod Spiritus ſanctus nos hortatur per os Dauidis vltimo verſu Pſal. 27. Expecta, inquit, Iehouam, & eſto forti animo, & roborabit cor tuũ, & expecta Iehouã. Quiduis igitur accidat, & quidquid Deo viſum fuerit. De⁹ enim ille eſt Deus noſter in ſeculũ & perpetuò: ipſe deducet nos vſq; ad mortẽ, Deus opt. max. & Pater miſericordiæ det nobis nomine Ieſu Chriſti Filij ſui, vt cõſtãter innitamur, & fulciamur ſãctis ꝓmiſſionib⁹ ſuis, cũ fide certa & viua, cuius virtute inſtructi ac muniti obſiſtamus õnibus noſtris hoſtibus, & inſultemus: atque adeò Sathanæ, & omnibus inferorum*

portis

portis,poſtquã omniũ victores ſumus per Ieſum Chriſtũ ducẽ noſtrũ cum quo nihil nõ poſſumus,quæ certè nobis eximia eſt cõſolatio. Por-*rò,hæc vita,in qua* Deus *opt.nos conſeruat & tuetur magis moleſta nobis eſt ob miram ſolicitudinem,anxietatem & triſtitiam , qua ſcimus noſtro nomine vos & totam eccleſiam diſtringi:deinde ob labores moleſtias & ſumptus, quos ſuſtinent & faciunt tot pij viri noſtra cauſa,qui miſeri ſumus homunciones nullis prorſus vtiles:his de cauſis,inquam,longè acerbior eſt nobis hæc vita,quàm ob vlla noſtra incommoda,quæ hîc percipiamus.* Deus *tibi ſemper adſit & tueatur.*

Antequam felix horum quinque Martyrum *exitus deſcribatur, hîc quod mox ſequitur inſeruimus,ex quibuſdam* I.C. *ad illos literis,quæ eximiam conſolationem continent.*

Charitas Dei Patris noſtri,& gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti,per communicationem Spiritus ſancti ſemper ſit vobiſcum.

C*ùm primùm vos eſſe captos,fratres vnicè dilecti, & in carcèrem coniectos intelleximus,ſtatim iſthuc nuntium miſi, qui rẽ totam certius nobis referret,atque diligentius exquireret ſi quid opis & auxilij adferre vobis poſſemus .* Proximo die Iouis *ingreſſus eſt iter,ſub horam tertiam pomeridianam : heri demùm huc rediјt quum nox iam immineret.* Nunc *rurſum proficiſcitur vt vobis literas noſtras reddat, & diſpiciat vobiſcum quánam ratione fieri poßit. vt malis veſtris,& afflictioni leuationem aliquam afferamus .* Minimè *autem neceſſe eſt copioſius explicare quantoperè de vobis ſimus ſoliciti,& quanta anxietate vincula veſtra nos conſtringant.*Mihi *ergo dubium non eſt,quum tot pij* Dei *cultores pro vobis aßiduè vota & preces concipiant,quin* Deus *noſter opt.max.eorum deſideria & gemitus exaudiat.* Ac *literis veſtris iam video vt in vobis operari cœperit.nam ſi carnis infirmitas admixta ſe prodit,ita vt grauia moleſtáque certamina vobis ſuſtinenda ſint, mihi certè mirum non eſt, ſed* Deum *laudo & extollo,quòd ſupra illa vos erigat.* Quòd *ad fratres* Laborierium *&* Trigaletum *attinet,habent quo ſe conſolentur, quia illorum amici & arctiore quidem vinculo coniuncti, placidè ſũmittunt ſe* Dei *voluntati:quam libenter amplectũtur.*Sed *iam eos ꝓgreßus in* Chriſti *ſchola feciſtis,vt minimè ſit opꝰ literis prolixioribus*

ad vos cohortandos. T*antùm quæ didiciſtis antehac ad vſum veſtrum accõmodare vos oportet: & quoniã* Domino *viſum eſt vos ad hoc obſequiũ vocare, & huic operi dicare, in eo quod cœpiſtis conficiendo pergite infracti:* Et*ſi autem vobis aditus nunc præcluditur, quominus coràm præſentes doceatis illos, quibus laborẽ veſtrum conſecraueratis: quod tamen edetis palàm teſtimoniũ eoſdem eminus confirmare nõ deſinet:* D*eus enim virtutẽ illi inſpirabit, vt lõgius reſonet, ac progrediatur vlterius, quàm poſſit vox humana pertingere.* Q*uod verò ſpectat ad rationes, ſeu media, quæ ex mundo apparẽt, vtinam quidẽ eiuſmodi nobis ſuppeterent ad vos eripiẽdos, vt illis minimè cõfiſi, vobis prodeſſent: neque conatus noſtri ad id efficiendum vnquam deerunt: verùm* D*eus nos impellit, vt altius oculos erigamus.* E*t certè hoc primum eſt ac maximum, ſenſus omnes veſtros colligere, vt in paternam eius bonitatem recumbatis, certò perſuaſi & corpora veſtra & animas in eius eſſe fide ac tutela: & ſi pretioſus eſt illi filiorũ ſuorum ſanguis, eũ palàm re ipſa monſtraturum in vobis, quandoquidẽ vos in teſtes ſuos delegit. Si autem vita veſtra ad veritatem ſuam aſſerendam & ſanciendam vti velit, præterquàm quòd ſcitis eſſe ſacrificium illi gratiſſimum, vobis hoc ſit ſummæ conſolationi, nihil ſcilicet vobis deperiturum, ſiquidẽ vos totos & veſtra omnia in eius manum & obſequium addicatis.* N*am ſi dum hanc vitam miſeram viuimus, in fidem ſuam nos recipere dignatur, multò magis poſtquam ex hoc mundo reuocauerit, ſe fidum animarum noſtrarum cuſtodem probabit.* Q*uantum attinet ad conſilium quod petitis, vereor ne tempus opportunum effluxerit: iam enim ampliſſimã fidei veſtræ cõfeſſionẽ edidiſſe vos intelligo.* Q*uùm* D*eus optimus eò vos adduxerit, vobis retrocedere fas non eſt, ſed potius omnia in* D*ei noſtri prouidentiam reijcienda ſunt.* I*nterim date operam, vt inter reſpondendum prudentiam veſtram à* D*ei* S*piritu profectam eſſe omnes agnoſcant: non autem ex mundi aſtu & calliditate. Si mihi vlla ſpes eſſet libellum veſtrũ ſupplicem ad* R*egẽ peruenturum, minimè obſtarem: ſed illum, qui vobis id pollicitus eſt, credo nihil aliud captaſſe, niſi vt vos lactet vana expectatione. ne tamen per vos ſtare videatur, ego prorſus non refragor, quin perſeueretis in eo quod à vobis illi propoſitum eſt.* E*t quoniã in formula quam*

ad me

ad me miſiſtis,nihil reperiebã quod emendare neceſſe ſit,niſi fortè comparationem Achab,& rerum ſimilium, quas lenire, vel emollire operæpretium eſſet:exemplar illud apud me retinui .Ego quidem formula diuerſa libellum ſupplicem conſcribere potuiſſem: ſed malo,ſi quis offerẽdus eſt,nihil aliud extare,niſi quod Dominus vobis dictauerit:hac ſpe fretus,quòd vberiorem inde fructũ proferet.Quòd ſi mundo grata non fuerit tam æquæ & ſanctæ fidei veſtræ profeſſio, ſaltem Deo probabitur,eius Angelis,Prophetis & Apoſtolis,ac toti Eccleſiæ:adeóque pij omnes quũ eam viderint,habebunt vnde illum laudẽt,quòd Spiritu ſuo vobis illam dictauerit.Copioſius ad vos non ſcribam:huc etiam accedit, quòd frater noſter G. Farellus adeſt hîc opportunè, vt vobis ſcribat.Finem ergo ſcribendi facturus,chariſſimi fratres,Deum noſtrum optimum ſupplex rogabo, vt vos protegat, & ſubſidio ſuo tueatur,Spiritu ſuo gubernet, virtute & conſtantia inſtruat,quò ſcilicet ita certare poſſitis, vt in vobis ipſe triumphum agat ſiue mortem ſubeatis,ſiue proroget vobis vitam,& efficiat vt ſeriò ſentiatis quídnam ſit & valeat in eo ſolo prorſus acquieſcere. Quoniam autem cõmunes ſunt hæ literæ fratrum meorum nomine ſeorſum vos non ſalutaui.Sed vobis minimè dubium eſſe credo,quin non illi modò,ſed magnus etiam piorum numerus, atque adeò totum eccleſiæ noſtræ corpus de ſalute veſtra ſic cogitent,vt officij ratio poſtulat & obſtringit.Frater veſter,quem optimè noſtis,& veſtri amantiſſimus.

Epiſtola Guyraudi Taurani ad quendam amicum.

Gratia Dei Patris noſtri per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum virtute Spiritus ſancti perpetuo tecum ſit, Amen.

SI quæ vnquam literæ.fratres integerrimi,ſolatiũ mihi attulerũt, proculdubio fuerunt veſtræ, quo nomine vobis gratiã habeo,ex quibus etiam intelligere licuit, vos graui triſtitia & anxietate conſtringi,nempe inſcij & ancipites,quam mihi Deus optimus opem tulerit, & ferat quotidie (cui maximas ob id gratias ago) quia ſcilicet in mentem vobis veniebat ecquid in me ſitum eſſet:quod quidem non moleſtè nec grauiter fero.erat enim vnde mœror contraheretur.Verùm habita illius ratione, cuius nomine certabam, nihil erat periculi, quoniam inſtructus eſt omni genere armorũ,quæ neceſſaria ſunt:& quum

fuit opus ea mihi ſuppeditauit. Nam *vel hoc vno poſſum indicare ac certò ſtatuere, ab illo me non fuiſſe ereptum ex miſerrimo atque horrendo* Papatus *gurgite, ſub quo in denſiſſimas tenebras eram demerſus, vt ſemel in lucem pretractus, eô rurſum detrudar.* Et *quanuis culpa mea non leui par non eſſem qui reſponderem tot capitibus quæ mihi ſunt propoſita, quæque magnum* Theologum *deſiderabant:* Deus *tamen os mihi dedit quo pudefierent veritatis hoſtes.* Conſcius *etiam meæ infirmitatis, & magno in periculo me verſari videns, ego totus in* Dei *optimi gratiam & paternam eius indulgentiam omnino recubui, quam ita exeruit erga me miſerum peccatorem, vt re ipſa expertus ſim promiſſionem illam quam* Dominus *fecit* Apoſtolis *ſuis, ſicuti ſcribitur* Matth. x, *non ſolùm ad eos ſpectaſſe quum illis diceret,* Quando *ad* Reges *&* Principes *tracti fueritis, ne ſitis ſoliciti quomodo vel quid reſpondeatis. tunc enim dabitur vobis quid loquamini.* Iam *quum ego videam hanc tam paternam* Dei *optimi bonitatem qua me complectitur, vobis cogitandum relinquo, an vlli erunt ignes, vel gladij, vel cruciatus quanlibet graues & acerbi, quibus poſſim abſtrahi aut auerti, quominus quum me vocabit, libenter ſequar.* Certum *eſt nunquam fieri poſſe: ſed vobis hoc confirmo, quæcunque tormenta ad me cruciandum excogitent homines, me illa excepturum vt auxilia quædam & ſubſidia, quibus ad* Deum *optimum accedam.* Si *me vocet per ignem, mihi ſumma eſt conſolatio quòd certò ſciam illos tres pueros ex fornace ignis ardentis extractos fuiſſe, & virtutem eius imminutam non eſſe: ſi verò per aquam, ipſe quoque* Iſraelitas *per mare rubrum traduxit abſque vllo diſcrimine.* Denique *ſicuti viſum illi fuerit, voluntas eius fiat. hanc placidè expecto, paratus ad emigrandum, quoties me vocabit.* Atque *hîc finem ſcribendi faciam, quia non poſſem vel prolixiſſimis literis exprimere quas in me gratias* Deus *optimus contulit: ille, inquam, qui non eſt imperitus artifex, ſed qui opus quod in me cœpit, abſoluet omnibus numeris.* Id *autem vt faciat eum quotidie precor ex animo: ac vos etiam rogo & quotquot iſthic ſunt fratres, vt idem meo nomine præſtetis.*

Nunc ſequitur deſcriptio felicis ac pretioſæ mortis quinque Martyrum, de quibus iam actum eſt.

QVO *die ad ſuppliciũ pertracti ſunt, quidã vir bonus quum in eorũ*

gratiã feciſſet quidquid potuerat, illos adijt vt colloqueretur. Et *quum renuntiaſſet moriẽdum ipſis eſſe, pro modulo ſuo, & gratia ſibi à* Deo *collata eos conſolatus eſt: & hortatus etiam, vt inuicta conſtantia pergerent, quandoquidẽ* Deus *opt. eorum opera in aſſerenda veritate ſua vti ſtatuerat. & quemadmodum ille opus feliciter in eis auſpicatus fuerat, ita perſtarent infracti, & palàm intrepidum animum in reliquo certamine ſuſtinendo commõſtrarent.* Hîc *omnes vno ore, & eadem voce* Deo *gratias egerunt, quòd tantum honorem ipſis detuliſſet.* V*nus illorum nempe* Ioannes Vernutius, *hoc nuncio accepto, initiò quidem attonitus & metu perculſus eſt, vt nulla totius corporis eſſet particula, quæ non contremiſceret, atque cohorreſceret: ac proinde in hanc vocem erupit, Sentio in me grauius certamen, quàm poßit ab homine mortali ſuſtineri: ſpiritus tamen vincet miſeram hanc carnem: & confido me non deſertum iri à* Deo *optimo max. ac vos rogo, integerrimi fratres, ne mea cauſa offẽdamini: nõ deficiã omnino.* Deus *enim promiſit ſe nobis adfuturum in noſtris afflictionibus: ſed* Do*minus habet varias rationes, quibus ſuos exerceat. Atque tantus hic pauor nos monere debet noſtræ infirmitatis, & excitare vt toti ex* Dei *virtute pendeamus, qui virtutem ſuam perficit in eorum infirmitate, quos ſibi delegit in peculium, vt omnis gloria illi ſoli tribuatur.*

Q*uum autem ad locum ſupplicio deſtinatum veniſſent, idem ille* Io*annes* Vernutius *quod ſibi pollicitus fuerat de bonitate* Dei *& virtute, conſecutus eſt, conſtantiam videlicet inuictam & fortitudinem verè* Chriſtiano *dignam.* P*rimus omnium à carnifice tractus eſt: verùm antequam mactaretur, preces ad* Deum *fudit: ita exorſus,* Domine De*us &* Pater *omnipotens ego certè corã ſacroſancta maieſtate tua ex animo & ſyncerè agnoſco me peccatorẽ eſſe miſerrimũ: & cætera quæ in precationũ formula recitantur ſtatim initiò: deinde fidem ſuam audiente vniuerſo populo clarè profeſſus eſt, quum verò ſpiritũ ſuum* Deo *commendaſſet, mortis acerbitatẽ perpeßus, hoſtes ſuos deuicit.* Initium precum ſolennium Geneuæ.

Antonius Laborierius *imperterrito animo & læto vultu, perinde ac ſi ad nuptias (quod aiunt) inuitatus, ſeſe ad mortem intrepidè obtulit.* A*c priuſquam obiret, carnifex ab eo veniã petijt, præfatus ſe illum nõ eſſe qui morti ipſum addiceret, ſed eos demũ qui iuri dicun-*

do præficerentur. T*unc autem* Laboricrius*, Amice, inquit, me prorſus nõ offendis: quin potius opera tua ex miro carcere eripior.* Id *cùm dixiſſet, carnificem oſculatus eſt.* Ex *plebe multi miſericordia commoti lachrymas fundebant.* Deinde *caſdem quas antea* Vernutius*, preces concepit, & diſertè fidei ſuæ confeßionem edidit, atque ita ſpiritũ vltimum ſumma conſtantia emiſit.*

Ioannes Trigaletus *infracto quoque animo ad mortem progreſſus eſt: ac pro inimicis ſuis orauit, quoſdam eſſe clamans, qui neſcirẽt quid facerent ipſi: alios etiam eſſe qui certò ſcirent, faſcinatos tamen à Sathana, & mundi honoribus ebrios, nolle palàm nec ingenuè profiteri.* O, *mi* D*eus, inquiebat, oro te vt eos liberes!* T*andem ſubiunxit,* D*eus mi, iam te ſpiritu cerno ſurſum in tuo ſolio ſedentem, & cælos apertos video, ſicuti* Stephano *ſeruo tuo dediſti vt moriturus intueretur. Sic fidem ſuam profeſſus, feliciter expirauit.*

Bertrandus Batallius *coram omnibus audacter hæc verba protulit,* Nos *hìc nõ ſumus vel ob latrocinium, vel homicidium, aut aliud ſcelus: ſed quia iuſtißimam* Dei *cauſam tuemur.* Et *quum precatus eſſet* Deum*, ſupplicio mortis affectus fuit.*

P*oſtremus* Guyraudus Tauranus*,* P*ſalmum vnum ita cecinit, vt ab omnibus audiretur: & quanquam erat adhuc iuuenis non minore tamen conſtantia quàm reliqui excelluit:* Deum *magno ardore & voce firma orauit: deinde mortem obiuit.*

Simplex hæc narratio ſatis indicat, nihil fucatũ fuiſſe, ſed rem totam vt geſta eſt expoſitam: quæ poſſet etiam ex proprio illorum ore extorqueri*, qui morti eos adiudicarunt, modò conſcientijs ſuis non inijcerent frænum, ſed plenam dicendi facultatem concederent.* Impij *ac ſcelerati homines oculos non habent aptos perſpiciẽdis inſignibus* Dei *miraculis: erit tamen aliquando tempus, quo ſubijcientur formidabili* Chriſti *iudicio, quem in ſuis membris tam ſuperbè & crudeliter configunt.* Faxit *autem* Deus *opt. max. virtute ſua, vt nobis hæc exempla ſic proſint & animos addant, ne vllus impiorum furor impediat vel remoretur, quò minus conſtanter reddamus teſtimonium eius veritati, quoties viſum fuerit nos ad certamen euocare,* Amen.

IOANNES CRISPINVS CHRISTIANIS LECTORIBVS.

VOLVMEN iſtud Actionum Martyrum, quum ad iuſtam magnitudinem excreuiſſe videremus, Chriſtiani Lectores, octauo demùm libro claudendum duximus, ne vos diutius huius operis expectatione ſuſpenſos teneremus, néue rerum præclariſſimarum à θεοδιδάκτοις cuiuſcunque generis, ordinis, ætatíſque hominibus geſtarũ fructu vtilitatéque priuaremus: deinde vt maiori tum otio tum commoditate ad ea colligenda pergeremus, quæ iã breui in Gallia Cardinalis ille Lotharingus piorum ſanguine rubens diſperſit ac diſſipauit: inter quos egregiè cordatus Dei Martyr Annas à Burgo ſupremæ Pariſiẽſis Curiæ ſenator, XXIII. die menſis Decemb. anni M.D.LIX. admirabilem martyrij coronam accepit. Hiſpaniæ quoque (cui nunc etiam ſol iuſtitiæ ac veritatis lux affulſit) Martyrũ his temporibus actiones eadem editione Deo fauente, daturos nos ſperamus. Interea omnes hortari ac per ſacroſanctum Chriſti martyrum ducis ac principis nomen obteſtari non deſinam vt in hoc opus tam vtile ac neceſſarium diligentiam omnem & operam conferatis.

Catalogus martyrum

A. Pag:

Adolphus Clarebach — 56. 62.

Alexander Cang. — 22.

Aymundus a Via — 140.

Anna Askew — 156.

Anna Audeberte — 260.

Augustinus Tonsor — 257.

Antonius Magnus — 283.

Antonius Laborierius — 62.

Andreas Hewetus — 283.

B.

Bertrandus Batallius — 280.

Bertrandus Blasius — 65.

Bartholotus Milonus — 168.

C.

Claudius Monier — 162.

Claudius Thierry — 66.

Claudius Pictor — 68.

Constantinus Morthmanus — 277. 56.

D.

Dionysius Vayseus

Dionysius de Rieux — 221.

Dionysius Peloquinus — 151.

E.

Enzinas Burgensis Hispanus

F.

Franciscus Bribard — 60.

Franciscus Sanromanus — 122.

Florentius Venotus — 155.

Fannius Italus — 162.

Franciscus Gamba — 270.

10.

Dr Sacra Coena Dni 107 b sig a 285. b.

G.

	Pag:
Guilhelmus Tayler	37.
Guilielmus Wiget	37.
Georgius Carpentarius	53.
Gabriel Beraudin	166.
Gillotus Vivier	173.
Godefridus le Hamelle	175.
Guilielmus Gardinerus	182.
Guilielmus Neel	239.
Guilielmus D'Alencon	257.

H.

Hieronymus Pragensis	32.
Henricus Supphen	41.
Henricus Flander	55.
Hubertus Chariet	164.

I.

Joes Wicleff:	1.
Joes Huss:	11.
Joes Esch.	43.
Joes Castellanus	44.
Joes Cleric	46.
Jacob. Pavane	52.
Joes Frithus	61.
Joes à Burgo	65.
Joes Cornon	66.
Jacob: chobardus Lotharingus	81.
Joes De Buck ipsiusque uxor.	87.
Joes Diazius Hispanus	126.
Joes Lacellus	150.
Joes Du Bec.	68.

I

Joes Adamy - - .217.
Joes Briggerig - - - .152.
Joes Anglo. - - - .161.
Joes Oelean. - - - .166.
Joes à Puteo. - - - .174.
Joes Joery - - - .175.
Joanna Gracia - - - .252.
Joes Filiculi - - - 275.
Julianus Lereille - - - 275.

L

Leonardus Gastgraff. - - - .156.
Leonardus Keser - - - .55.
Leonardus Pratensis - - - .161.
Ludovicus Marsaeg. - - - .227.
Ludovicus Berrhnus. - - - .57.

M

Martinus Gonin. - - - .59.
Maria Pecandella. - - - .65.
Maria mater Adriani - 80.
Mater domina Yong. - - - .40.
Matteus Dymonesty - - - 234.
Martyres Cameriaci exusti - - - 283.
Martyres Lausannenses - - 285.
Merindolii excidium - - .88.

N

Nobilis Landiensis - - - 40.
Nicolaus Antuerp. - - - .46.
Nicolaus Belevianus. - - - .150.
Nicolaus Valletony - - .65.
Nicolaus van Paule - - .87.
Nicolaus Naily. - - - 251.
[illegible] - - . 166.
[illegible]res - . 158.
[illegible]res - . 161.
[illegible] nael - - - .161.
[illegible]ichellas - - - . 173.
Mauricius Se[illegible] - - - . 174.

O.

Ottho Catelinia. - - - [illegible]

P.

Petrus Bergierus. - - -
Paulus Cragus - - - . 30.
Pastor Briggerig. - - .47.
Petrus Flysteden. - - .56.
Petrus Gaudet. - - - . 66.
Petrus Brulius. - - - . 68.
Petrus Penochius. - - 250.
Petrus Serra. - - - .256.
Petrus Duval. - [illegible]
Paris Panier. - - - 2[illegible]
Petrus Migge - - - . 2[illegible]

Q.

Quequllardus . - 5[illegible]

R.

Richardus Hovendius - 38.
Renaudus Pecol[illegible] - - - .[illegible]9.
Rochus Brabantus. - - .126.
Richardus Feury. - - - . 258.
Rogerius Dyke. - - -

S.

Stephanus Forgeus. - - -
Stephanus Bruny. - - -
Stephanus Polliotus. - - - . [illegible]
Sanctus Niretus. - - - . 139.
Sartor Tesserius. - - - . 157.
Stephanus Liguifaber. - - .227.
Stephanus Regius. - - - . 25[illegible]
Simon Laloe. - - - . 2[illegible]

T.

Thomas Bugly. - [illegible]
Thomas Haryl[illegible] - .38.
Thomas Sampaul[illegible]

W.

Wolffgangg Schuch - - - .49.